UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Mazzotta theologia moralis

omnem rem moralem absolutissime complectens

Mazzotta, Nicolò

Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756

urn:nbn:de:hbz:466:1-41004

Visual Library

Th. 2236.
g. X. 17.

REVERENDI PATRIS

NICOLAI MAZZOTTA

E SOCIETATE JESU

THEOLOGIA MORALIS,

OMNEM REM MORALEM

ABSOLUTISSIME COMPLECTENS.

Tomus III.

Collegii Sortis Jesu Paderborne
1760.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDEL. & CRACOVIÆ.

Sumptibus CHRISTOPHORI BARTL, & Consortum
Bibliopol. Universitatis Cracovienſis.

M. DCC. LVI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syllabus

Disputationum, Quæstionum Capitum, & §§.

Quæ in V. Tractatu Theologico-Morali de Sacramentis continentur.

DISPUTATIO I.

De Sacramentis in Genere. pag. 2

QUÆSTIO I.

De Quidditate & Efficacia Sacramentorum. *ibid.*

CAPUT I. *De Nomine, ac Definitione Sacramentorum.* *ibid.*

II. *De Necessitate, Numero, & Ordine Sacramentorum.* 6

III. *De Materia, & Forma Sacramentorum.* 10

CAP. IV. *De Causalitate, & Effectibus Sacramentorum.* 17

QUÆSTIO II.

De Causa Efficiente Sacramentorum. pag. 23

Cap. I. *Quænam sit Causa efficiens Sacramentorum?* *ibid.*

II. *De intentione requisita in Ministro ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.* 25

III. *De cæteris requisitis ex parte Ministri ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.* 33

QUÆSTIO III.

De Subjecto Sacramentorum. 46

Cap. I. *Quodnam sit Subjectum capax Sacramentorum, & quænam intentio in eo requiratur?* *ibid.*

II. *Quæ dispositio requiratur in Subjecto Sacramentorum?* 49

DISPUTATIO II.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Baptismi. 55

Cap. I. *De Quidditate, Virtute, Institutione, & Necessitate Baptismi.* *ibid.*

II. *De Materia, & Forma Baptismi.* 59

§. I. *De Materia Baptismi.* *ibid.*

§. II. *De Forma Baptismi.* 62

Cap. III. *De Ministro Baptismi.* 64

IV. *De Subjecto Baptismi.* 69

DISPU-

DISPUTATIO III.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Confirmationis. p. 74

Cap. I. *De Materia, & Forma Confirmationis.* 75

II. *De Ministro Confirmationis.* 80

III. *De Subjecto Confirmationis.* 85

DISPUTATIO IV.

De Eucharistia. 88

QUÆSTIO I.

De Eucharistia, quatenus est Sacramentum. *ibid.*

Cap. I. *De Nomine, Institutione, Quidditate, & Natura Eucharistiæ.* *ibid.*

II. *De Materia, & Forma Eucharistiæ.* 95

§. I. *Qualis debeat esse Panis in materia Eucharistiæ?* 96

§. II. *Quale debeat esse Vinum in materia Eucharistiæ?* 100

§. III. *Quæ Conditiones requirantur ad materiæ Consecrationem?* 104

§. IV. *Quænam sit Forma conficiens Eucharistiam?* 109

Cap. III. *De Ministro Eucharistiæ.* 111

§. I. *Quinam sit Minister dispensans Eucharistiam?* *ibid.*

§. II. *Quid requiratur in Ministro ad licitam Eucharistiæ dispensationem?* 113

§. III. *Quinam teneantur ministrare Eucharistiam?* 118

CAP. IV. *De Subjecto Sacramenti Eucharistiæ.* p. 120
§. I. *Quinam sint Eucharistiæ Susceptores?* ibid.
§. II. *Quænam requiratur in Suscipiente Eucharistiam dispositio ex parte Animæ?* 125
§. III. *Quæ requiratur in Suscipiente Eucharistiam dispositio ex parte Corporis?* 127

CAP. V. *De Obligatione suscipiendi Eucharistiam.* 135
§. I. *De obligatione sumendi Eucharistiam ex Præcepto Divino.* 136
§. II. *De obligatione sumendi Eucharistiam ex Præcepto Ecclesiastico.* 140

QUÆSTIO II.

De Eucharistia, quatenus est Sacrificium. 144

CAP. I. *De Quidditate, & Natura Sacrificii Missæ?* ibid.
II. *De Participatione fructus Sacrificii.* 148
III. *De loco Sacrificii.* 153
§. I. *De Altari.* 154
§. II. *De Ecclesia, vel Oratorio publico.* 156
§. III. *De Oratorio privato.* 162
§. IV. *De Loco profano.* 166
§. V. *De Loco Obligationis.* 168

CAP. IV. *De tempore Sacrificii.* 170
§. I. *Quo Die?* ibid.
§. II. *Qua Hora?* 176
§. III. *Quo die, sive designetur, sive non designetur, sive designetur quotidie?* 181

CAP.

Cap. V. *De cæteris Requisitis ad Sacrificium, & de Ritu in eo servando.* p. 183
§. I. *De cæteris Requisitis ad Sacrificium.* *ibid.*
§. II. *De Ritu servando in Sacrificio.* 188

DISPUTATIO V.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Extremæ Unctionis. 193
Cap. I. *De Materia, & Forma Extremæ Unctionis.* *ibid.*
II. *De Ministro Extremæ Unctionis.* 197
III. *De Subjecto Extremæ Unctionis.* 199
IV. *De Effectibus Extremæ Unctionis.* 202

DISPUTATIO VI.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Ordinis. 204
Caput I. *De natura Sacramenti Ordinis.* *ibid.*
§. I. *Quæ sit Materia cujuscunque Ordinis?* 205
§. II. *Quæ sit Forma Ordinationis?* 209
§. III. *Quæ Intentio sit requisita ad Ordinationem?* 212
§. IV. *Quæ sint munera, & onera Ordinatorum?* 215
§. V. *Quæ sint pœnæ male Ordinati?* 216
§. VI. *Quæ sint pœnæ male Ordinantis?* 217

CAP. II. *De Miniſtro Ordinum.* p. 220
§. I. *De Epiſcopo Domicilii.* *ibid.*
§. II. *De Epiſcopo Originis.* 222
§. III. *De Epiſcopo Beneficii.* 223
§. IV. *De Epiſcopo alieno.* 225
§. V. *De Litteris Dimiſſorialibus.* 227
§. VI. *De Litteris Teſtimonialibus.* 231

CAP. III. *De Subjecto Ordinum.* 232
§. I. *Debet eſſe Mas, & Baptizatus.* 233
§. II. *Debet eſſe ſine Irregularitate, Cenſura, & Peccato.* 234

CAP. IV. *De Circumſtantiis Ordinationis.* 235
§. I. *De Ætate Ordinandorum.* *ibid.*
§. II. *De Temporibus Ordinationum.* 238
§. III. *De Ordinatione extra tempora.* 239
§. IV. *De Interſtitiis.* 240
§. V. *De loco, & reliquis Circumſtantiis Ordinationis.* 244

CAP. V. *De Titulo Ordinandorum.* 246
§. I. *De Titulo Beneficii.* 247
§. II. *De Titulo Patrimonii, ſeu Penſionis.* 249
§. III. *De Titulo Paupertatis Religioſæ.* 253
§. IV. *De pœnis Ordinationis absque Titulo.* 254

Sylla-

Syllabus

Disputationum, Quæstionum, Capitum, & §§.

Quæ in VI. Tractatu Theologico-Morali, de Sacramento Pœnitentiæ continentur.

DISPUTATIO I.

De iis, quæ pertinent ad Pœnitentem. p. 258

QUÆSTIO I.

De Necessitate, & Præcepto Pœnitentiæ. *ibid.*

CAPUT I. *Quæ sit Necessitas Pœnitentiæ?* *ibid.*

II. *Quod sit Præceptum Pœnitentiæ?* 262

III. *Quod sit Præceptum Confessionis annuæ?* 268

IV. *Quod sit Præceptum confitendi ante Communionem?* 274

V. *Quod sit Præceptum Sacerdotibus confitendi* Quamprimum? p. 277

QUÆSTIO II.

De Examine Conscientiæ. 279

Cap. I. *Quod examen Conscientiæ sit sufficiens præsertim pro mortalibus?* *ibid.*

II. *Reliqua ad examen Conscientiæ spectantia expenduntur.* 281

§. I. *Quomodo discerni possit Mortale à Veniali?* 282

§. II. *Quomodo discerni possit peccatorum numerus?* *ibid.*

§. III. *Quomodo discerni possint peccata specie diversa?* 283

§. IV. *Quomodo discerni possint circumstantiæ mutantes speciem?* 287

§. V. *Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalogi Præcepta?* 290

QUÆSTIO III.

De Cordis Contritione? 295

Cap. I. *Quid de Dolore peccatorum?* *ibid.*

§. I. *Quinam Dolor requiratur ad pœnitentiæ valorem?* *ibid.*

§. II. *Quænam sint qualitates Doloris?* 298

§. III. *Quando Dolor sit eliciendus?* 303

Cap.

Cap. II. *Quid de Contritione Perfecta?* p. 306
§. I. *De motivo Contritionis.* 307
§. II. *De odio peccati super omnia.* 309
Cap. III. *Quid de Attritione?* 310
§. I. *De motivis Attritionis.* *ibid.*
§. II. *De sola attritione absque contritione, aut amore formali Dei.* 313
Cap. IV. *Quid de Proposito?* 318
§. I. *De Proposito quoad mortalia.* 319
S. II. *De Proposito quoad venialia.* 322

QUÆSTIO IV.

De Oris Confessione. 323
Caput I. *Quæ sint Qualitates bonæ Confessionis?* *ibid.*
II. *Quæ sit materia Confessionis sufficiens quidem, sed libera?* 326
III. *Quæ sit materia necessaria Confessionis?* 329
IV. *An Peccatum mortale dubium sit materia necessaria Confessionis?* 333
V. *Quæ mortalia antecedentium Confessionum sint materia necessaria Confessionis præsentis?* 338
VI. *Quodnam peccatum sit mendacium in Confessione?* 342
VII. *Quando valeat Confessio formaliter tantum, & non materialiter integra?* 345

§. I.

§. I. *Quid de impotentia morali?* p. 345
§. II. *Quid de impotentia physica?* 348

QUÆSTIO V.

De Operis Satisfactione. 351

Caput I. *Quid de impositione Pœnitentiæ?* *ibid.*
II. *Quid de acceptatione, & executione Pœnitentiæ?* 356
III. *Quid de Commutatione Pœnitentiæ?* 361
IV. *De Satisfactione per Indulgentias?* 364
§. I. *Quid, & Quotuplex sit Indulgentia, Quis, & Qua causa possit eas concedere?* *ibid.*
§. II. *Qui sint Indulgentiarum effectus, & Quæ dispositio requiratur in eas lucraturo?* 367

DISPUTATIO II.

De iis, quæ pertinent ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ. 370

QUÆSTIO I.

De Potestate Confessarii. 371

Cap. I. *Quid de Potestate Ordinis?* *ibid.*
II. *Quid de Potestate Jurisdictionis?* 375
§. I. *Quid de Jurisdictione ordinaria?* 376

§. II.

§. II. *Quid de Jurisdictione delegata?* p. 378
§. III. *Quid de errore communi cum titulo colorato?* 382

Cap. III. *Quid de Approbatione?* 386
§. I. *Quid de Approbatis ad Confessiones Sæcularium?* ibid.
§. II. *Quid de Approbato ad Confessiones Regularium?* 392
§. III. *Quid de Approbatis ad Confessiones Monialium?* 394
§. IV. *Quid de Approbatis ad Confessiones Privilegiatorum?* 395

QUÆSTIO II.

De Officio Confessarii. 397

Cap. I. *Quid de Probitate Confessarii?* ibid.
II. *Quid de Scientia Confessarii?* 398
§. I. *Quid de Scientia Habituali?* 399
§. II. *Quid de Scientia Actuali?* 401
§. III. *Quid de interrogationibus Pœnitenti à Confessario faciendis?* 403

Cap. III. *Quid de Obligatione admittendi, & docendi pœnitentem?* 406
§. I. *Quid de Confessario admittente Pœnitentem ad Confessionem?* ibid.
§. II. *Quid de Confessario Pœnitentem docente?* 408

Cap.

Cap. IV. *Quid de Obligatione monendi Pœnitentem ad denunciationem?* p. 410

V. *De Reliquis Obligationibus Confessarii monendi Pœnitentem, & præsertim quoad Ecclesiasticam sepulturam eligendam.* 418

QUÆSTIO III.

De Reservatione Casuum. 425

Cap. I. *Quid sit Reservatio, quæ peccata, & à quibus reservari possint?* 426

II. *Quinam incurrant reservationem, & quinam ab ea excusentur?* 427

III. *De Absolutione à Reservatis.* 433

§. I. *Quis possit absolvere à casibus Papalibus extra articulum, vel periculum mortis?* ibid.

§. II. *Quis possit absolvere à casibus Episcopalibus extra articulum, vel periculum mortis?* 439

§. III. *Quis absolvere possit Pœnitentem Regularem à reservatis?* 444

§. IV. *Quomodo intelligendæ sint concessiones absolvendi à reservatis?* 448

APPEN-

APPENDIX.

De Casibus Reservatis. p. 457

Cap. I. *De Casibus Reservatis Papæ.* ibid.

§. I. *De Casibus Bullæ Cœnæ.* ibid.

§. II. *De Casibus specialiter reservatis Pontifici extra Urbem intra Italiam.* 478

§. III. *De reliquis Casibus Papalibus.* 491

Cap. II. *De Casibus reservatis Episcopis.* 501

§. I. *De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus adnexa est Excommunicatio ipso facto.* ibid.

§. II. *De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus non est adnexa Excommunicatio.* 519

Cap. III. *De Casibus specialiter reservatis in Ordinibus Religiosis.* 525

QUÆSTIO IV.

De Absolutione Sacramentali. 530

Cap. I. *In quo consistat Absolutio Sacramentalis?* ibid.

II. *Quando, & Quomodo danda sit, vel iteranda Absolutio?* 537

III. *An aliquando neganda sit, vel differenda Absolutio?* 541

§. I. *Quid de ignorante Mysteria Fidei?* ibid.

§. II. *Quid de habente occasionem proximam?* 543

§. III. *Quid de Recidivo?* 546

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Sigillo Confessionis Sacramentalis. 548

CAP. I. *Quid sit Sigillum Confessionis, & quæ ejus Materia?* ibid.

II. *Quos, & ad quid obliget Sigillum?* 553

III. *An aliquando possit Confessarius uti notitia habita tantum in Confessione?* 557

TRACTA-

TRACTATUS V.

Theologico-Moralis

DE

SACRAMENTIS.

PRÆSTANTISSIMA Catholicæ Religionis Mysteria, & præcipua Ecclesiæ à Christo domino ædificatæ fundamenta, Sacramenta videlicet novæ Legis ab ipso Christo instituta hic explicare aggredimur: ea siquidem sunt potissima ad æternam nobis felicitatem comparandam media, quibus nostræ reparationis pretium superabundans, suæ nimirum Passionis, ac Mortis merita præclarissima, nobis abunde dispertienda, atque approprianda humani generis Assertor contineri voluit. Porro sex Disputationes Tractatus hic complectetur. Prima erit de Sacramentis in genere: Sequentes quinque de quin-

que Sacramentis in ſpecie, nimirum de Baptismo, Confirmatione, Euchariſtia, Extrema-Unctione, & Ordine; duobus enim reliquis Sacramentis, Pœnitentiæ ſcilicet, & Matrimonii duplex ſequens Tractatus, unicuique ſuus dabitur.

DISPUTATIO I.

De Sacramentis in Genere.

TRÈS Quæſtiones hic inſtituemus: I. erit de Quidditate, & efficacia Sacramentorum: II. de Cauſa efficiente: III. de Subjecto Sacramentorum.

QUÆSTIO I.

De Quidditate & Efficacia Sacramentorum.

EXPONEMUS hic I. Nomen, & Definitionem Sacramenti in genere: II. Agemus de Neceſſitate, Numero, & Ordine: III. de Materia, & Forma: IV. De Cauſalitate, & Effectibus Sacramentorum.

CAPUT I.

De Nomine, ac Definitione Sacramentorum.

VOX hæc *Sacramentum*, à *Sacro* ducta, aliter apud profanos, aliter apud Sacros, & Eccleſiaſticos Scriptores uſurpata reperitur. Apud primos ſignificat, vel pecuniam, in loco ſacro depoſitam, ut, qui in cauſa caderet, eam amitteret, ærario publico applicandam; vel juramentum, ſeu quod juramento firmatum eſt: in qua ſignificatione uſurpatur etiam in jure Canonico, & Civili. Apud ſecundos vero Sacramentum idem eſt, ac apud Græcos Myſterium, hoc eſt Sacrum ſecretum, ut conſtat ex Sacris literis, & videre eſt apud Doctores. Hinc verum factum eſt, ut Sacramentum vocentur res, & verba, occultum quid divinum, ac ſupernaturale, quo quis Deo ſacratur, ſignificantia: ita Bellarm. lib. 1.

de

de Sacram. cap. 8. Suar. Con. Laym. & alii. De Sacramento in hac posteriore significatione sumpto agendum hic erit.

Sic autem acceptum definitur communiter à Doctoribus post D. Th. 3. p. q. 60. a. 2. & 3. *Visibile signum gratiæ invisibilis ad populum Dei sanctificandum divinitus institutum.* Debet esse *Signum visibile*, hoc est corporis sensibus perceptibile; nam aliter non esset hominibus, ad quorum sanctificationem ordinatur, accommodatum. Est autem *Signum gratiæ invisibilis*, quia hæc corporis sensibus non percipitur. Demum est *Signum institutum ad populum Dei sanctificandum*, quia hominis sanctificatio est finis per se, & directe à Deo intentus in Sacramenti institutione. Et hinc est, quod Sacramentum in sensu expositæ definitionis, nonnisi à solo Deo institui potest, cum solus Deus causare gratiam possit, & consequenter signum practicum gratiæ constituere. Hinc habes discrimen inter Sacrificium, qua tale, & Sacramentum qua tale: illud enim per se, & directe institutum ad Deum colendum, ejusque supremum dominium, & excellentiam recognoscendam, & protestandam: hoc vero directe, & per se ad sanctificandum populum.

Quæres primo, An signum ad rationem Sacramenti requisitum debeat esse stabile, ac permanens?

Respondeo affirmative, cum sit institutum ad Deum colendum, & Dei populum sanctificandum, & consequenter ad hunc ab aliis nationibus infidelibus distinguendum, quod fieri non potest signo transeunte, nec pro aliquo statu durante. Hinc neque linguæ igneæ, quæ apparuerunt die Pentecostes, nec verbà Christi ad Paralyticum, Matth. 9. *Remittuntur tibi peccata tua*, nec insufflatio Christi in Apostolos, fuerunt Sacramenta, quamvis fuerint signa gratiæ, cum non fuerint signa firma, ac stabilia, saltem pro aliquo statu, sed mere transeuntia. Ita Suar. Laym. Con. apud Pal. hic p. 1. num. 3.

Quæres secundo, An debeat esse signum practicum?

Respondeo, Aliquibus Doctoribus, nec infimæ notæ placere, satis esse, quod sit signum speculativum, ex eo quod Sacramenta veteris legis vera fuerint Sacramenta, ex sensu communi, licet gratiam sanctificantem non continuerint, sed eam solum dandam per Christum significaverint. Verum, quamvis non sit de ratione Sa-

cramenti esse signum practicum Sanctitatis perfectæ, & interioris animæ, hoc est gratiæ sanctificantis. est tamen esse signum practicum alicujus sanctitatis, saltem exterioris, & legalis, & signum speculativum gratiæ habitualis sanctificantis: quod verificatur etiam de Sacramentis veteris legis, & sic salvatur, quod fuerint vera Sacramenta.

Quæres tertio, An, & quodnam sit discrimen inter Sacramenta novæ, & veteris Legis?

Respondeo, Ad primum affirmative, ut patebit ex Tridentino, & Florentino mox citandis. Ad secundum respondeo primo, Certum esse, quod Sacramenta nova à veteribus non differant solum in eo, quod sunt aliæ cæremoniæ, & alii ritus externi; ut definitum est à Trid. *sess. 7. can. 2.* Secundo, Differre inter se essentialiter in eo, quod nova gratiam, quam significant, continent, & causant, & consequenter sunt signa practica gratiæ sanctificantis: secus vero vetera, quæ non causabant, nisi solum Sanctitatem quandam legalem, & gratiam sanctificantem solum per passionem Christi Domini dandam esse figurabant: constat ex Flor. in Decr. Eug. ubi hæc habentur: *Sacramenta novæ legis multum differunt à Sacramentis veteris legis: illa enim non causabant gratiam, sed illam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra. & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*, & ex Trid. *sess. 7. can. 6. 7. & 8.*

Dices: Circumcisio in lege veteri delebat originale, cujus deletio esse non poterat sine gratiæ infusione: ergo circumcisio causabat gratiam.

Respondeo, Verum quidem esse, quod ad præsentiam circumcisionis delebatur originale; falsum tamen, quod delebatur vi circumcisionis, ita, ut ea dici posset vera causa gratiæ sanctificantis deletivæ originalis. Suadetur manifeste, tum ex locis nuper citatis Florent. & Trid. cum quibus non bene cohæret sententia docens, circumcisionem fuisse veram causam gratiæ, tum ex locutionibus D. Pauli, qui ad Gal. 4. Circumcisionem, & cæteras legales cæremonias appellat elementa infirma, & egena; & ad Gal. 6. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Si circumcisio habuisset vim conferendi gratiam, multum quidem valeret, neque dici

posset

posset egenum, & infirmum elementum. Dicendum ergo est, nullum Sacramentum antiquæ legis vi sua gratiam causasse, sed solum ex fide Christi venturi, quam Parentes circumcisi, vel Minister ipse circumcisionis exteriori illo signo profitebantur. Ita D. Th. 3. p.q. 62. a. 5. in corp. & ad 3. Bellarm. Sot. Vasq. Laym. Con. apud Pal. hic p. 1. n. 6.

Quæres quarto, Quodnam sit discrimen inter Sacramenta, & Sacramentalia?

Prænotandum, nomine Sacramentalium per Theologos venire, quæ continentur hoc versu

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Nimirum oratio Dominica, seu *Pater noster*, & oratio in Ecclesia consecrata, aspersio aquæ benedictæ, & quælibet unctio Sacramentalis, ut est unctio, quæ fit in manibus Sacerdotis, vel in capite Episcopi; quando ordinatur, comestio panis benedicti, quæ olim erat in usu, confessio generalis, hoc est *Confiteor* (ad quam reducitur tunsio pectoris) erogatio eleemosynæ, benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati, benedictio sacrorum cinerum, & benedictio facta cum venerabili Eucharistia. Huc reducuntur consecrationes, seu benedictiones variarum rerum, seu res ipsæ sacræ, sive benedictæ, ut Ecclesiæ, Calices, &c. Sacramentalia vero strictæ sumpta sunt ritus, sive actiones religiosæ ab Ecclesia institutæ ad decentem, ac devotam Sacramentorum administrationem.

Respondeo nunc ad quæsitum: Sacramentalia differunt à Sacramentis potissimum in eo, quod Sacramenta causant effectus suos ex opere operato; Sacramentalia vero nullum effectum causant ex opere operato. Ratio est, quia Sacramentalia non sunt instituta à Deo, vel Christo Domino, sed ab Ecclesia, quæ non habet potestatem dandi alicui actioni vim infallibilem causandi aliquem effectum. Ita Suar. disp. 15. sect. 4. Lug. Esp. Busemb. contra Ledesm. Sot. Vict. Valent. & alios. Igitur quædam Sacramentalia vim habent remittendi venialia solum per modum impetrationis, ut aqua benedicta, & alia, quæ benedicuntur ab Ecclesia interpositis quibusdam orationibus, quæ possunt remittere venialia, quatenus Ecclesia illis orationibus impetrat nobis amorem Dei, contritionem, vel alium pium motum, quo venialia remittantur. Alia vero Sacramentalia, ut

tunsio pectoris, confessio generalis, &c. eandem vim habere possunt, quatenus excitant in nobis memoriam, & consequenter detestationem peccatorum, qua detestatione remittantur venialia. Hinc inferes, talem effectum non esse infallibilem, cum non fundetur in ulla promissione Dei, sed unice in communi lege, & efficacia orationis, quæ non semper habet effectum.

CAPUT II.

De Necessitate, Numero, & Ordine Sacramentorum.

NOTANDUM primo, Necessaria ad salutem alia dici talia necessitate medii, alia necessitate præcepti: sunt necessaria necessitate medii, quorum executio ita est ad salutem necessaria, ut sine illis salus obtineri non possit, etiamsi ob ignorantiam, vel impotentiam omittatur. Sunt vero necessaria necessitate præcepti, quando non tam ipsa opera præcepta, quam eorum executio est necessaria ad salutem, ita, ut, si ob ignorantiam, vel impotentiam ab executione præcepta excuseris, non obinde salutem amittas.

Notandum secundo, Ante legem Evangelicam triplicem assignari statum. Primus fuit status innocentiæ, in quo creatus fuit Adam cum Justitia originali, & duravit usque ad lapsum Adæ. Secundus fuit status naturæ, in quo homines dirigebantur ad salutem sola ratione per præcepta naturalia, adjuti tamen lumine supernaturali, & gratia, & hic status duravit ad bis mille annos, nimirum usque ad Abraham, quando initium habuit lex scripta, quia tunc inchoarunt præcepta positiva, præsertim Circumcisionis. Tertius fuit legis scriptæ, qui duravit usque ad Christum Dominum. Jam vero in primo statu verosimilius est, nulla fuisse Sacramenta, tum quia nullibi fit mentio talium Sacramentorum; tum quia, cum brevi tempore esset talis status duraturus, vix poterat esse locus eorum usui. Ita Suar. in 3. part. disp. 3. sect. 3. An autem futura fuissent in eo statu Sacramenta, si duraturus fuisset ad longum tempus, incertum esse, ait Suar. loc. cit. Quoad reliquos duos, non solum in statu legis scriptæ, sed etiam in statu naturæ fuisse Sacramenta, communis est Doctorum sententia. Et quidem in statu legis scriptæ plura fuerunt Sacramenta, vide-

videlicet Circumcisio, Agnus paschalis, Consecratio Sacerdotis, Lustrationes quædam ab immunditiis legalibus, & Expiationes à peccatis externis, de quibus D. Th. 1. 2. q. 102. art. 5. In statu vero naturæ omnes Theologi teste Suar. in 3. part. disp. 4. q. 1. docent, fuisse aliquod Sacramentum pro parvulis in remedium peccati originalis, consistens in protestatione Fidei in Christum venturum facta à parentibus signo aliquo externo vel à Deo determinato, vel ipsorum parentum, sive aliorum arbitrio remisso, in qua parte non conveniunt Doctores: quod Sacramentum duravit etiam in lege scripta, tum pro feminis, tum pro pueris, qui ante diem Circumcisionis, hoc est octavum à Nativitate, erant in periculo mortis. Probabiliter etiam admittitur pro eodem statu alterum Sacramentum pro adultis in remedium peccati actualis, & congruenter dicitur fuisse Sacrificium, quod quidem, quatenus ordinabatur ad cultum Dei, & recognitionem ejus supremi dominii, erat Sacrificium; quatenus vero per illud in virtute Christi venturi remittebatur peccatum, erat Sacramentum. His prænotatis

Quæres primo, An Sacramenta sint absolute necessaria ad salutem, seu an sit absolute necessaria eorum institutio?

Respondeo negative, Ratio est, quia non est censenda ita limitata divina potentia, ut non potuerit aliis mediis homines ad salutem dirigere, etiam posito statu naturæ lapsæ. Solum igitur dici possunt Sacramenta necessaria secundum quid, hoc est accommodata, & convenientia conditioni, ac statui naturæ humanæ, ut explicat D. Th. 3. p. q. 61. a. 1.

Quæres secundo, An, supposita institutione, necessaria sint, & qua necessitate, ad salutem Sacramenta?

Respondeo, Tum in statu naturæ, tum in statu legis scriptæ Sacramentum institutum in remedium peccati necessarium fuisse necessitate præcepti: conveniens quippe fuit, præcipi executionem talis signi. Et quidem in lege scripta præceptam fuisse circumcisionem, patet ex illo Genes. 17. v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur, &c.* Quo præcepto certe adstringebantur adulti, infantes vero ante usum rationis arctari illo non poterant: quare obligabantur parentes ad suos filios circumcidendos. Necessitatem vero medii in nullo Sacramento legis naturæ, aut scriptæ agnoscit

Pal. hic p. 2. num. 2. cum nullum habuerit de se vim remittendi peccatum, & conferendi gratiam. At in lege gratiæ Sacramenta à Christo Domino instituta necessaria ad salutem sunt necessitate tum præcepti, tum medii, licet non omnia, ut expresse definitum est à Trid. *sess. 7. can. 4.* Quæ vero hæc sint, commodius explicabitur, cum de singulis Sacramentis in particulari agendum erit.

Quæres tertio, Quot sint Sacramenta novæ legis?

Respondeo, Dogma Catholicum esse definitum tum à Flor. in Decr. Eugen. IV. tum à Trid. *sess. 7. can. 1.* quod sint septem, nec plura, nec pauciora, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium. Neque huic veritati obstant opiniones asserentes, in Eucharistia Sacramentum corporis à Sacramento sanguinis esse distinctum, & in Sacramento Ordinis ordines majores inter se, & à minoribus specie differre. Nam Ecclesia definivit solum, Sacramenta non esse plura, quam septem, plura, inquam, quæ non contineantur in prædicto numero: quamvis autem plures ordines plura sint Sacramenta specie infima inter se differentia, omnes tamen unum Sacramentum Ordinis, saltem in genere, constituunt. Idem dic de Sacramento Eucharistiæ. Neque item obstat, quod aliqui Patres mentionem Sacramentorum facientes, non omnia numerent; nam non eo ipso negant. Neque demum obstat, quod lotionem pedum à Christo domino factam Sacramentum appellent D. Ambros. l. 3. *de Sacram.* c. 1. & D. Bern. *Serm. in Cœna Domini:* nam Sacramentum usurpant, non proprie, & stricte pro signo sanctificante; sed improprie pro signo denotante, ipsos etiam justos, & baptismo sanctificatos indigere nova lotione pro venialibus denuo commissis.

Ratio hujus veritatis est institutio Christi. Optima autem congruentia traditur à D. Th. 3. p. q. 65. a. 1., quia scilicet his Sacramentis abunde perficitur homo tum quoad se primis quinque, tum quoad communitatem duobus postremis. Baptismo namque spiritualiter nascimur, & in Christo regeneramur. Confirmatione roboramur in vita per Baptismum accepta. Eucharistia in eadem vita nutrimur, & crescimus. Quoniam vero ab hac spirituali vita nos defecturos ob nostram malitiam præsciebat Christus Dominus, Sacramentum Pœnitentiæ instituit, quo possemus ad vitam revocari, obtenta peccatorum

torum remissione. Denique instituit Sacramentum Extremæ Unctionis, tum in remedium infirmitatum, quæ ex peccato commisso relinquuntur, tum in adjutorium contra luctam, quam cum dæmone in mortis articulo solemus habere. His quinque Sacramentis satis, superque privatæ cujusque utilitati, ac perfectioni consultum esse, manifestum est. Reliqua duo ad perfectionem totius populi Christiani ordinantur; nam Ordine constituuntur Ministri, & Dispensatores Sacramentorum, Pastores, & Doctores: Matrimonio vero Populus Christianus multiplicatur per convenientem, & rationi consentaneum ejus usum.

Quæres quarto, Quinam sit Ordo inter Sacramenta novæ legis?

Respondeo, Duplicem considerari posse ordinem inter prædicta Sacramenta, alterum desumptum ex fine, & usu illorum, alterum ex dignitate; ex Tridentin. enim *Sess.* 7. *Can.* 3. constat, esse alia aliis digniora. Jam vero ordo, quo superius numerata sunt, & numerantur ab Ecclesia, est desumptus tum ex fine, tum ex necessario, & convenienti eorum usu. Quod vero prædictus ordo recte sit assignatus, rationem affert D. Thom. 3. p. q. 65. art. 2. nam priora sunt, inquit, quæ singulos in se perficiunt, quam quæ perficiunt in ordine ad alios, & ideo Sacramenta Ordinis, & Matrimonii postremum locum obtinent, reliqua priorem: & Matrimonium post Ordinem, utpote minus perfectum, & minus participans de vita spirituali. Inter ea vero, quæ ad privatam cujusque perfectionem sunt ordinata, priora debent esse, quæ vitam communicant, & perficiunt, quam quæ removent obstacula, & idcirco priora sunt Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quibus vita conceditur, & perficitur, quam pœnitentia, & Extrema Unctio, quibus vita læsa reparatur. Quod, si ordo instituendus esset ex eorum dignitate, primus locus dandus esset Eucharistiæ, utpote omnium Sacramentorum præstantissimo: Secundus, Ordini: Tertius, Confirmationi: Quartus, Baptismo: Quintus, Pœnitentiæ: Sextus, Extremæ Unctioni: Septimus, Matrimonio: vide D. Thom. loc. cit. art. 3.

CAPUT III.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

IN re illa sensibili à Christo Domino assumpta ad significandam, & causandam gratiam communiter Doctores sentiunt, aliud se habere per modum materiæ, hoc est partis indifferentis, & determinabilis, aliud per modum formæ, hoc est partis determinatæ, & determinantis ad practicam gratiæ significationem. Cum autem Concilium Flor. in Decr. union. generaliter dixerit, Sacramenta novæ legis tribus perfici, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma & persona Ministri, &c. hinc communiter Doctores dicunt, in quolibet Sacramento materiam esse rem sensibilem, quæ in ejus administratione ex Christi institutione adhibetur: formam vero esse verba, quæ rei adjunguntur. Quomodo autem in singulis Sacramentis verba sint forma; quænam singulorum materia, & qualiter inter se conjungi debeant, ut unum Sacramentum componant, commodius explicabitur, ubi de singulis Sacramentis in particulari agendum erit. Solum hic expedienda erunt aliquot quæsita generalia, & communia circa materiam, & formam Sacramentorum.

Quæres primo, An materiæ, & formæ Sacramentorum sint ex Christi Domini institutione determinatæ?

Respondeo affirmative, Ita ut, si non adhibeantur res, & verba à Christo Domino instituta, sed, vel nulla, vel simpliciter alia, non fiat Sacramentum. Ita cum D. Th. 4. p. q. 60. à 5. Catholici omnes contra varios hæreticos apud Bellarm. l. 1. c. 19. idque absolute de fide esse, ostendit Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 2. sect. 3. ex Script. & PP. Idem significat Trid. *sess.* 21. *c.* 2. docens, in Ecclesia semper fuisse potestatem mutandi aliqua circa administrationem Sacramentorum, *Salva eorum substantia*, quibus verbis manifeste innuit, ex certis rebus, & verbis constare substantiam Sacramenti?

Quæres secundo, An determinatio materiæ, & formæ æqualis, seu ejusdem rationis sit in omnibus Sacramentis?

Respondeo negative; Nam in aliquibus Sacramentis materia est determinata in quadam specie ultima, ut in Baptismo aqua elementaris, in Extrema Unctione oleum: in aliis vero materia est determinata in genere aliquo,

plures

plures ſpecies ſub ſe complectente, ut materia proxima Pœnitentiæ, quæ eſt Confeſſio doloroſa, ſive per attritionem, ſive per contritionem, quæ ſpecie differunt, & materia remota, quæ eſt peccatum, ſive mortale, ſive veniale, &c. Determinatio igitur materiæ in Sacramentis ex inſtitutione Chriſti eſt, vel ſecundum genus, vel ſecundum ſpeciem infimam, vel etiam ſecundum individuum: ut in Sacramento Euchariſtiæ pro materia partiali determinatum eſt hoc individuum Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini. Quod vero ad formas attinet, hæ in ſex primis Sacramentis ſunt determinatæ ad ſignificationem ſtricte verbalem, & in quinque primis ſunt quoad ſignificationem determinatæ ad ſpeciem infimam: in Ordine ad genus tantum: in Matrimonio tantum ad genus ſigni externi; nam forma poſſunt eſſe non ſolum verba formalia, ſed etiam æquivalentia, ut ſcriptio, & nutus. Hæc omnia conſtant ex voluntate Chriſti inſtituentis, quæ nobis innoteſcit ex Doctrina Conciliorum, PP. & Theologorum, & ex praxi totius Eccleſiæ: v. Croix hic à n. 9. ad n. 13.

Quæres tertio, An Eccleſia poſſit mutare materias, & formas Sacramentorum?

Reſpondeo, Non poſſe proxime, & formaliter, uti videtur declaraſſe Trident. text. ſup. cit. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. dicens, Eccleſiam poſſe mutare aliqua circa adminiſtrationem Sacramentorum, *Salva* tamen *eorum ſubſtantia*, ſubſtantia autem Sacramentorum ſtat in materia, & forma. Potuiſſet quidem Chriſtus Dominus hanc poteſtatem Eccleſiæ relinquere; at non fuit congruum: decebat enim, ut Sacramentorum valor unice penderet à voluntate Chriſti, ea inſtituentis, tum ut ea eſſent nobis magis æſtimabilia, tum ut in applicatione, & uſu mediorum ita neceſſariorum ad ſalutem perpetua eſſet uniformitas in Eccleſia. Dixi *Proxime*, *& formaliter*, hoc eſt directe tollendo, ſeu non retinendo prædicatum illud in materia, vel illam ſignificationem in forma, quam Chriſtus inſtituit: nam poteſt Eccleſia remote, & materialiter mutare materias, & formas Sacramentorum, hoc eſt retinendo prædicatum illud, & illam ſignificationem, quæ Chriſtus illis ineſſe voluit. Talis eſt mutatio inducta à Trid. in Matrimonio per impedimentum dirimens Clandeſtinitatis; nam pro materia, & forma hujus Sacramenti Chriſtus Dominus inſtituit contractum validum, ſeu legitimum. Jam vero nunquam Eccleſia

effecit,

effecit, nec unquam efficere potuit, ut contractus matrimonialis validus, & legitimus non sit materia Sacramenti; & hoc esset mutare formaliter, & proxime materiam, & formam Sacramenti: sed solum ex potestate, quam habet in hunc contractum, utpote ex Christi institutione sacrum, statuit, ut contractus clandestinus, qui antea erat validus, deinde non esset validus, & sic mutavit materiam hujus Sacramenti tantum remote, & materialiter: non secus ac materialiter, & remote diceretur mutare materiam Calicis, qui vinum aliquod rederet acetum, & sic ineptum ad consecrationem: vide Croix à n. 14. ad 17.

Quæres quarto, Quænam mutatio materiæ, vel formæ invalidet Sacramentum?

Respondeo, Pro resolutione hujus quæsiti duas assignari generales regulas: Prima est, Si mutatio materiæ, vel formæ sit substantialis, non fit Sacramentum. Secunda est, Si mutatio materiæ, vel formæ sit tantum accidentalis, fit Sacramentum. Hæ regulæ admittuntur ab omnibus, ut ostendit Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 2. sect. 2. Notandum tamen, prædictas regulas intelligendas esse de mutatione theologice substantiali, vel accidentali; hoc est, quam Theologus, spectata auctoritate, ratione, & sensu communi prudentium, dicere debet substantialem, vel accidentalem in ordine ad valorem Sacramenti: nam, qui pro aqua utitur nive in Baptismo, vel in Confirmatione chrismate non benedicto pro benedicto: item, qui in Baptismo dicat, *Ego te baptizor*, vel in Pœnitentia, *Ergo te absolve*, quamvis physice mutet materias, & formas tantum accidentaliter; theologice tamen mutat substantialiter, nec conficit Sacramentum. Hinc

Quæres quinto, Quænam mutatio materiæ dicenda sit theologice accidentalis, quænam theologice substantialis?

Respondeo, Quoties materia juxta communem hominum usum, & existimationem est eadem re, & nomine cum illa, quam Christus instituit, non erit mutatio substantialis, sed ad summum accidentalis: si vero juxta communem usum, & existimationem non sit eadem cum instituta à Christo, mutatio dicenda erit substantialis. Exemplum sit in Baptismo. Aqua conversa in glaciem, nivem, grandinem, &c. quamvis physice sit eadem aqua; theologice tamen in ordine ad Baptismum est substantialiter

liter diversa, utpote inepta ad usum abluendi: contra vero, si aqua naturalis calefiat, non solum physice, sed etiam theologice in ordine ad Baptismum erit tantum accidentaliter diversa. Accidentalis etiam dicitur mutatio, quando adhibetur quidem materia instituta à Christo, sed non adhibetur, qualis præcipitur ab Ecclesia: ut, si quis baptizaret quidem in aqua naturali, sed non benedicta. Ita Croix n. 20. & 21.

Quæres sexto, Quænam mutatio formæ sit theologice substantialis, quænam accidentalis?

Respondeo, Tunc esse substantialem, quando non remanet sensus per verba intentus à Christo Domino: esse vero accidentalem, quando talis sensus remanet. Ita communissime Doctores. Notat Suar. octo modis accidere posse mutationem in forma, nimirum Primo, Per mutationem ideomatis: Secundo, Per verba synonyma: Tertio, Per transpositionem verborum: Quarto, Per interruptionem: Quinto, Per additionem; Sexto, Per subtractionem: Septimo, Per corruptionem: Octavo, Per substitutionem aliorum verborum. Jam vero prima, & secunda mutatio est tantum accidentalis; dummodo verba synonyma, quæ adhibentur, non solum significent easdem res, sed etiam eodem modo, hoc est sub simili conceptu, cum voces non solum significent res, sed etiam conceptus: unde hæc forma, *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis*, non est synonyma cum hac alia, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* quia hæc verba longe clarius, quam illa exprimunt Trinitatem personarum, seu tres Personas distinctas: ita Suar. & Dicast. apud Croix n. 31. Quoad interruptionem, quamvis D. Th. hic q. 68. à 8. ad 3. dicat, nomina & verba transposita idem significare, & consequenter non facere, nisi mutationem accidentalem, negari tamen non potest, mutari adeo posse verborum nexum, ut fiat sensus omnino diversus; in quo casu mutatio erit substantialis: ut, si in forma Extremæ Unctionis, *Per istam S. Unctionem, &c.* fieret hæc verborum transpositio: *Quidquid per istam Sanctam Unctionem deliquisti, indulgeat tibi Deus per visum:* quæ transpositio faceret mutationem non solum substantialem, sed etiam blasphemam, ut notat Bernal. apud Croix n. 32. & idem dicendum de hac alia transpositione in forma Eucharistiæ, *Meum est hoc Corpus*, vel *Hoc Corpus est meum:* his enim verbis non significatur transubstantiatio Eucharistica hoc est conversio totius substantiæ

ſtantia panis in Corpus Chriſti, quam ſignificat vera forma *Hoc eſt Corpus meum*, ſed ſolum ſignificatur, hoc Corpus pertinere ad Chriſtum, qui eſt ſenſus longe diverſus. Interruptio, ſi ſit talis, & tanta, ut tollat unitatem orationis, feret mutationem ſubſtantialem, ut, ſi conſecrans poſt verba *Hoc eſt corpus* inciperet concuti tuſſi per dimidium quadrantis, & deinde adderet *meum*, vel ſi baptizans, poſtquam dixerit *Ego te bap.* ſiſtat aliquantulum, vel interloquatur, & inde proſequatur *tizo in nomine, &c.* quia non ſervatur unitas orationis neceſſaria ad faciendum ſenſum intentum à Chriſto Domino. Contra vero, ſi interruptio ſit talis, ut non obſtet unitati orationis, & conſequenter nec ſenſui, ſeu ſignificationi intentæ à Chriſto Domino, erit mutatio accidentalis, ut ſi in caſu nuper propoſito inter *Bap.*, & *tizo* interponatur breviſſima reſpiratio, vel ſi ſic interrumpat: *Ego te baptizo*, (heus pueri ſilete) *in nomine, &c.* Huc reducitur, ſi eadem forma dimidiate ab uno, & dimiate ab altero pronuncietur, ut ſi alter Confeſſarius dicat, *Ego te*, alter, *Abſolvo à peccatis*, etiamſi uterque audierint eundem confitentem: in hoc enim caſu habetur mutatio ſubſtantialis formæ, cum hæc non retineat ſenſum ſuum, quia neuter Confeſſarius facit, quod dicit, ſe facere, ut notat Dicaſt. & Bernal. apud Croix num. 33. Idem accidit, ſi alter ponat materiam proximam, alter formam in iis Sacramentis, in quibus ad veritatem formæ requiritur, ut idem Miniſter ponat utramque, ut ſi in baptiſmo alter ablueret baptizandum, alter diceret, *Ego te baptizo, &c.* Dixi, *ſi eadem forma dimidiate, &c.* nam in formis partialibus ſpectantibus ad idem Sacramentum, continentibus veritates diſtinctas, & ab invicem non dependentes, non fit mutatio ſubſtantialis; ſic in Euchariſtia poteſt unus valide conſecrare panem, & alter vinum: in Ordine poteſt valide unus Epiſcopus conferre poteſtatem conſecrandi, & alter abſolvendi: vide Croix n. 33. Additio mutans ſenſum formæ intentum à Chriſto Domino, ut in baptiſmo collato *In nomine Patris increati, Filii creati, &c.* juxta errorem Arianorum, fert mutationem ſubſtantialem; contra vero accidentalem, ſi non mutet dictum ſenſum, ut ſi quis baptizaret *In nomine Dei Patris, Filii, & Spiritus S.* Quod ſi in fine formæ addantur verba contraria illius ſenſui; tunc, ſi hæc ultima addantur, ut determinativa priorum, inducitur in ea mutatio ſubſtantialis: ſenſus enim priorum

rum destruitur per posteriora verba, cum eorum significatio non compleatur, nisi secundum intentionem loquentis. Contra vero, si addantur, ut virtualiter continentia aliam propositionem; & tamquam in parenthesi, non inducunt in priora verba formæ mutationem substantialem, quia in hac suppositione non restringunt, & consequenter non mutant illorum sensum. Exemplum primi sit, si quis in conficienda Eucharistia dicat, *Hoc est corpus meum immateriale*, quia semper ac vox aliqua additur, ut pars prædicati, recte præsumitur addi, ut determinativa illius. Exemplum secundi potest haberi in eo, qui diceret: *Hoc est corpus meum (quod est immateriale)* si hæc verba adderentur, non ut determinativa priorum, sed modo, & intentione superius explicata. Et idem generaliter dicendum de subtractione, & corruptione, circa quam notat D. Th. q. 60. a 7., facilius induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio vocis, ut si pro *Patris*, dicatur *Matris*, quam si fiat in fine vocis; quia apud Latinos plurimæ sunt inflexiones in fine, quæ non variant significationem vocis. & verus sensus per illa, quæ antecedunt, præoccupatur: hinc corruptio adveniens non ita facile immutat sensum in audiente; & generatim loquendo error in genere, vel in quantitate syllabarum facit mutationem accidentalem. Sic etiam accidentalis mutatio habetur, si quis casu, aut ex ignorantia, aut vitio linguæ dicat *Colpus* pro *Corpus*, *Babaptizo*, pro *Baptizo*, *Calis* pro *Calix*, *Espiritus* pro *Spiritus*: v. Croix num. 36. Substitutio scriptionis, nutuum, aliorumve à verbis signorum, facit mutationem substantialem in omnibus Sacramentis uno excepto Matrimonio. Quod, si in eadem voce una litera substituatur pro alia, dicendo *Matris*, pro *Patris*; vel in eadem forma una vox pro alia, dicendo v. g. in forma Eucharistiæ *Hoc est Corpus Christi*, pro *Hoc est Corpus meum*; tunc substitutio coincideret cum corruptione, & consequenter de hac substitutione idem dicendum est, ac de corruptione. Quare Sacerdos invalide consecraret per illam formam *Hoc est Corpus Christi*, quia non loqueretur, ut debet, in persona Christi: ita Suar. in 3. p. disp. 59. sect. 2. in fin. Ad substitutionem revocatur, si aliqua vox sumatur æquivoce, aut mutetur in æquivocam. In quo casu valet regula tradita à Suar. Vasq. Conin. Dicast. & Bernal., nimirum, quod determinatio ad hunc vel illum sensum peti debet ab inten-

intentione proferentis, vel hac deficiente, à circumstantiis. Hinc, si quis diceret, *Hoc est Calix, &c.* sumendo ly *Hic* adverbialiter, volens significare *Hoc loco*, faceret mutationem substantialem. Similiter, si quis dicens, *Hoc est Corpus meum*, vellet significare meum Sacerdotis, mutaret substantialiter formam, quæ, ut habeat verum sensum intentum à Christo, debet proferri in persona Christi, & significare Corpus meum Christi.

Notandum tamen hic cum Lug. & Amic. apud Croix n. 38. quod, si proferens hujusmodi æquivoca haberet generalem, & prævalentem intentionem significandi, quod Christus significari voluit, & quod Ecclesia intendit, etiamsi per errorem putet, Christum voluisse significare alienum sensum, qui falsus est, adhuc Sacramentum conficeret, ut fusius explicabitur infra, ubi de intentione Ministri. Quod, si ex usu communi, & modo loquendi vox *Amo* in posterum idem significaret, quod vox *Baptizo*, non esset mutatio substantialis in forma Baptismi substitutio vocis *Amo* pro *Baptizo*. Dixi *Ex usu communi;* nam voces habent certam significationem ex institutione, & usu communiter recepto, non ex privata voluntate paucorum hominum unius, vel alterius Civitatis. Ita communiter Doctores cum Dicast. & Amic. apud Croix n. 39.

Quæres septimo, Quomodo peccent mutantes materiam, vel formam in conficiendo Sacramento?

Respondeo, Qui facit mutationem substantialem, sive in materia, sive in forma, per se loquendo, peccat mortaliter; quia est gravis irreverentia contra Auctorem Sacramentorum ponere partes præcipuas Sacramenti, & illud reddere invalidum. Qui vero facit mutationem accidentalem; si hæc sit notabilis, adhuc peccat mortaliter; si non sit notabilis, ad summum peccat venialiter. Dixi *ad summum;* nam poterit simpliciter non peccare, si scilicet mutatio accidentalis non sit contra præceptum Ecclesiæ, sed solum præter usum communiorem Ecclesiæ; ut si quis tempore hyemali baptizaret in aqua tepefacta tantum manu propria, ne noceret infanti.

Hinc inferes primo, peccare mortaliter, qui in Ecclesia latina pro consecratione utitur pane fermentato, vel forma græca: Gob. tr. 2. n. 829. Qui in ea omittit *Novi, & æterni testamenti:* Conin. n. 84. Qui formam Consecrationis dicit lingua vulgari; Bernal. d. 6, s. 5. n. 93. Qui in extrema unctione omittit *Sanctam, & piissimam*

nam misericordiam, aut nomen sensus, qui inungitur: Suar. Bonac. & alii cum Dicast. *de Extr. Unct.* n, 68. Qui formam Baptismi sic profert: *In nomine Filii, & Patris, & Spiritus Sancti:* Aversa q. 66, s. 5. §. 8. Qui in Baptismo omittit notabilem partem cæremoniarum: Bernal. loc. cit., quia sunt mutationes accidentales notabiles. Contra vero venialiter ad summum peccare, qui latinam callens, vulgari lingua baptizat: Dicast. Qui in forma Bapt., aut Pœnit. omittit *Ego*, vel in forma Baptismi, aut Confirmationis *Amen;* Scot. Vasq. Con. Dicast. n. 130. vel in forma consecrationis *Enim:* Suar. Henr. Con. Dicast. *de Euch.* d. 5. n. 63. contra Gabr. Nugn. Vasq. putantes, esse mutationem notabilem. Veniale pariter est formam aliis verbis interrumpere, vel bis dicere unum verbum, vel unam syllabam alicujus verbi sine rationabili causa: Gob. n. 41. Totam autem formam repetere, quamvis sub conditione, esset mortale: Gob. n. 328. cum communi; sicuti mortaliter etiam peccare baptizantem, absolventem, vel confirmantem plures simul, sine necessitate dicendo *Ego vos Baptizo, &c.* docent Scot. Gabr. & Con. putantes, esse mutationem notabilem contra Henriq. Val. Regin. & alios, putantes, non esse notabilem, adeoque non excedere culpam venialem.

Inferes secundo, Facientem absque necessitate mutationem, de qua dubitet, sitne substantialis, an accidentalis, peccare mortaliter contra Religionem, quia sic exponit se formali periculo gravis irreverentiæ contra Auctorem Sacramentorum. Potest etiam peccare contra charitatem, si proximus exponatur periculo privationis magni boni secundum communem æstimationem: quod non verificatur, si Sacramentum, quod exponitur periculo frustrationis, sit facile iterabile, & non sit hic & nunc necessarium. Potest demum peccare contra justitiam, si scilicet ex justitia teneatur ministrare Sacramentum, uti Parochus: v. Croix à n. 44. ad 46.

CAPUT IV.

De Causalitate, & Effectibus Sacramentorum.

VIDENDUM hic primo, Quinam sit effectus primarius omnium Sacramentorum: deinde, Qualiter & Quando causent suum effectum primarium; demum Quinam sit effectus secundarius?

Quæres primo, Quinam sit effectus primarius omnium Sacramentorum novæ legis?

Respondeo primo, Esse gratiam habitualem, seu sanctificantem, quæ à Theologis etiam appellatur *Gratum faciens.* Constat ex Trid. *sess. 7. can. 6. de Sacram.*, & ex Sacra Scriptura. Nam de Baptismo habemus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* De Confirmatione Actor. 8. *Per manuum impositionem dabatur Spiritus Sanctus.* De Eucharistia Joan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo:* quod esse non potest nisi per gratiam. De Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiseritis, &c.* De extrema Unctione Jacob. 5. *Oratio fidei salvabit infirmum:* De Ordine 2. ad Timoth. 2. *Ut suscites gratiam, quæ est in te per impositionem;* Et de Matrimonio Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est:* Unde inferes, Sacramenta novæ legis non esse mera signa, gratiæ dandæ à solo Deo ad illorum præsentiam, sed esse veras causas gratiæ sanctificantis; idque est de fide, ut notat Bellarm. *de effectu Sacramentorum* cap. 2.

Huic effectui gratiæ sanctificantis adnexæ sunt omnes virtutes infusæ sive theologales, sive morales, quia omnes hæ virtutes gratiam sequuntur, & comitantur, ut reginam: quare Sacramentum causans gratiam causat indivisim infusionem dictarum virtutum: ita communiter Doctores ex Trid. *sess. 6. c. 7.* docente, homines *Justificari per susceptionem gratiæ, & donorum.*

Respondeo secundo, Quodlibet Sacramentum præter gratiam sanctificantem, & virtutes infusas, causare gratiam, quæ dicitur Sacramentalis, consistens in speciali quodam auxilio ad consequendum finem proprium cujusque Sacramenti ordinato: e. g. virtute Baptismi confertur auxilium ad servanda omnia præcepta, & ad digne suscipienda reliqua Sacramenta; virtute Confirmationis ad Fidem constanter profitendam, gratiamque conservandam; virtute Eucharistiæ ad tentationes superandas, & gratiam augendam frequenter exercendo actus virtutum; virtute Pœnitentiæ ad detestanda peccata commissa, & integre pro eis satisfaciendum; virtute extremæ Unctionis ad fortius resistendum Diabolo in articulo mortis; virtute Ordinis ad rectum illius usum; virtute demum Matrimonii ad fovendum mutuum amorem conjugum, & fidem matrimonialem servandam. Ita communiter Doctores post D. Th. 3. p. q. 62. a. 2.

Quæ-

Quæres secundo, An omnia Sacramenta novæ legis gratiam causent ex opere operato, hoc est ex institutione Christi?

Respondeo affirmative, Idque definitum esse à Trid. *sess. 7. can.* 8. aliter Baptismus collatus infanti à malo Ministro non causaret gratiam. Hinc inferes, quod, si aliquando detur Sacramentum, & simul adsit actus meritorius operantis; tunc, præter gratiam collatam vi Sacramenti juxta institutionem Christi, confertur etiam alia gratia ex opere operantis, correspondens scilicet actui meritorio operantis.

Quæres tertio, Quomodo Sacramenta causent gratiam, moraliterne tantum, an etiam physice?

Prænotandum hic, causam physicam esse illam, quæ physico, & reali influxu suum effectum attingit; moralem vero, quæ influxu non physico, & reali, sed tantum morali attingit effectum suum. Sic, si quis mandet alteri homicidium, aut det consilium de homicidio, & hic vi mandati, vel consilii hominem occidat, occidens erit causa physica; mandans vero, vel consilium dans erit causa moralis homicidii. Quare omnis causa movens, sive determinans aliam ad causandum physice effectum est causa moralis illius. His prænotatis

Respondeo, Plures, gravesque Doctores apud Pal. p. 8. n. 4. tribuere Sacramentis non solum causalitatem moralem, sed etiam physicam in gratiam, cum talis modus operandi, & Sacramentorum dignitatem extollat, & conformior sit locutioni Scripturæ, Conciliorum, & Patrum asserentium, homines Sacramentis mundari, & sanctificari, quod non videtur salvari per solam causalitatem moralem; per hanc enim Sacramenta solum essent signa excitantia Deum ad dandam gratiam: sicuti chirographus excitat debitorem ad pecuniam solvendam. Addunt, Sacramenta veteris legis fuisse causas morales gratiæ; Circumcisione enim posita ex promissione Divina remittebatur originale: atqui Sacramentis novæ legis tribui debet altior modus operandi, & producendi gratiam: debent igitur non solum moraliter, sed etiam physice gratiam causare. Sed his non obstantibus, probabilius esse censeo, Sacramenta novæ legis solum moraliter causare gratiam. & quod causent moraliter gratiam, videtur certum; actiones enim Sacramentales sunt moraliter actiones Christi, ut merentis nobis gratiam, cujus nomine à suis Ministris ponuntur: hinc D. Aug.

tr. 5. in Joan. hanc reddit rationem; quare baptizati à sceleſtis hominibus, aut ab hæreticis non rebaptizentur, *quia nimirum per Miniſtros, quantumvis malos Chriſtus eſt, qui baptizat.* Actiones autem miniſtrorum principalis nomine factæ, ipſius principalis dignitate moraliter informantur, à qua deſumunt ſuum valorem, qui in præſenti non eſt, niſi vis ſatisfactoria, & meritoria gratiæ Deum, adeoque vis moraliter cauſativa gratiæ. Quod autem hæc ſola vis cauſativa moraliter gratiæ de facto inſit Sacramentis novæ legis, ſuadetur, quia nulla apparet neceſſitas admittendi de facto in Sacramentis miraculoſam hanc phyſicam cauſalitatem gratiæ ultra moralem. Nam primo, Nullum eſt talis miraculi firmum fundamentum in Scriptura, Conciliis, & Patribus: ex quibus ſolum habemus Sacramenta eſſe ſigna practica gratiæ, gratiam continere, & cauſare: quod optime intelligi poteſt de cauſalitate morali. Secundo, tale miraculum neque eſt neceſſarium Sacramentorum dignitati, aut hominum utilitati. Non dignitati Sacramentorum; nam cauſalitas moralis eſt vera cauſalitas: ſic Paſſio, & Mors Chriſti Domini vere dicitur noſtram ſanctitatem cauſare, quamvis eam non cauſet, niſi moraliter; & ſæpe eſt nobilior cauſalitate phyſica, ut colligitur ex D. Aug. in *Pſal.* 63. affirmante, mortem Chriſti potius tribuendam eſſe Judæis à Pilato petentibus ejus crucifixionem, quam Pilato, & gentibus illum crucifigentibus. Neque hominum utilitati; ad hanc enim ſolum facit, quod gratia per Sacramenta ipſis communicetur, & infallibiliter communicetur: & parum refert, ſive phyſice, ſive moraliter communicetur: infallibilitas autem effectus habetur, ſive Sacramenta ſint tantum cauſæ morales, ſive ſint etiam cauſæ phyſicæ gratiæ. Tertio demum, Falſum eſt, quod, ſi Sacramenta eſſent ſolum morales cauſæ gratiæ, eſſent ejusdem virtutis, ac Sacramenta veteris legis, & comparanda eſſent chirographo, quo debitor teſtatur, ſe debitorem eſſe; nam Sacramenta vetera ex dictis non conferebant gratiam, ſed illam conferendam ſignificabant; &, quamvis in Circumciſione gratiam conferebatur, tamen non Circumciſioni, ſed Fidei in Chriſtum venturum; quam Circumciſus, vel ejus Parentes illo ſigno profitebantur, tribuenda erat conceſſio gratiæ. ac proinde ea erat non ex opere operato, ſed ex opere operantis. Sacramenta vero novæ legis ſunt ſigna practica gratiæ, eamque ex opere

ope-

operato conferunt. Chirographum, quo quis se debitorem testatur, non continet debitum, sed solum illud signat: hinc debitor non ob manifestationem chirographi, sed ob obligationem, quam aliunde habet, illud solvendi, cujus obligationis signum est chirographum, debitum solvit: at Sacramenta novæ legis continent merita Christi, & gratiam: quare potius comparari possunt, ut bene notat Con. q. 62. a. 4. n. 131. bursæ plenæ pecuniis alicui concessæ, ut sibi necessaria comparet.

Quæres quarto, Quo tempore Sacramenta gratiam causent?

Respondeo, Sacramenta consistentia in usu, & transeuntia, qualia sunt omnia, præter Eucharistiam, quæ una est Sacramentum permanens, gratiam causare, quando materia, & forma habent perfectam significationem: e. g. in Baptismo, quando materia, & forma habent perfectum sensum, seu cum primo verificatur, quod suscipiens Baptismum sit ablutus, & simul à Ministro abluente prolata sint verba formæ cum intentione requisita, tum ex parte Ministri, tum ex parte suscipientis; tunc causatur gratia, dummodo non ponatur obex. De Eucharistia vero, quæ est Sacramentum permanens dicendum, quod gratiam causat, cum in stomachum trajicitur, quia tunc dicitur manducari; & efficacia, seu causalitas hujus Sacramenti à Christo Domino adnexa est manducationi, ut aperte colligitur ex Evangel. pluribus in locis, & præsertim Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Quæres quinto, An omnia Sacramenta possint causare primam gratiam, hoc est gratiam remissivam peccati mortalis?

Prænotandum, Ex Sacramentis, alia dici *Mortuorum*, quæ scilicet sunt per se ordinata ad justificandum peccatorem, qualia sunt Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ; alia dici *Vivorum*, quæ scilicet ex primaria sua institutione sunt ordinata ad augendam gratiam hominibus justis, qualia sunt cætera Sacramenta. Jam vero certum est, Sacramenta vivorum per se requirere in suscipiente statum gratiæ: ita ut gratiam certo non causant in suscipiente, etsi attrito, si conscientiam habeat peccati mortalis: in quo casu ad recipiendum fructuose Sacramentum teneretur præmittere confessionem Sacramentalem, vel contritionem juxta dicenda inferius. Dubium nunc est, an in aliquo casu per accidens causent

primam gratiam, quando scilicet quis peccati, quod revera est in anima, invincibiliter oblitus, sola præmissa attritione, aliquod ex Sacramentis vivorum suscipit? Ad quod

Respondeo affirmative Cum communiori sententia, quam Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 7. sect. 2. probabiliorem, & magis piam dicit. Ratio est, quia ex Trid. *sess. 7. can. 6.* Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem: atqui in casu adducto accedens cum sola attritione ad Eucharistiam e. g. non poneret obicem. Probatur hæc minor: nam, sicuti peccatum non est obex gratiæ in Sacramentis mortuorum, si quis ad ea cum sola attritione accedat; ita nec in casu nostro: gratis enim assumitur, quod peccatum retractatum per attritionem non sit obex gratiæ solum in Sacramentis institutis ad delenda mortalia; in reliquis vero sit obex. Sacramenta igitur vivorum dicuntur talia, quia per se supponunt gratiam in suscipiente: hoc tamen non obstat, quominus in casu posito per accidens causent primam gratiam: sicuti econtra Sacramenta mortuorum per se causant primam gratiam: hoc tamen non obstat, quominus causent per accidens secundam gratiam, iis videlicet, qui ad illa accedunt perfecte contriti, vel qui solum venialia, vel mortalia remissa clavibus subjiciunt.

Quæres sexto, Quinam sit effectus secundarius Sacramentorum?

Respondeo, Esse characterem, qui à tribus tantummodo Sacramentis, nimirum Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimitur suscipientibus. ut definitum est à Flor. in Decr. Arm. & à Trid. *sess. 7. can. 9.* Est autem character signum indelebile, seu qualitas quædam spiritualis, ac supernaturalis impressa animæ, qua Christo Duci, Principi, summoque Sacerdoti unimur, & in illius servos, milites, ac ministros ad divinum cultum deputamur, & consignamur; nam charactere Baptismi consignamur in servos Christi, ac domesticos Dei; Confirmationis in milites ad tuendam ejus fidem; Ordinis, in Ministros, & dispensatores mysteriorum Dei. Tale signum per se pertinet ad primam speciem qualitatis, quia est qualitas per se data ad ornandum hominem, eumque disponendum ad fines supradictos: reductive autem constitui potest in secunda specie qualitatis, quæ est potentia, quia per eam homo fit aptus, tum ad recipien-

piendum, tum ad operandum: nam charactere Baptismi Baptizatus redditur aptus ad suscipienda reliqua Sacramenta, cum nemo possit valide cætera Sacramenta suscipere, nisi sit Baptizatus; ideoque Baptismus dicitur Janua Sacramentorum, & præterea redditur aptus ad ministrandum Sacramentum Matrimonii: charactere Confirmationis disponitur confirmatus ad reliqua Sacramenta aptius recipienda, & ministranda: charactere demum Ordinis redditur ordinatus aptus ad conficiendum, & ministrandum Sacramentum Eucharistiæ, & ad ministrandum Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis. Igitur character Baptismi est quædam potentia passiva relate ad omnia Sacramenta, & activa relate ad Matrimonii Sacramentum: reliqui duo Confirmationis, & Ordinis, ex nuper dictis, sunt quædam potentiæ activæ; & idcirco characterem reduci posse ad speciem potentiæ; docent Suar. Bon. Laym. Pal. Ex eo autem, quod solum supradicta tria Sacramenta characterem imprimant, infertur, ut definivit Trid. loc. cit. quod solum illa tria sint simpliciter irreiterabilia.

QUÆSTIO II.

De Causa Efficiente Sacramentorum.

INQUIREMUS, Primo, Quænam sit causa efficiens Sacramentorum? Secundo, Agemus de intentione: Tertio, De cæteris requisitis in Ministro ad validam: & licitam Sacramenti confectionem.

CAPUT I.

Quænam sit Causa efficiens Sacramentorum.

DUPLEX est causa efficiens Sacramentorum, altera Sacramentum instituens, altera jam institutum ministrans. Hinc

Quæres primo, Quænam sit causa effectiva instituens?

Respondeo, Certum esse, quod Sacramenta omnia à solo Deo, tamquam à principali auctore, instituta fuerint: cum enim solus Deus gratiæ sanctificantis auctor esse possit, solus Deus instituere potest signa, præ-

sertim practica gratiæ. Ita communissime Doctores cum D. Th. q. 64. a. 2. Hinc, quamvis Christus Dominus, qua Homo est, dicendus sit institutor Sacramentorum, non debet tamen, qua talis, dici primarius Institutor, & Auctor Sacramentorum: nam, qua Homo, Sacramenta instituit ex potestate ipsi à Deo communicata, ob excellentiam talis Humanitatis ratione unionis Hypostaticæ cum Verbo Divino juxta illud Marc. ult. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Christus igitur, qua Deus fuit Institutor Sacramentorum ex potestate auctoritativa; qua Homo, ex potestate excellentiæ, communicata nimirum à Deo tali Humanitati ratione suæ excellentiæ.

Quæres secundo, An ea potestas instituendi Sacramenta, quam habuit Christus, qua Homo est, possit communicari à Deo alicui puræ Creaturæ?

Respondeo, Alios affirmare, alios negare, quorum opiniones conciliare videntur Con. Laym. & Pal. p. 4. n. 3. asserentes, posse quidem communicari, quamvis non cum ea perfectione, qua communicata de facto fuit Humanitati Christi, cui fuit concessa quodammodo ex debito, tum ob excellentiam Personæ, tum ob ejus opera meritoria de condigno talis potestatis. Hac perfectione communicari certe non posse, asserunt, dictam potestatem puræ Creaturæ, cui non potest talis potestas esse debita, neque ratione excellentiæ, neque ratione operum meritoriorum, cum nulla pura creatura possit de condigno mereri alieni peccati remissionem. Solum igitur asserunt, potuisse eam potestatem communicare puræ creaturæ ex liberalitate Divina, vel in præmium alicujus operis boni facti, vel faciendi.

Quæres tertio, Quænam sit causa effectiva ministrans, seu quinam sit Minister Sacramentorum?

Respondeo, De lege ordinaria, & Christi institutione esse solum hominem viatorem: cum enim Sacramenta instituta sint pro cursu hujus peregrinationis, & in ejus subsidium, expediens fuit, ut solus homo in hac vita degens eorum Minister deputaretur. Ita cum D. Thom. q. 64. a. 5. tenent communiter Doctores. Hinc inferes, neque dæmones, neque Angelos, neque homines comprehensores, aut damnatos esse Ministros Sacramentorum. Quod, si aliquando constaret, Angelos Sacramentum aliquod ministrasse, credendum est, ipsis datam fuisse spe-

ſpecialiter, & extraordinarie à Deo poteſtatem conficiendi, & miniſtrandi tale Sacramentum: dæmonibus autem nunquam credendum eſt hanc poteſtatem communicari, ſed potius ex ſua malitia Sacramenti miniſtrationem attentare. Ita D. Th. Con. Sayr. Bon. Suarez, apud Pal. p. 5. n. 1.

Quæres quarto, An quivis homo ſit cujusvis Sacramenti Miniſter?

Reſpondeo negative, idque de fide eſſe contra Lutherum, docet Bellar. l. 1. c. 24. Idipſum definitum expreſſe eſt à Trid. pluribus in locis, & potiſſimum *ſeſſ. 7. can. 16. de Sacram. Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis poteſtatem habere, Anathema ſit.* Quinam vero ſit cujusque Sacramenti Miniſter, commodius ſuis locis explicabitur.

CAPUT II.

De intentione requiſita in Miniſtro ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.

INTENTIO eſt, *Actus voluntatis, quo quis intendit aliquem finem*, ſeu *quo quis ſe determinat ad aliquid faciendum.* Multipliciter dividitur: Primo in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam. Actualis eſt, qua quis actu aliquid intendit, ſeu vult aliquid facere. Virtualis eſt, quæ promanat ab actuali prius habita, nec retractata, & moraliter perſeverante in aliquo opere, ſeu in aliqua ſerie actionum inchoata vi illius intentionis actu aliquando habitæ: ut ſi Confeſſarius diſtractus abſolvat vi voluntatis, qua ad confeſſionem excipiendam acceſſit, vel ſi Parochus diſtractus baptizet, ſed ex voluntate baptizandi prius habita, vi cujus acceſſit ad Eccleſiam, & ſucceſſive præparavit, ac peregit omnia neceſſaria ad validam, & licitam Baptiſmi adminiſtrationem: in tali enim continuata ſucceſſive ſerie actionum ordinatarum ad Baptiſmi collationem moraliter perſeverat illa intentio prius habita tanquam in ſua virtute, & effectu. Habitualis eſt intentio aliquando habita, & nunquam retractata. Interpretativa eſt, quæ nec eſt actu, nec unquam fuit, animus tamen operantis eſt ita diſpoſitus, ut eam haberet, ſi de ea cogitaret. Dividitur ſecundo, In abſolutam, & conditionatam.

tam. Absoluta est, qua quis intendit aliquid independenter à quocunque eventu: conditionata, qua quis aliquid vult dependenter ab aliqua conditione. Dividitur tertio, In directam, & indirectam. Directa est, qua quis vult aliquem effectum in se ipso: indirecta, qua quis vult effectum in causa: sic, si quis inebrietur prævidens, se in ebrietate commissurum homicidium, dicitur directe velle ebrietatem, indirecte homicidium. His positis

Dico primo: Ad valorem Sacramenti non sufficit ex parte Ministri intentio ponendi res, & verba ex joco, neque etiam intentio ponendi nea serio, nec pure materialiter; sed necessario requiritur intentio ponendi ea, ut Sacramentalia. Prima pars est contra Luther. Calvin. & alios asserentes sufficere intentionem ponendi quomodocunque res, & verba, dummodo adsit in suscipiente fides: est tamen de fide partim ex Flor. in Decr. Eug. IV. ad Arm. & ex Trid. *sess. 7. can.* 15. requirentem ad valorem Sacramenti intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; partim ex decreto Leonis X. damnantis hunc 12. Lutheri articulum. *Si Confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.* Quod autem dicitur de absolvente, valet de conficiente quodvis aliud Sacramentum. Altera pars est contra Catharinum, Scribonium, & alios putantes, sufficere intentionem ponendi actiones mere materialiter. Hanc opinionem communiter rejiciunt Doctores, adeo ut Lug. d. 8. n. 15. dicat, parum distare ab errore Hæreticorum; & Vasq. disp. 538. n. 34. putet, esse expresse damnatam: & oppositum esse ab Ecclesia definitum, saltem certissimum esse, ait Croix n. 54. postquam ab Alexandro VIII. die 7. Decembr. 1690. damnata fuit hæc 28. Prop. *Valet Baptismus collatus Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo, quod facit Ecclesia.* Et idcirco Trid. *sess.* 14. *c.* 6. *de Pœnit.* in Sacerdote absolvente requirit animum, non solum serio agendi, sed etiam vere absolvendi. Ratio autem generalis pro omnibus Sacramentis est voluntas Christi Sacramentorum Institutoris, qui juxta Apost. 1. ad Corinth. 4. Voluit, suos Ministros esse, non pure nuntios, seu meros executores, sed *Dispensatores mysteriorum Dei*, ad quos spectat humano modo agere hic, & nunc quidem ad suum arbitrium, sed accommodate ad voluntatem Principalis.

cipalis, cujus vices gerunt: Vide Croix loco supra citat.

Opponunt: Primo Historias tum de duobus pueris inter jocum baptizantibus (& quidem valide, ut declaravit Patriarcha Alexandrinus, & Ecclesia Constantinopolitana) tum de S. Genesio, qui, dum mimum in scena ageret, ut placeret aliis, fecit, se baptizari, & statim martyrii coronam adeptus est: Secundo, Minus consonum esse Misericordiæ Divinæ, quod unice propter culpam ministri nolentis e. g. baptizare, homines damnentur; Tertio, Contractus humanos esse validos, etiamsi desit in contrahentibus intentio contrahendi, dummodo ponatur, quidquid externe requiritur ad valorem contractus: ergo, &c.

Respondeo: Ad primum, in illis pueris fuisse seriam intentionem faciendi verum Sacramentum per hoc, quod fuerit seria voluntas æmulandi totum id, quod faciebant adulti baptizantes: quod non est novum in pueris. Quoad S. Genesium, dico, vel in eo non defuisse sufficientem intentionem pro Sacramento; vel si defuit, illum justificatum fuisse per contritionem, vel per Martyrium subsequens. Ad secundum Alens. Dur. Gabr. & alii apud Aversa. q. 64. f. 3. respondent, Christum Dominum in ejusmodi casibus supplere effectum gratiæ deficientis ex culpa Ministri: Suar. tamen recte docet, hanc suppletionem non fundari in ulla promissione Divina, & carere omni ratione probabili. Dicendum igitur est. tales homines damnari, non propter culpam Ministri, sed propter propriam, vel originalem, vel actualem antea contractam, & non remissam. Quod autem in tali casu non remittatur, non est ex defectu bonitatis in Deo, qui dat media, sed occasionaliter est ex malitia Ministri, quam Deus impedire non tenetur; imo nec potest, salva lege ordinariæ Providentiæ. Ad tertium, Primo, nego assumptum juxta dicta in Tract. de Contract. Secundo, Etiam dato, quod ad contractus inter homines, qui non possunt cognoscere intentiones internas, non requireretur intentio interna, non inde sequitur, quod non requiratur talis intentio in Ministro Sacramentorum, ad hoc ut valeat quasi contractus Dei cum ipso; Deus enim, utpote intuens cor hominis, & potuit, & voluit alligare effectum gratiæ, & validitatem Sacramentorum internæ intentioni Ministri.

Dico

Dico secundo: Intentio indirecta, seu in causa non sufficit ad conficiendum Sacramentum: e.g. si quis prævidens, se in somno, vel ebrietate baptizaturum aliquem, se inebriet, vel somno dedat, etiam eo consilio, ut alium baptizet, invalidus est Baptismus. Ita communiter Doctores; idque extra controversiam esse, ait Vasq. disp. 138. n. 68. Ratio est, quia, nec talis confectio Sacramenti dici potest actio humana, cum non sit facta libere, seu ex deliberatione rationis; nec talis prolatio verborum est locutio humana, utpote non manifestativa mentis, sive judicii præsentis, cum in tali statu non sit usus humanus mentis, sive rationis. Adde, quod talis actus non sufficit ad contractum, & commercium humanum: multo minus igitur satis erit ad actum Ministri, quem Christus voluit esse fidelem dispensatorem mysteriorum Dei: quique attendere debet, ut ponatur debita materia, & bene exprimatur forma in solo matrimonio per procuratorem celebrato potest principalis etiam dormiens, aut ebrius valide contrahere, quia etiam in tali statu vi mandati præcedentis moraliter virtualiter influit in voluntatem procuratoris.

Dico tertio: Nec sufficit in Ministro intentio, sive habitualis, sive interpretativa. Ratio est, quia intentio Ministri debet esse causa actionis, qua ponitur Sacramentum: ex vi enim illius debet positio Sacramenti esse actio humana Ministri agentis nomine Christi, & prudenter dispensantis mysterium Dei: intentio autem, sive habitualis, sive interpretativa, cum neque in se, neque in aliqua sua virtute existat tunc, cum ponitur Sacramentum, non potest ullo modo esse causa actionis, qua ponitur Sacramentum.

Dico quarto: Quamvis in Ministro sit sufficientissima intentio actualis, ea tamen non est necessaria, sed sufficit virtualis. Ita communissime omnes, ait Suar. d. 13. sect. 3. Lugo d. 8. n. 90. Herinc. d. 3. n. 32. Ratio est, Primo, quia hæc sufficit ad vota, ad orationem, ad contractus: ergo similiter sufficiens erit ad conficienda Sacramenta: Secundo, quia, si non sufficeret intentio virtualis, confectio Sacramentorum esset exposita perpetuis dubiis, & scrupulis: est enim supra moralem potestatem hominis semper habere intentionem formalem actualem, cum sæpe nobis invitis sese ingerant distractiones illam impedientes: hinc possemus merito semper dubitare de valore Sacramenti; de quo, cum non dubitent Ecclesia,

&

& Doctores, dummodo Sacramentum sit positum cum intentione virtuali, est moraliter certum, hanc sufficere: Tertio à priori, quia intentio virtualis est sufficienter causa actionis, qua ponitur Sacramentum: est enim quædam virtus prioris intentionis imperans, & dirigens executionem ejusdem objecti: ergo, &c.

Ex dictis infers, eum, qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, non posse prudenter dubitare de intentione requisita, nisi hanc positive excludat: quia sic vult facere, quod alias solet, & quod faciunt similes Ministri, quod sufficit, ut notat Gammach. & Abelly. Præterea in tali casu Minister jam exercite cognoscit, illas actiones esse sacras, & ordinatas ad certos fines: ergo exercite intendit eas, ut tales, & ad tales fines, quod sufficere docet Vasq. Hinc Maur. q. 78. n. 5. recte infert, Ministros Sacramentorum, nisi studiose omiserint intentionem faciendi Sacramentum, vel habuerint intentionem oppositam, inepte dubitare, an habuerint intentionem sufficientem ad valorem Sacramenti. Addit Bellar. opus non esse, expresse, & formaliter dicere ore, aut corde, *Intendo hoc facere, &c.* (hæ siquidem scrupulosæ reflexiones potius devotionem impediunt, animumque perturbant, ut notat Herincx d. 3. n. 28.) sed tantum requiri, ut homo sit præsens animo, & attente faciat, quod facit; ista enim dicuntur intentio in actu exercito, ut loquuntur Cajet. & Less. hic q. 64. a. 8. dub. 2.

Dico quinto: Valide, &, si adsit justa causa, etiam licite conficitur à Ministro Sacramentum cum intentione conditionata de præterito, vel de præsenti jam purificata: illicite, & invalide semper conficitur cum intentione conditionata de futuro (uno excepto Matrimonio) Prima pars patet ex praxi Ecclesiæ: sæpe enim baptizatur infans, si non est baptizatus, si est capax, &c. Dixi licite etiam confici à Ministro Sacramentum cum tali intentione conditionata, *Si adsit justa causa*; nam sine justa causa illicite administratur: & sane veniale peccatum esset explicite addere aliquam ex conditionibus intrinsecis Sacramento, ut sunt omnia illa, quæ requiruntur ad valorem Sacramenti, tam ex parte conferentis, quam ex parte suscipientis, quæ conditiones de se imbibuntur in ipsa intentione conficiendi Sacramentum. Tales sunt hæ conditiones, *Si ipse conficiens Eucharistiam potestatem habeat, Si suscipiens Sacramentum*

mentum sit capax, &c. ita Croix n. 78. At, si conditiones sint Sacramento extrinsecæ, sine quibus scilicet haberi potest Sacramentum, ut *Si Petrus ivit Romam. Si Paulus dormit, &c.* semper grave peccatum erit sub iis Sacramenta conficere; maxime, si sint occultæ; tum quia Christus Dominus noluit, Sacramenta conferri sub conditionibus impertinentibus; tum quia, quando sunt occultæ, exponitur Sacramentum periculo nullitatis casu, quo non adesset conditio, sub qua conficitur Sacramentum: ita Suar. Henr. Bon. & Pal. p. 5. n. 7. Altera pars probatur: quia, si baptismus conferatur e. g. sub hac conditione, *Si cras pluet*, talis baptismus neque potest esse validus, quando ponitur materia, & forma ex defectu intentionis in Ministro non intendente tunc baptismum, sed solum, quando purificabitur conditio, neque potest esse validus, quando purificabitur conditio, quia tunc deest materia, & forma Sacramenti: ergo est simpliciter invalidus. Non est igitur in potestate Ministri Sacramenti valorem, & effectum suspendere, illumque à materia, & forma ex sua voluntate dividere. Excipe matrimonium, quod, cum sequatur naturam, & leges contractus, valide, & licite celebrari potest sub conditione de futuro, e. g. *Si Papa dispensaverit in impedimento, Si Pater consenserit, &c.* Notandum tamen, quod in tali casu non suspenditur, neque sejungitur effectus Sacramenti ab ejus materia, & forma: nam materia, & forma Sacramenti matrimonii non habetur, nisi in contractu absoluto; conditionatus autem contractus non transit in absolutum, nisi purificata conditione: contractus igitur matrimonialis, quousque est conditionatus, non est simpliciter materia, & forma Sacramenti, quæ solum habentur, purificata conditione, quia tunc contractus evadit absolutus.

Quæres primo, Si Minister habeat simul intentiones contrarias, quænam debeat prævalere? e. g. Si velit facere, quod Christus instituit; nolit tamen facere, quod intendit Ecclesia Romana?

Respondeo, Prævalere illam, quæ est magis absoluta, seu quæ, cognita earum incompossibilitate, remaneret irrevocata, altera revocata: utra vero sit talis, erui debet ex dispositione Ministri, si magis sit affectus circa unam, quam circa alteram. Quod, si de hoc dubitetur, dubius erit valor Sacramenti. Sic, si hæreticus velit baptizare, & nolit se conformare Ecclesiæ Romanæ, quia

quia putat, eam errare: ita tamen, ut si sciret, Ecclesiam Romanam non errare, adhuc vellet Sacramentum conficere, & revocaret intentionem non conformandi se Ecclesiæ Romanæ; voluntas faciendi Sacramentum prævalet voluntati non faciendi, quod intendit Ecclesia Romana: &, quia ex communiter contingentibus id præsumitur rationabiliter de hæreticis baptizantibus, dummodo servent materiam, & formam institutam à Christo Domino, idcirco baptismus collatus ab hæretico reputatur validus. Contra vero, si constaret, aliquem ita conferre baptismum sub dictis intentionibus contrariis, ut si sciret, Ecclesiam Romanam non errare, adhuc nollet huic se conformare; tunc dicenda esset prævalens intentio non conformandi se Ecclesiæ Romanæ, seu intentio non faciendi Sacramentum.

Quæres secundo, An intentio Ministri debeat esse determinata ad certam materiam, & personam?

Respondeo affirmative cum Lug. d. 8. num. 111., quia intendere debet præsens Sacramentum, quod constat sua e. g. ablutione: actio enim procedens ex intentione debet cadere supra id, in quod fertur intentio: hinc debet intendere conferre Sacramentum personæ præsenti, cui applicat illam actionem: ideoque, si quis abluerat Cajum, & intenderet baptizare Titium, quem non abluit, invalide baptizaret, & mentiretur, si abluens Cajum intra se diceret, *Volo baptizare Titium.* Similiter, si Sacerdos vellet consecrare alteram tantum ex hostiis sibi præsentibus, eam non determinans: si Confessarius nollet absolvere alterum tantum ex pœnitentibus sibi jam confessis, illum pariter non determinans, neutra hostia consecraretur, neuter pœnitens absolveretur: v. Croix n. 61. ubi advertit, non expedire, quod Sacerdos restringat intentionem ad talem in individuo hostiam, quam ipse apposuerit, vel ad talem in individuo personam; sed potius dirigendam esse intentionem ad personam, & ad materiam præsentem, & sibi moraliter approximatam.

Quæres tertio, An error Ministri circa personam suscipientem Sacramentum obstet illius valori?

Respondeo negative, per se loquendo, excepto matrimonio. Ita communiter omnes cum Vasq. d. 138. c. 7. Ratio est, quia natura sex primorum Sacramentorum non exigit, ut Minister debeat restringere suam intentionem ad hunc, vel illum, cum satis sit, quod intentionem

tionem dirigat ad petentem, sive sit Cajus, sive sit Titius, cum id parum referat ad finem Sacramenti, ut ait Sanch. *de Matrim.* disp. 18. num. 12.. Hinc valide baptizas puerum, licet per errorem putes, esse puellam: valide absolvis virum, licet putes, esse mulierem, quia scilicet intendis baptizare, vel absolvere personam tibi præsentem. Contra vero contrahens matrimonium determinate intendit hanc personam, quia natura matrimonii est, ut inducat obligationem ad semper vivendum cum hac persona, & ad simul educandas hujus personæ proles: hinc error circa personam est error circa substantiam contractus, ipsum invalidans, juxta dicenda in Tract. de Matrim. Dixi, *Per se loquendo;* nam, si Minister expresse non intenderet e. g. absolvere, si is, qui absolvitur, non esset Titius; si revera ille non est Titius, invalida est absolutio: econtra, si contrahens matrimonium vellet contrahere, cum muliere præsente, sive sit Caja, sive Berta, validum esset matrimonium, etiamsi erraret in persona: sed hæc essent per accidens, & præter naturam talium Sacramentorum: v. Croix num. 68.

Quæres quarto, An error Ministri circa formam invalidet Sacramentum?

Respondeo primo, Si error Ministri exterius manifestetur in ipsa forma, & sit talis, ut corrumpat verum sensum formæ, nullum est Sacramentum, quia in tali casu haberetur mutatio substantialis formæ. Exemplum sit in Ariano exprimente in forma baptismi suam hæresim, & baptizante *In nomine Patris Dei, Filii creaturæ, &c.* Quod, si error externe expressus non corrumpat legitimum sensum formæ, stare poterit validitas Sacramenti sub tali errore, utut exterius expresso. Exemplum sit in Ministro baptismi putante, expressionem pronominis *Ego* in forma æque esse necessariam, ac expressionem personarum Trinitatis: talis error, etiamsi exprimeretur in forma, cum non corrumpat ejusdem verum sensum, non obstaret valori baptismi: ita Pal. p. 3. n. 6.

Respondeo secundo, Si error Ministri non manifestetur exterius in ipsa administratione Sacramenti, sed tantum retineatur in corde, etiamsi sit contrarius vero sensui formæ, non invalidat Sacramentum, dummodo Minister intendat facere, quod Christus instituit. Exemplum sit in eodem Ariano credente, Verbum Divinum esse Creaturam

turam, sed talem errorem nullatenus exprimente in forma, adeoque baptizante sub forma consueta *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In tali casu valide, per se loquendo, baptizat Arianus, si intendat facere, quod Christus instituit; nam error ille privatus interius tantum conceptus neque mutat formam, neque impedit debitam intentionem. Non mutat formam, sive ejus sensum, quia hæc non ex privato cujusque arbitrio, sed ex communi usu, hominumque impositione pendet: cum igitur voces *Filii, & Spiritus Sancti* in administratione baptismi ex communi usu, hominumque impositione supponant pro Filio, & Spiritu S., eadem singularem naturam cum Patre habentibus; non poterit privatus error talem impositionem mutare. Neque obstat, voces esse signa conceptuum: &, cum in casu, de quo loquimur, illæ voces significent conceptum falsum Ministri: sequitur, quod habeatur mutatio in significatione. Nam non sunt signa conceptus falsi ex hominum impositione, quamvis à proferente hic & nunc usurpentur ad significandum conceptum falsum: sed ex impositione hominum sunt signa conceptus veri, quem proferens habet, vel habere debet: ita Pal. p. 3. n. 6. Adde, quod in casu, licet Minister habeat falsum conceptum clarum, & explicitum Filii; habet tamen verum etiam conceptum Filii, sed implicitum, & confusum posito, quod intendat facere, quod Christus instituit: v. Croix n. 63. Et hinc est, quod privatus error internus Ministri neque impedit debitam intentionem; nam illa intentio generalis faciendi, quod Christus instituit, est prævalens, absoluta, & efficax, cum hæreticus non habeat voluntatem administrandi Sacramentum secundum suum particularem conceptum, nisi ex suppositione, quod verus sit, & Christi institutioni conformis: ita Suar. Con. Laym, & Pal. n. 8. & colligitur ex Trid. *sess. 7. can. 4. de Bapt. Si quis dixerit; Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

CAPUT III.

De cæteris requisitis ex parte Ministri ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.

GENERALITER loquendo (uno excepto matrimonio, quod sequitur leges contractus) saltem ad licitam

tam Sacramenti administrationem, requiritur in Ministro jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata, cum proprium sit Pastoris Sacramentorum pabula ovibus dispensare. Dixi: *Saltem ad licitam, &c.*; nam in Sacramento pœnitentiæ requiritur etiam ad validam ejus administrationem, cum absolutio Sacramentalis sit ex divina institutione actus judicialis, & invalida sint acta Judicis, si jurisdictionem non habeat.

Hinc requiritur primo, Ut præter potestatem derivatam à Christo Domino, habeat etiam ab Ecclesia facultatem administrandi Sacramentum. Hinc graviter peccat Episcopus Ordines conferens etiam subdito proprio, sed in aliena Diœcesi sine illius Episcopi facultate: peccat simplex Sacerdos conferens alienis ovibus propria auctoritate Sacramenta: peccat laicus baptizans extra necessitatem: peccant omnes, qui per censuras, vel per statuta Ecclesiæ privati sunt jure, vel usu administrandi Sacramenta, si illa administrent.

Requiritur secundo, Ut servet in Sacramentorum administratione ritum ab Ecclesia, vel universali consuetudine præscriptum; aliter peccabit graviter, vel leviter juxta materiam.

Requiritur tertio, Per se loquendo, ad cujuscunque Sacramenti licitam administrationem status gratiæ in Ministro, ita ut mortaliter peccet, quicunque Sacramentum in peccato mortali conficit, sive sit specialiter ordinatus, sive non ad talis Sacramenti confectionem, ita Croix n. 91. cum D. Th. q. 64. a. 6. Catech. Rom. Nav. Dur. Ang. Hurt. Bas. Pont. Vasq. Lug. Pal. & aliis, Primo contra nonnullos apud Moyam r. 1. t. 4. q. 1. §. 1. dicentes, probabile esse, quod non sit mortale à quocunque Sacramentum conficiatur, quæ sententia improbabilis reputatur à Ledesm. Turr. Leand. Dian. Secundo, contra Cajet. Suar. Val. Con. Bonac. Præp. Sanch. Jann. Avers. Escob. & plures alios docentes, esse mortale: si Minister Sacramentum conficiens in peccato sit specialiter ad id ordinatus: in alio vero, qui ad hoc ordinatus non est, esse veniale. Tertio, contra alios, qui dicunt, fore veniale tantum, etiam in specialiter ordinato ad Sacramenti confectionem, si illud non conficiat solemniter. Quarto demum contra aliquos Scotistas, & Canonistas docentes. nullum peccatum esse, si Minister nec sit specialiter ad id ordinatus, nec faciat solemniter, ut esset laicus privatim baptizans.

Por-

Porro noſtra aſſertio probatur: Primo, Auctoritate Sanctorum Patrum apud Suar. diſp. 16. ſect. 3. qui abſolute id aſſerunt de Miniſtro indigno, non diſtinguentes inter ordinatum, & non ordinatum, inter ſolemniter, & non ſolemniter miniſtrantem: &, quamvis tantum in genere dicant, peccari; ex materiæ tamen gravitate ſatis innuunt peccari mortaliter. Probatur ſecundo ratione intrinſeca, quia Miniſter Sacramenti ex dictis quæſt. præced. agit nomine Chriſti, cujus principaliter eſt actio illa, qua Sacramentum conficitur, & inſuper immediate per propriam actionem influit in Sacramentum, & conſequenter cooperatur Deo in ſanctificationem animarum; videtur autem gravis irreverentia erga res Sacras, & Deum ipſum hæc agere in ſtatu divinæ inimicitiæ, quia ſic Miniſter ſe peſſime difformat à dignitate rei, quam peragit, & à Sanctitate illius, cui cooperatur.

Dixi, *Per ſe loquendo*; nam, ſi adſit neceſſitas abſolvendi e. g. moribundum, nullum peccatum eſt, ut habet D. Th. cum communi, teſte Dicaſt., nam jus divinum, & charitas magis obligat ad ſuccurrendum proximo in neceſſitate ſpirituali, quam ad attendendam reverentiam Sacramenti, contra quam non agitur in ea neceſſitate. Sicuti ex Dicaſt., quamvis, per ſe loquendo, irreverenter ſe gereret famulus erga Dominum, ſi tecto capite ante illum tranſiret; attamen, ſi filium Domini ſubmergendum videret, niſi tecto capite ad eum è naufragio eripiendum procurreret, nullam in Dominum irreverentiam committeret, ſed potius culpandus eſſet, ſi non ita faceret. Addit Moya, idem dicendum eſſe, ſi Confeſſarius non poſſit ſe tam cito diſponere ad contritionem, & abſolutionem differendo incurret gravem notam, vel infamiam; hæc enim neceſſitas etiam videretur eum excuſare.

Ex dictis infers, peccare mortaliter I. Baptizantem in mortali, etiamſi ſit laicus: II. Sacerdotem conſecrantem in mortali; quod, ſi in mortali etiam communicet, eſt aliud ſpecie peccatum, quod evitaret, ſi ante communionem contritionem eliceret, & tunc in confeſſione ſufficeret dicere *Conſecravi in mortali*; in priori tamen caſu deberet dicere *Conſecravi, & communicavi*, vel uno verbo *Celebravi in mortali*. Quod, ſi poſt conſecrationem incideret in mortale, & in eo ſibi ipſi daret communionem, committeret peccatum ſpecie diver-

sum ab eo, cui communio daretur ab altero, quia est diversa malitia indigne suscipere, & indigne ministrare Eucharistiam: Lug. Averss. Dicast. apud Croix n. 93. quare consecrans, & postea seipsum communicans quadruplicem diversam malitiam contrahit, quia nimirum Eucharistiam in mortali: Primo conficit: Secundo ministrat: Tertio ministrat indignis: Quarto suscipit indignus. Probabile tamen est, secundam malitiam, quia indignus ministrat, non esse mortalem: v. Croix n. 94. III. Confessarium in mortali absolventem. An autem toties, quoties absolvit; etiamsi continuate confessiones audiat, dicetur in Tract. de Pœnit. IV. Episcopum consecrantem alium Episcopum, vel conferentem Ordines minores in mortali, suppositio, quod tam Episcopatus, quam Minores Ordines sint Sacramentum, ut multi de Episcopatu, & communis sententia de Minoribus Ordinibus docet. V. Contrahentem matrimonium in mortali, non solum, prout est suscipiens, sed etiam prout est ministrans Sacramentum, juxta dicenda in Tract. de Matrim.

Inferes præterea, Ministrum Ecclesiæ non peccare mortaliter, si in mortali obeat quascunque alias functiones sacras, etiamsi sint exercitium alicujus Ordinis (dummodo non sint actiones, quibus conficiatur aliquod Sacramentum) ut sunt Consecratio Chrysmatis, Calicis, &c. facta ab Episcopo, vel collatio primæ tonsuræ, vel solemnis benedictio nuptiarum facta à Sacerdote, & similia: Henr. Sot. Suar. Val. Con. Bonac. Vasq. Laym. apud Pal. p. 6. n. 2., qui hanc sententiam probabiliorem existimat; quia neque ex muneris sanctitate, & dignitate, neque ex deputatione ad illius exercitium videtur colligi, gravem irreverentiam esse ea exerceri in peccato mortali. Peccant tamen venialiter, qui in mortali obeunt munia Sacro Ordini adnexa. ita Lugo contra Vasq. quia videtur esse aliqua irreverentia in statu peccati mortalis exercere ea, quæ specialiter requirunt Ordinem Sacrum. Hinc nonnisi venialiter peccat Episcopus in mortali solemniter benedicens populum, vel Sacerdos solemniter benedicens nuptias, vel Diaconus, aut Subdiaconus solemniter exercens proprium Ordinem. Quod, si functiones non sint adnexæ Ordini Sacro, ut est assistentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia Parochi ad matrimonium, ministratio ampullarum in Missa solemni facta ab Acolytho, exercitium non solemne Diaconatus, vel Subdiaconatus, &c.

Bernal.

Bernal. & alii docent, nullum peccatum committi: Aversa tamen dicit, committi veniale: v. Croix n. 99.

Quæres primo, An in administratione Sacramentorum licite Minister utatur sententia tantum probabili?

Respondeo, Mortaliter peccare, qui in conficiendo Sacramento sequitur sententiam tantum probabilem de ejus valore, relicta tutiore. Est certum ex Propos. prima proscripta ab Innoc. XI. quæ sic habet: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis:* Ratio est, quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis: unde, sicuti gravis irreverentia est contra Sacramentum, adeoque peccatum contra Religionem Sacramentum frustrare, seu nulliter conficere; ita exponere se periculo nulliter faciendi Sacramentum: in moralibus enim facere, & exponere se periculo faciendi idem censetur. Ex qua ratione generali pro omnibus Sacramentis sequitur, peccare mortaliter Ministrum, etiamsi Sacramentum administrandum non sit necessarium ad salutem. Potest etiam tale peccatum esse mortale contra charitatem, quia sic conferens Sacramentum exponit suscipientem periculo carendi fructu Sacramenti. Demum potest esse mortale contra justitiam, si scilicet Minister teneatur, aut gerat vices illius, qui tenetur ex officio, vel contractu Sacramentum ministrare, quia tunc in se suscipit obligationem illius. Imo Jo. Sanch. Rhod. & alii putant, contra Dicast. quemcunque Ministrum utentem probabilibus, omissis certis, peccare contra justitiam, quia hoc ipso, quod ministrare vult, tacite se obligat ad sic ministrandum, ut res exigit, & pro jure suo sibi ministrari vult suscipiens, qui omnino vult, sibi adhiberi certa, petiturus ab alio, si sciret, ab hoc adhiberi tantum probabilia omissis certis. Dixi, Ministrum peccare mortaliter. si sequatur sententiam probabilem *De valore Sacramenti*, relicta tutiore; nam, si sequatur sententiam probabilem, non de valore, sed solum de modo ministrandi, non peccat: ita cum communi Gard. & Gorm. apud Croix n. 121.

Ex dictis sequitur primo: peccare graviter etiam suscipientem, si sequatur opinionem tantum probabilem de valore Sacramenti pendentem ab ipso relicta tutiore,

cum sic etiam ipse exponat Sacramentum periculo nullitatis ; &, quamvis Decretum Inn. XI. expresse loquatur de solo conferente; tamen idem est de suscipiente. ita Card. Gorm. aliique communiter contra Vasq. Dian. & Hosez. Hinc, quamvis non sit formaliter damnatum, quod suscipiens, licite sequatur opinionem probabilem relicta tutiore dici tamen decet virtualiter damnatum, cum legitime inferatur ex propositione damnata: Croix n. 105.

Sequitur secundo, graviter peccare, qui in conferendis, vel suscipiendis Sacramentis adhibet extra necessitatem materiam, vel formam dubiam, vel tantum probabilem, seu dubie, aut probabiliter tantum validam. Dixi *Extra necessitatem;* nam in necessitate, quando scilicet Sacramentum conferri, & suscipi debet, nec potest practicari opinio tutior, quia necessitas non subditur legi: sic si Judæus moribundus baptismum peteret, nec adesset alia aqua, nisi tantum rosacea, quæ est materia dubia, posses, imo deberes in ea baptizare, saltem sub conditione, quia in tali casu non libere omnino omitteretur materia tutior, sed ea haberi non posset; & necessitas illa, ac periculum æternæ damnationis illius hominis faceret, ut non esset irreverentia exponere Sacramentum periculo nullitatis: Card. & alii communiter. Addit Schild. *de Consc.* t. 6. n. 2. quod, quando adest magna causa conferendi Sacramentum, quia, v. g. agitur de peccatore justificando, qui alia vice non facile redibit ad confessionem, nec sinet, se adduci ad renovandam præparationem, possit absolvi sub conditione, *Si est dispositus*, quamvis dubitetur de valore absolutionis, quia talis spes gratiæ per Sacramentum causandæ videtur prævalere obligationi non conferendi Sacramentum cum periculo nullitatis. Idem innuere videtur Arriaga d. 20. n. 1. dicens, excusare fortasse etiam utilitatem, cui in tali casu videtur esse conjuncta etiam quædam necessitas.

Sequitur tertio, tam conferentem, quam suscipientem Sacramentum licite sequi opinionem moraliter certam, omissa tutiore de valore Sacramenti. Ratio est; quia moralis certitudo excludit omne prudens dubium de nullitate Sacramenti: hinc licite Fideles cum sola attritione supernaturali accedunt ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, quamvis tutior sit sententia docens, requiri contritionem. Et hinc ulterius sequitur, quod

liceat

liceat operari secundum sententiam probabilem, etiam quando agitur de valore Sacramenti, quando aliunde advenit practica certitudo, quod Ecclesia suppleat, aut dispenset in aliquo ad valorem Sacramenti requisito: quod præcipue contingit in Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonii. Hinc

Fit primo, quod, quando habetur error communis de jurisdictione, seu potestate alicujus, sive ordinaria, sive delegata ad aliquid faciendum; tunc, si adsit titulus coloratus, seu putativus; v. g. si ad tale munus destinatus aliquis sit à legitimo Superiore, quamvis ob latens aliquod vitium jurisdictione, aut potestate illa careat; tunc certum est, quod Ecclesia, si possit, suppleat, vel dispenset. Patet ex cap. *Infamis, caus.* 3. *q.* 7. & *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris.* Et ita communissime Doctores cum Sanch. *de Matr.* l. 3. d. 22. estque nunc certa omnium Theologorum sententia, inquit Spor. *de Pœnit.* n. 714. quia ita postulat officium supremi Principis, & utilitas communis ad vitanda gravia incommoda, & inconvenientia. Neque in tali casu requiritur bona fides, aut error in eo, qui ponit actum, neque in illo, circa quam ponitur actus, ut docent Sanch. Bon. Pal. contra Bald. Tiraq. Lop. & alios, quia jura ex motivo utilitatis publicæ ita disponunt in errore communitatis, & non ob errorem hujus, vel illius hominis. Peccat tamen secundum omnes, qui ita usurpat jurisdictionem, quam scit, se antecedenter non habere, cum id sit ab Ecclesia prohibitum: Croix n. 114. Quod si adsit error communis, sed desit titulus coloratus, ut si quis communiter putetur esse verus Parochus, sed in Parochiam ingressus sit sine titulo, & auctoritate legitimi Superioris, sit tamen in possessione sui officii, seu putatæ jurisdictionis, adhuc docent Jo. Sanch. Pont. Schil. & alii duodecim cum Dian. p. 2. tr. 16. res. 43. Ecclesiam supplere, quia hic etiam militat ratio boni communis. Contradicunt tamen Suar. Fagund. Less. Regin. Con. Bonac. Sanch. Card. & alii, quia jura, quando id statuunt, semper faciunt mentionem auctoritatis Superioris, quæ intervenire debuerit. Pal. Tamb. & alii utramque sententiam dicunt esse probabilem. Secunda ut communior, ita etiam est probabilior: v. Croix n. 115.

Fit secundo, quod, præscindendo ab errore communi cum titulo colorato, quando habetur opinio probabilis

e. g. pro jurisdictione, vel absentia impedimenti, tunc etiam Ecclesia supplet, vel dispensat, si possit. Et hoc in praxi tutum, & moraliter certum esse, dicunt Sanchez, Verric. Dicast. Tambur. Card. Ills. Spor. & Gob. Ratio est, quia hæc est sententia communissima, ut ait Croix n. 117. idque scit Ecclesia: si ergo non improbet, cum facile posset, ideoque deberet; jam certum est, in hoc casu dari jurisdictionem, si forte desit, vel dispensari in impedimento, si forte hoc adsit; v. Croix n. ibid. & 118.

Fit tertio, quod, quamvis agatur de valore Sacramenti, neque sit casus absolutæ necessitatis, neque Ecclesia possit supplere, aut dispensare; nihilominus licitum est operari secundum sententiam probabilem, si alioquin administratio, aut susceptio Sacramentorum fieret obnoxia nimiis scrupulis, aut difficultatibus: ita multi Doctores cum Illsung. Ratio est, quia certum est, Christum Dominum non ita instituisse Sacramenta, ut voluerit eorum administrationem, ac susceptionem esse moraliter impossibilem, & odiosam fidelibus ministraturis, aut susceperis: ergo certum est, quod administratio, aut susceptio Sacramentorum obnoxia nimiis scrupulis, & difficultatibus non sit secundum institutionem Christi: ergo, si non sit alius modus vitandi talem administrationem, aut susceptionem, nisi operando secundum sententiam tantum probabilem, licitum erit secundum hanc operari: aliter non posset baptizari infans, quem Parentes dicunt, non esse baptizatum, quia tale testimonium, cum sit fallibile, non facit, nisi probabilitatem: item absolvi non posset, qui putatur probabiliter dispositus; imo vix ullus unquam absolvi posset extra mortis articulum, ut notat Carden. quia vix unquam habere possumus certitudinem de dispositione pœnitentis.

Quæres secundo, Quandonam, & quomodo Minister reitare debeat Sacramentum?

Respondeo, Quando adest prudens dubium de valore Sacramenti, sive sit dubium juris, sive facti, reiterandum esse sub conditione, maxime Sacramentum Baptismi, & Ordinis Sacerdotalis, ex quorum nullitate multa, & gravia sequerentur incommoda: &, si sæpius occurrat nova causa prudenter dubitandi de valore Sacramenti jam sæpius collati, potest, & debet sæpius sub conditione iterari. Quod, si moraliter certum sit, Sacramentum fuisse invalidum, debet absolute, & sine con-

conditione illud conferri. Si vero nulla sit prudens causa dubitandi de Sacramenti valore, sed solum oriuntur leves scrupuli, ne conditionate quidem iterandum est. Hinc, qui judicare debet, se recte confeciſſe Sacramentum, e. g. recte pronunciaſſe formam, per se loquendo peccat mortaliter formam repetendo, quia judicare debet, se repetendo nihil effecturum: unde repetere, ac si velit repetendo aliquid efficere, erit illudere institutioni divinæ. Debet autem judicare, se recte confeciſſe Sacramentum ille, qui tantum leviter dubitat, inaniter suspicatur, aut timet, & nescit, cur timeat, eo quod non occurrat motivum prudens, sed solum hoc, aut simile, *Forte male pronunciavi: Possum male pronunciaſſe: Non scio reflexe, me bene pronunciaſſe, &c.* Verum Lean. Tamb. Gob. Spor. excusant à mortali illos, qui, ut liberet se à molesto scrupulo, repetunt ita formam sub conditione, quia, cum agant ex metu, ne offendant Deum, non videtur gravis irreverentia contra Sacramentum, sed tantum levis ex imprudentia. Addit Gob. posse multos sic repetentes excusari ab omni peccato, quia sæpe non apprehendunt inanitatem sui scrupuli; & quia sunt perplexi, timentque adhuc magis peccare, si non repetant, & quia non habent tempus examinandi rem absque suo rubore, & aliorum tædio, putant potius faciendam esse repetitionem. Tenentur tamen antecedenter sibi formare judicium, quod non sit opus repetere, & illi standum est postea, contempto omni timore. Plura vide apud Croix à n. 123. ad 132.

Quæres tertio, An, & quando teneatur Minister Sacramenta ministrare?

Respondeo primo, Qui ex officio est Pastor, tenetur ex justitia suis subditis, etiam extra gravem necessitatem, rationabiliter petentibus ministrare: tum quia ad hoc se obligat, qui assumit officium Pastoris; tum quia intercedit contractus, vi cujus accipit stipendium, vel sustentationem, vel saltem honorem à subditis, sub onere præstandi ea, quæ sunt Pastoris, inter quæ præcipuum est ministrare Sacramenta. Sunt Pastores respectu Secularium Episcopi, Parochi, & cum ipsis curam subsidiariam habentes ex obligatione; respectu Religiosorum Superiores. Peccat igitur Pastor, si exhibendo se nimis morosum, & difficilem, subditos absterret, quo minus Sacramenta petant; hoc enim est æquivalenter Sacra-

menta negare: ſicuti peccaret etiam Parochus, ſi renueret Euchariſtiam pro Communione deferre ad ægros petentes etiam extra mortis articulum, maxime in Feſtis ſolemnioribus. Non erit tamen mortale ſemel, aut iterum negare petenti extra neceſſitatem, & absque extraordinaria cauſa, quia non cenſetur ſubditus graviter invitus, cum agatur de damno facile alias ſupplebili.

Reſpondeo ſecundo, Miniſter, qui non eſt ex officio Paſtor, non tenetur ex juſtitia Sacramenta miniſtrare; tenetur tamen ex charitate etiam cum vitæ ſuæ periculo Sacramenta neceſſaria miniſtrare in extrema neceſſitate: nam ex lege charitatis unusquisque tenetur ſuccurrere proximo extreme indigenti.

Quæres quarto, An licite miniſtretur Sacramentum indigno, hoc eſt illi, qui valide quidem ſuſcipiat, ſed ſine fructu gratiæ?

Reſpondeo negative, per ſe loquendo; quare grave peccatum eſt, per ſe loquendo, Sacramentum miniſtrare indigno. Eſt communis cum D. Thom. q. 80. art. 6. & Suar. d. 67. qui loquitur de Euch. ſed eadem doctrina eſt facile applicabilis cæteris Sacramentis. Ratio autem eſt: Primo, quia lex naturæ obligat Diſpenſatorem ad fideliter, & juxta voluntatem Domini diſpenſanda bona illius, quæ in caſu eſt, ut non conferantur indignis, juxta illud Matth. 7. v. 6. *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos:* Secundo, quia virtus Religionis poſtulat, caveri irreverentiam, quam indigne ſuſcipiens irrogat Auctori Sacramentorum, & Sacramento: Tertio, quia lex charitatis prohibet cooperationem ad peccatum proximi; & omnes hæ obligationes, cum ſint in materia gravi, ſunt graves. Hinc tenetur Miniſter attendere, an petens Sacramentum ſit dignus, ita ut debeat prudenter præſumere, eſſe dignum, ut licite Sacramentum illi miniſtret: non requiritur tamen eadem diligentia, & præcautio pro omnibus Sacramentis, ſed juxta naturam cujusque, & commune prudentium judicium. In Sacramento Pœnitentiæ requiritur exactior inquiſitio diſpoſitionis pœnitentis; tum quia Miniſter in hoc Sacramento agit partes Judicis; tum quia diſpoſitio pœnitentis requiritur ad valorem Sacramenti. Idem dicendum in Sacramento Ordinis, utpote ordinato ad bonum non privatum, ſed commune, ad quod procurandum ſpecialiter obligantur Epiſcopi. In

Ma-

Matrimonio tenetur Parochus specialiter inquirere in impedimenta, quia ad id constituitur ab Ecclesia. In Baptismo adulti inquirendum est in ejus consensum requisitum ad valorem; & præterea in ejus fidem, spem, & attritionem, &c. In reliquis communiter quisque præsumitur dispositus, qui petit: nisi constet de opposito, ut ait Dicast, & Herincx.

Dixi initio responsionis, *Per se loquendo.* Nam quandoque excusant damnum ministrantis, infamia suscipientis, aliorum scandalum, & sigillum confessionis. Hinc resolves sequentes casus.

I. Peccatori publico, sive publice, sive privatim petat, sive sit simpliciter publicus peccator, sive tantum secundum quid, hoc est tantum respective ad præsentes, ordinarie negari debet Sacramentum; ita cum Sanctis Patribus apud Suarez, s. 2. docet D. Th. superius cit. Ratio patet ex dictis. Dixi *Ordinarie;* nam, si minaretur mortem, nisi Sacramentum sibi ministraretur, Suar. Bonac. Gob. Dicast. Escob. & alii contra Led. & alios docent, ministrari posse: si enim talem ministrationem excusat notabilis infamia occulti peccatoris publice petentis, ut mox dicetur, cur non excuset mors vel similis infamia ministrantis? dummodo non petatur in odium Fidei, vel in contemptum Religionis, vel Ecclesiæ, quia in hoc casu nunquam liceret. Idcirco notant citati Doctores, præceptum non ministrandi Sacramentum indigno non esse pure negativum, obligans semper pro semper, sed resolvi in affirmativum, nimirum in præceptum fideliter dispensandi. Quod, si peccator non sit simpliciter publicus, sit tamen notus plerisque præsentibus, non tamen omnibus, Suarez, & Bonac. dicunt, ei non esse negandum Sacramentum, quia petens retinet jus ad famam relate ad illos, quibus est ignotum suum crimen, & scandalum aliorum erit passivum tantum. Econtra Con. docet, esse negandum, cum sit peccator simpliciter publicus relate ad hos. Dic. probabiliter dicit negandum esse, si unus tantum, aut alter ignoret. Si vero Titius sit publicus peccator hic Neapoli, non Romæ, ubi supponimus prorsus ignotum ejus crimen, & Romæ petat Sacramentum, Vasq. Fagund. & alii apud Dicast. dicunt, ei non esse negandum, nisi probabiliter credatur, ejus crimen statim ibi esse divulgandum, sed probabiliter negari posse sine læsione charitatis docet Croix n. 140. cum Suar. Bon. Pal. & aliis.

II. Pec-

II. Peccatori publico in articulo mortis petenti non est negandum Sacramentum: ita cum communi Suar. quia quisque præsumitur se tunc velle disponere, & necessitas tollit scandalum, vel illud tollet Minister publicando pœnitentiam occultam moribundi, quod faciendum esse, putat Tambur. si ad eum deferenda publice esset Eucharistia.

III. Peccatori occulto publice petenti Sacramentum, non est negandum. Ita statuitur in Conc. Carthag. VII. ut refertur cap. *Placuit cauſ. 6. q. 2.* Idem habetur cap. *Si Sacerdos, de off. jud. ordin.* ubi Eug. I. Papa id confirmat exemplo Christi Domini non repellentis Judam à Sacra Communione, quem occulte noverat indignum. Idem docent D. Thom. & alii communissime, teste Dicast. Ratio potissimum desumitur ex infamia, quæ redundaret in petentem, vel ex scandalo aliorum, si Sacramentum negaretur, cum obligatio vitandi infamiam, & scandalum aliorum prævaleat obligationi non ministrandi Sacramenta indignis: quare in hoc casu Minister tantum permitteret illam indignam susceptionem Sacramenti, ne sit causa gravis infamiæ petentis, aut gravis scandali aliorum: v. Croix n. 144.

IV. Peccatori occulto petenti occulte negari debet Sacramentum; quia, cum per hoc non lædatur ejus fama, viget obligatio legis Naturæ, Religionis, & Charitatis. Excipiendum est semper, nisi Minister notitiam criminis haberet ex sola Confessione; tunc enim liquet, quod ne monere quidem illum posset, sed pergere deberet, ac si nihil sciret. Hinc Sanchez, *de Matr.* l. 3. d. 36. Valent. Layman. Dian. Escob. Lug. & alii recte docent contra Suarez, Vasq. Dicast. negari non posse, prætensis aliis causis, quia peccator satis adverteret, negari propter indignitatem suam, & sic tacite reprobaretur ipsi suum peccatum, quod esset frangere sigillum.

Quæres quinto, An liceat Ministro ob metum gravem simulare administrationem Sacramenti?

Respondeo negative; Nam Innocent. XI. damnavit hanc Propos. 29. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Ratio damnationis est; quia simulare administrationem Sacramenti dicitur, qui profert formam Sacramentalem supra materiam

teriam sine intentione conficiendi Sacramentum: sed hoc continet gravem irreverentiam contra Sacramentum, cum sit abusus rerum Sacrarum, & quædam illusio Dei, & insuper est mentiri facto in re gravi, cum exercite, & facto dicat, se baptizare, absolvere, &c. cum sciat, hæc omnia non fieri: ergo graviter peccat, quicunque hoc modo simulat administrationem. Quamvis autem exhibitio hostiæ non consecratæ pro consecrata non sit simulatio Sacramenti, quod ibi non est, & cujus nulla pars ibi ponitur; ea tamen non est licita ad vitandum scandalum; e. g. quia deest hostia consecrata pro Viatico dando moribundo, vel quia aliquis in Paschate non potest se disponere ad Communionem. Ratio est, quia sic hostia non consecrata exponeretur adorationi tum adstantium, qui committerent idololatriam materialem, tum ipsius communicaturi, qui, etsi sciat, illam hostiam non esse consecratam, susciperet tamen illam cum externa reverentia, ac si esset consecrata, & consequenter scienter committeret idololatriam saltem externam: utrumque autem est intrinsece malum. Quod si scandalum populi, vel infamia non potentis se disponere ad Communionem posset vitari per hoc, quod Sacerdos ex conventione diceret tantum illa verba, *Corpus Domini nostri, &c.* & transiret hominem, hostiamque occulte reponeret in ciborio, hoc non videtur illicitum, ut notant Henr. Dian. Leand. & Moya.

Ex dictis sequitur: Primo, quod, quamvis damnatio non loquatur de quocunque metu, neque determinate de metu mortis, intelligenda tamen est de quocunque metu, & determinate etiam de metu mortis. Ratio est, quia, sicuti propositio damnata procedit indefinite, ita etiam indefinite procedit damnatio: ergo, cum propositio damnata possit intelligi, vel universaliter, vel particulariter, damnatio illi contradicens intelligi debet, tum universaliter, tum particulariter, ita ut verum sit, quod nullus metus gravis sit causa justa simulandi administrationem Sacramenti: Secundo, quod, quamvis damnatio expresse loquatur solum de simulatione administrationis; virtualiter tamen damnatur etiam simulatio susceptionis Sacramenti saltem transeuntis: est enim par ratio; cum æque sit de essentia Sacramenti transeuntis intentio suscipiendi, & intentio conficiendi; ideoque æque est contra reverentiam Sacramento debitam illusio DEI, &

reale

reale mendacium simulare administrationem, ac susceptionem Sacramenti.

QUÆSTIO III.

De Subjecto Sacramentorum.

Quæ ad subjectum Sacramentorum pertinent, duobus capitibus complectemur, in quorum primo inquiremus, Quodnam sit subjectum capax Sacramentorum, & Quænam intentio requiratur? In altero Quænam dispositio?

CAPUT I.

Quodnam sit Subjectum capax Sacramentorum, & quænam Intentio in eo requiratur?

Solus Homo viator est subjectum capax Sacramentorum; idque, suppositis Principiis Fidei, certum, & evidens esse, dicunt Suar. Vasq. Gran. Ratio autem à priori est voluntas Christi Domini Institutoris Sacramentorum, quam colligimus, tum ex constanti Ecclesiæ traditione, tum ex consensu Theologorum teste Espersa q. 22. Congruentia vero est, quia juxta ordinem præsentis providentiæ solus homo viator est capax primæ gratiæ, vel augmenti gratiæ; non autem Beati, vel Animæ in Purgatorio detentæ, quibus jam determinata est mensura gloriæ respondens gratiæ, quam in vita mortali habuerunt: multo minus sunt capaces damnati, utpote à Deo jam exterminati.

Quamvis autem solus homo viator sit capax suscipiendi Sacramenta, non tamen omnes sunt capaces omnium. Quilibet homo est capax baptismi: sed ad reliqua Sacramenta valide suscipienda requiritur Baptismus, excepta Eucharistia, quæ, cum sit Sacramentum permanens, non pendet ullo modo, quoad valorem, à suscipiente: si tamen eam susciperet non baptizatus, diceretur suscipere materialiter, non sacramentaliter: non secus ac si eam comederet aliquod animal irrationale. Et hæc satis dicta sint de subjecto Sacramentorum in genere: nam, quænam aliæ conditiones, & qualitates requirantur ex

parte

parte ſuſcipientis ad validam cujuslibet Sacramenti ſuſceptionem, commodius explicabitur locis propriis.

Supereſt nunc breviter explicandum, An, & quænam intentio requiratur in ſuſcipiente, ut validum ſit Sacramentum? Et ſane, quod in adultis ad validam Sacramentorum ſuſceptionem requiratur aliqua propria ipſorum voluntas, docent communiter omnes Doctores ſequentes D. Th. q. 68. a 7. teſte Suar. diſp. 14. ſect. 2. concl. 1. Ratio à priori eſt divina inſtitutio, quam colligimus ex communi Doctorum conſenſu, & ex eo, quod videatur minus congruum, Chriſtum Dominum pretium ſuæ Redemptionis velle communicare iis, qui, cum poſſint, nec minimam habeant voluntatem, ut illud ſibi communicetur. Difficultas eſt de infantibus rationis uſu carentibus; adeoque incapacibus in tali ſtatu habendi aliquam propriam intentionem, ſeu voluntatem. De his ergo dicendum, quod in tali ſtatu ſint capaces aliquorum Sacramentorum, non tamen omnium. Quorum autem capaces ſint, dicetur, cum de ſingulis Sacramentis ſermo erit. Nunc breviter dico, capaces eſſe omnium Sacramentorum, præter Pœnitentiam, Extremam Unctionem, & Matrimonium; nam reliqua Sacramenta, exceptis tribus dictis, non poſtulant ex propria inſtitutione, quod præcedat aliqua propria voluntas ſuſcipientium: ſecus vero eſt de illis tribus; nam materia remota Pœnitentiæ ſunt peccata actualia commiſſa, & proxima ſunt actus liberi pœnitentis: materia remota Extremæ Unctionis ſunt peccatorum reliquiæ, ſeu peccata venialia: Sacramentum Matrimonii fundatur in contractu, qui habetur per liberum contrahentium conſenſum. Horum omnium incapaces ſunt infantes ante uſum rationis, ut patet.

Videndum nunc, quænam intentio requiratur, aut ſufficiat in adultis ad validam ſuſceptionem Sacramenti?

Dico igitur primo: Requiritur intentio ſimpliciter libera, hoc eſt immunis à coactione abſoluta, ut expreſſe definivit Innocent. in cap. *Majores de Baptiſmo;* & Concil. Carthag. III. cap. 34. Dixi *Simpliciter libera*, ut indicarem, voluntatem ſuſcipientis non vitiari ex metu gravi, qui, quamvis voluntarium diminuat, non tamen tollit ſimpliciter libertatem, ideoque non facit, quod Sacramentum ex metu gravi ſuſceptum non ſit validum. Et ita expreſſe cum communi ſententia docet Suarez, diſp. 14. ſ. 2.

Dico

Dico secundo: Non est necesse, ut voluntas suscipiendi Sacramentum sit, vel actualis, vel actualis: sed sufficit, si sit habitualis, qualis est ex dictis q. præc. c. 2. voluntas aliquando habita, & non retractata: ita communiter Doctores. Ratio est; quia, cum Sacramenta instituta sint à Christo Domino in hominum utilitatem, congruum fuit, ut pro illorum valida susceptione sufficeret quælibet suscipientium voluntas.

Dices: in Ministro conficiente Sacramenta non sufficit intentio habitualis, sed requiritur saltem virtualis: ergo idem dicendum de suscipiente.

Respondeo, Disparitatem esse, quia Minister se habet ut agens nomine Christi, tamquam fidelis dispensator. &c. quod non verificatur, nisi intentio dirigat actiones Ministri: suscipiens vero se habet, ut patiens: non alia igitur necessaria erit intentio, nisi per quam censeatur velle pati, hoc est suscipere Sacramentum, ad quod sufficit intentio habitualis, & quandoque etiam interpretativa, ut mox dicemus.

Dico tertio: Aliquando, & in aliquibus Sacramentis sufficit intentio interpretativa. Dixi *In aliquibus;* nam ad Ordinem, & Matrimonium certum est non sufficere intentionem interpretativam; nam, cum ex una parte immutent statum suscipientium, & ipsis afferant gravia onera, & ex alia non sint media necessaria ad salutem; non potest ex volitione generali mediorum ad salutem argui voluntas suscipiendi dicta Sacramenta: v. Croix n. 173. & 174. Sic ad Extremam Unctionem sufficit interpretativa, uti tenent omnes; ideoque dari potest lapso in amentiam, quamvis nihil fortasse sciverit de Extrema Unctione. Ad Pœnitentiam sufficere implicitam, & interpretativam, docent Rodr. Spor. Bosc. Con. Dicast. & alii apud Croix n. 171. dummodo pœnitens signo aliquo externo dolorem expressisset: quæ externa manifestatio doloris habere posset rationem confessionis, & accusationis sui ipsius, quæ est de essentia hujus Sacramenti, utpote instituti ad modum judicii. Ad Eucharistiam sufficere in moribundo interpretativam, præsertim, si antea confessus sit, quamvis à mente sit amotus, dummodo absit periculum irreverentiæ, docent Suarez, Con. Rhod. Lug. Aver. Bernal. Spor. Idem dicunt plures ex citatis Doctoribus de Confirmatione, quamvis hæc non soleat conferri sensibus destituto, cum non sit ita necessaria, & conferenda sit cum majori solemnitate

ab

ab Episcopo. Demum ad Baptismum sufficere implicitam tantum, contentam scilicet in Contritione, vel Attritione, docent Con. Rhod. Compt. Dicast. Bernal. Haun. Gob. Spor. Bosco contra Suar. Averss. Lug. Arriag. Quare juxta hos Doctores posset Judæus, vel Ethnicus in periculo mortis baptizari, si probabiliter judicaretur habuisse saltem attritionem; quia in hac includitur votum servandi omnia præcepta, & adhibendi omnia media necessaria ad salutem, & consequenter includitur voluntas suscipiendi Baptismum: v. Croix n. 168.

Ex dictis sequitur primo, Quod, quando sufficit consensus habitualis, conferri possit Sacramentum illi, qui, quando erat compos rationis, voluit, aut rationabiliter præsumitur voluisse Sacramentum, etiamsi postea in amentia, vel phreneti dicat, se nolle, quia hæc revocatio non est actus humanus, & liber: quare adhuc perseverat habitualiter prior voluntas humana, & libera. Ita Dian. p. 3. t. 4. r. 12. Averss. Gob. Quare in dubio, an antea voluerit Sacramentum, hoc conferendum esset sub conditione juxta Averss. & Jo. Sanchez.

Sequitur secundo, Quod, si quis ratione utens ore tantum renuat, corde tamen consentiat in Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, & Ordinem, valida sint hæc Sacramenta, si ipsi conferantur: in his enim Sacramentis nullum requiritur signum externum interni consensus, uti requiritur in Pœnitentia, & Matrimonio, ex superius dictis. Ita cum Bosco Croix n. 177.

CAPUT II.

Quæ dispositio requiratur in subjecto Sacramentorum?

Quæ hactenus dicta sunt de intentione requisita ex parte subjecti, faciunt ad valorem Sacramenti. Discutiendum nunc supereſt, quid requiratur in subjecto adulto ad licitam, & fructuosam Sacramenti susceptionem? Quare

Dico primo: Ad recipiendum digne, & cum fructu Baptismum, & Pœnitentiam, præter voluntatem recipiendi Sacramentum non requiritur status gratiæ; sed sufficit dispositio Fidei, & Spei supernaturalis, saltem virtualis, & Attritionis pariter supernaturalis, quæ ad

Baptismum non requiritur, si illum susceperus nullum personale peccatum commiserit, sed solo originali sit inquinatus. Ratio primæ partis est, quia hæc Sacramenta sunt per se, & primario instituta ad dandam primam gratiam; adeoque ad justificandos peccatores, & idcirco dicuntur Sacramenta mortuorum. Secunda pars, quoad actus Fidei, & Spei admittitur communiter ab omnibus cum Suar. *de Gratia* l. 8. c. 19. & eruitur ex illo Apost. ad Hæbr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit.* Si ergo debet credere, & Deum esse, & Remuneratorem esse, debet spem remunerationis habere, quia ob hanc spem Deum remuneratorem credit. Quoad Attritionem vero constat ex Trid. *sess.* 14. *de Pœnit c.* 1. *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato coinquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento abiui petiissent:* idque probat ex variis S.Scripturæ locis. Sunt, qui putant cum Escob. ad Baptismum fructuose suscipiendum posse per accidens sufficere dolorem virtualem, contentum scilicet in spe salutis æternæ in eo, qui esset invincibiliter oblitus peccati antea commissi, vel non cogitaret de obligatione præmittendi dolorem formalem. Sed Suar. Vasqu. aliique cum Pal. p. 13. n. 7. communius contradicunt.

Dico secundo: Ad reliqua Sacramenta, per se loquendo, requiritur status gratiæ. Ratio est, quia, cum sint Sacramenta primario instituta ad dandum augmentum gratiæ (qua de causa dicuntur Sacramenta vivorum) debent supponere in suscipiente gratiam, cujus augmentum debent conferre. Dixi *Per se loquendo;* nam ex dictis qu. 1. cap. 4. Probabile est, posse per accidens causare primam gratiam in accedente ad ipsa cum invincibili oblivione peccati commissi, & cum attritione supernaturali. Pal. Con. aliique apud Croix n. 186. ad dignam susceptionem horum Sacramentorum, & præsertim Eucharistiæ, requirunt actum Fidei: at Suar recte negat, speciatim ad Eucharistiam requiri fidem actualem hujus mysterii: quare sufficere, inquit Lug. aliquem actum Fidei implicitum, & in confuso: additque, opus non esse anxiari de hoc actu Fidei eliciendo; quia, si Fidem explicitam de Sacramentis habuerit, ut habere debuit, voluntas suscipiendi tale Sacramentum semper procedat à Fide saltem confusa, quæ recurret intellectui; & idcirco

circo Amicus d. 4. n. 97. dicit, Fidem, & Spem prærequisitam ad Sacramenta vivorum includi in voluntate suscipiendi Sacramentum: utilissimum tamen est in praxi prædictos actus explicite præmittere.

Hinc sequitur primo, Quod, qui vult suscipere aliquod ex Sacramentis vivorum, si sentiat se gravatum aliquo peccato mortali, teneatur sub gravi prius se remittere in statu gratiæ. Si vult suscipere Eucharistiam, ex speciali præcepto debet præmittere Sacramentalem confessionem, ut dicetur in Tract. de Pœnit. d. 1, q. 1. c. 4. si quod ex reliquis Sacramentis vivorum, sufficiet status gratiæ, vel per confessionem Sacramentalem, vel per contritionem, cum nullibi extet quoad reliqua Sacramenta præceptum præmittendi restitutionem status gratiæ determinate per Confessionem Sacramentalem. Quod, si aliquis non posset conteri, per accidens in eo prærequireretur confessio.

Sequitur secundo, Ad principalem fructum Sacramenti, etiam Eucharistiæ, percipiendum non necessario requiri actualem devotionem, sed satis esse accedere cum aliis dispositionibus: Lug. Averss. Ditast. Tambur. apud Suar. d. 63. s. 3. & apud Amic. d. 4. n. 90. Ad alios tamen abundantiores effectus, & maxime ad gratias actuales tunc obtinendas multum confert actualis devotio, ut omnes fatentur: & idcirco Suar. & Amic. ad has gratias requirunt negationem distractionis; imo Rhod. putat, semper esse veniale, Sacramentum suscipere sine aliquo pio motu voluntatis: cui adhærent Gob. & Spor.

Sequitur tertio, Peccare mortaliter per se loquendo eum, qui Sacramentum suscipit cum obice, vel cum peccato mortali; quia, cum Sacramenta instituta sint ad significandam practice gratiam, qui hanc practicam gratiæ significationem impedit suscipiendo Sacramentum cum obice, vel cum peccato mortali, quasi illudit Deo, & abutitur institutione Divina in re maximi momenti. Qui vero Sacramentum suscipit cum veniali, nullo modo peccat, si sit habituale, quia non ponit obicem effectui primario: Suarez d. 7. s. 4. si vero veniale sit actuale, non peccat mortaliter, probabiliter tamen peccat venialiter: Sporer.

Dico tertio, Suscipiens Sacramentum debet esse liber ab omni excommunicatione, & interdicto personali, &

ſuſcipiens Ordinem, aut primam Tonſuram debet eſſe liber etiam ab omni irregularitate; unde etiam, qui eſt in gratia, committeret grave ſacrilegium, ſi Sacramentum ſuſciperet, non remota prius cenſura, aut irregularitate, quia ageret contra prohibitionem Eccleſiæ poſitam ex fine reverentiæ erga res Sacras, & Divinas. Poſſet tamen excuſari ratione ignorantiæ, aut gravis metus, ut dicetur in Tract. de Cenſuris.

Quæres primo, An Sacramenta omnia ficte, hoc eſt valide, ſed cum obice ſuſcepta, remoto obice reviviſcant ad cauſandam gratiam?

Reſpondeo affirmative cum D. Th. in 4. diſt. 15. q. 3. a. 4. ubi, cum dixiſſet, confeſſionem reviviſcere, ſublata fictione, addit, idem eſſe in aliis Sacramentis: D. Th. ſequuntur Cajet. Arriag. Pal. Eſcob. aliique multi contra varios, quorum aliqui negant ſimpliciter cuicunque Sacramento virtutem reviviſcendi ſublato obice; alii eam tribuunt ſoli Baptiſmo; alii Baptiſmo & Pœnitentiæ dumtaxat; alii ſolum Baptiſmo, Confirmationi, & Ordini; alii demum omnibus, una excepta Euchariſtia. Sed noſtra aſſertio pro omnibus Sacramentis, adeoque etiam pro Sacramento Pœnitentiæ, ſi poteſt eſſe validum, & informe, & pro Sacramento Euchariſtiæ ſaltem, quousqu[illegible]or ſint conſumptæ ſpecies Euchariſticæ, probatur ex pluribus congruentiis. Nam omnia Sacramenta continent infinita Chriſti merita jam acceptata à Deo ad fines à Chriſto intentos: ergo, cum remoto obice apta ſint movere in actu ſecundo Deum ad dandam gratiam, de facto movebunt. Præterea Sacramentum valide poſitum, & eſt, & manet opus Chriſti tamquam principaliter agentis; quod vero gratiam non cauſet, unice eſt ex defectu diſpoſitionis in ſuſcipiente: hac igitur poſita, gratiam cauſabit. Demum inſtitutio Sacramentorum, cum proceſſerit ab infinita Dei miſericordia erga homines, talis eſt interpretanda, qualis maxime decebat Divinam Bonitatem, & Beneficentiam Chriſti erga homines, quæque magis aliceret ad reſurgendum à peccatis: hæc autem omnia magis habentur, ſi dicamus, Sacramenta omnia reviviſcere ad cauſandam gratiam. Quæ congruentia potiſſimum militat pro Sacramentis irreiterabilibus, ſive ſimpliciter, ut ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo; ſive ſecundum quid, ut ſunt Extrema Unctio, quæ eſt irreiterabilis durante eodem periculo mortis,

mortis, & Matrimonium, quod est irreiterabile vivente utroque conjuge.

Quod dictum est de reviviscentia Sacramentorum ad causandam gratiam, dic etiam de reviviscentia quoad remittenda venialia, quæ fuissent remissa, si defuisset obex, & quoad remissionem pœnarum talibus peccatis debitarum; eadem enim ratio militat pro omnibus: v. Croix à n. 197. ad n. 205. Sermo hucusque fuit de Sacramentis ficte, hoc est valide, sed infructuose susceptis; nam quoad Sacramenta ficte, hoc est invalide (utrumque enim significare potest ly *ficte*) suscepta, non potest habere locum præsens quæsitum, cum non possint revivisscere ad causandum suum effectum Sacramenta, quæ nunquam extiterunt.

Hinc inferes, Quod, si obex fuit tantum negativus, quatenus Sacramentum ideo præcise non causaverit gratiam, quia defuit aliquid necessarium ad hoc, ut Sacramentum gratiam causaret; si hoc ponatur, Sacramentum reviviscet: e.g. si adultus solo originali maculatus Baptismum susceperit sine actu Fidei, posito actu Fidei Sacramentum reviviscet: ita D. Th. q. 69. a. 10. & hanc esse sententiam communem, ait Croix n. 207. Quod si in tali adulto obex fuisset aliquod mortale commissum ante Baptismum, obex non removeretur, nisi posita attritione, quia hæc defuit ab initio, & ejus defectus impedivit effectum gratiæ. Quod si post Baptismum sine fructu susceptum commissum fuisset aliud mortale, tunc ad habendum effectum Baptismi requireretur, vel Contritio, vel Attritio cum Sacramento Pœnitentiæ, quia Baptismus non se extendit ad peccatum commissum post ejus susceptionem.

Quæres secundo, An liceat petere administrationem Sacramenti à Ministro indigno?

Respondeo primo, Nemini licere extra necessitatem extremam petere Sacramentum à Ministro non tolerato. Minister non toleratus est nominatim excommunicatus, & publice denunciatus, notorius percussor Clerici, publice, & nominatim suspensus, publice in perpetuum degradatus, publice irregularis per sententiam; Croix n. 210. Casus autem extremæ necessitatis esset, si quis esset moriturus sine Baptismo, aut Pœnitentia, vel juxta Escob. Dicast. & alios, si in eorum Sacramentorum defectu esset moriturus sine Eucharistia, aut Extrema Unctione, cum probabile sit, hæc Sacramenta posse per

accidens causare primam gratiam; & juxta Suar. si esset moriturus sine Eucharistia, etiamsi non defuisset absolutio Sacramentalis. His igitur casibus exceptis non licet petere Sacramentum à Ministro non tolerato, quia Fideles prohibentur communicare cum illo: v. Croix num. 209.

Respondeo secundo, Ex causa rationabili, saltem quando deest alius, licere petere Sacramentum à Ministro tolerato, qui possit illud digne ministrare, quamvis prævideatur indigne ministraturus. Ratio est, quia ministratio Sacramenti de se sancta, & honesta est, quæ hic & nunc potest digne poni à Ministro, ut supponitur; & petens jus habet ad Sacramentum; ergo impediri non debet per malitiam Ministri; nec Charitas obligat ad cavendum peccatum proximi cum gravi incommodo proprio, quando ille, si vellet, posset cavere. Hinc peti poterit Sacramentum in gravi necessitate spirituali propria, vel alterius, pro quo petitur, si urgeat præceptum Confessionis, vel Communionis, vel Missæ audiendæ: si alioquin privandus quis esset magna utilitate, e. g. si non posset lucrari jubilæum, & ex Dicast. quando receptio Sacramenti ab hoc homine futura est illi utilior, vel commodior; imo ex Gob. quando sine aliquo incommodo non potest habere alium: sed intelligi juxta illud Croix n. 211. non qualiscunque utilitas, sed notabilis, nec qualiscunque commoditas, sed talis, quæ illum liberet à notabili incommodo: hinc, quamvis Suar. Arriag. Escob. putent, licitum esse petere à parato, vel se offerente, si alias deberet carere gratia Sacramenti, quæ est magnum bonum; alii tamen contradicunt, si bonum illud sit facile comparabile alio tempore: & idem sentiunt in casu, quo quis non posset lucrari indulgentias, si occasio lucrandi similes indulgentias sæpe recurrat.

Dixi, *Saltem, quando deest alius*, quia probabilius videtur cum Con. Escob. & aliis contra Valent. Præp. Dian. & alios, non licere, si commode haberi possit alius, quia charitas saltem in Deum suadet, ut impediatur peccatum proximi, si facile impediri possit: v. Croix num. 212.

Notandum denique, quod, quamvis licitum sit petere Sacramentum à Ministro excommunicato, vel suspenso tolerato; ipse tamen non potest se ingerere, sed tantum poterit conferre, si rogetur, ut colligitur ex Extravag. *Ad evitanda scandala.*

Quæ-

Quæres tertio, An in ſuſcepturo Sacramentum ſit obligatio inquirendi in probitatem, & mores Miniſtri.

Reſpondeo negative, ſed cenſendum eſſe bonum, quamdiu non probetur malus: Averſ. Dicaſt. & alii communiter, ut etiam ſuadet communis Eccleſiæ praxis. Hinc cit. Doctores inferunt cum Suarez, Regin. Spor. quod, quamvis ſcires, Miniſtrum paratum, vel ſeſe offerentem paulo ante peccaſſe, poſſes ab eo petere Sacramentum, quia poſſes præſumere, quod ſe diſpoſiturus eſſet per contritionem. Limitant tamen aliqui, niſi conſtaret, illum eſſe conſuetudinarium, aut ſemper eſſe in occaſione proxima peccandi.

DISPUTATIO II.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Baptiſmi.

A Sacramentis in genere ad ſingula in ſpecie deſcendimus, quorum primum eſt Baptiſmus. Inquiremus hic I. Ejus Quidditatem, Virtutem, Inſtitutionem, & Neceſſitatem. II. Agemus de Materia, & Forma. III. De Miniſtro. IV. De Subjecto.

CAPUT I.

De Quidditate, Virtute, Inſtitutione, & Neceſſitate Baptiſmi.

Vox hæc græca *Baptiſmus* immerſionem, vel intinctionem ſignificat: cum igitur hoc Sacramentum conficiatur per immerſionem, vel affuſionem aquæ; hinc Baptiſmi nomen obtinuit. Ob varios tamen hujus Sacramenti effectus aliis etiam nominibus à PP. appellatum fuit, & præcipue Sacramentum Regenerationis, Fidei, Doni, ſeu Gratiæ, Unctionis, Illuminationis, Indumenti, & Sigilli, ut videre eſt apud Pal. tr. 19. p. 5. num. 1.

I. Definitur communiter à Doctoribus, cum Magiſt. in 4. d. 3. *Ablutio corporis exterior facta ſub præſcripta*

forma verborum: in qua definitione ſubintelligi debet *cum debita intentione:* nam ſtare poteſt, quod abluatur corpus ſub forma verborum præſcripta pro Baptiſmo, & Sacramentum non conficiatur, eo quod deſit in abluente legitima intentio. Et hæc definitio eſt per materiam, & formam. Definitur inſuper à Catech. Rom. 2. p. c. 2. per genus, & differentiam *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*, in qua definitione *Sacramentum* ſtat loco generis; reliqua verba loco differentiæ. Dicitur autem Sacramentum regenerationis, quia ipſo renaſcimur ſpiritualiter Chriſto, quatenus primam ſpiritualem vitam, hoc eſt gratiam ſanctificantem conſequimur.

II. Hujus Sacramenti virtus ad triplicem effectum potiſſimum ſe extendit. Primo ad gratiam habitualem remiſſivam peccati originalis, & omnium perſonalium, quæ ſint commiſſa ante Baptiſmum, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ. 5. in Decr. de Peccato Origin.* Unde etiam colligitur, per Baptiſmum remitti etiam omnia venialia: nam ibi non ſolum aſſerit, *Nihil damnationis eſſe iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem*, ſed inſuper addit, *Eos exuentes veterem hominem, & novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ac Deo dilectos effici, ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur.* Si autem per gratiam Baptiſmi non remitterentur venialia baptizatorum, non ita puri innoxii, & immaculati redderentur; quin ab ingreſſu Cœli retardarentur. Secundo extenditur ad remittendam totam pœnam æternam, & temporalem peccatis debitam. Colligitur manifeſte ex nuper citato Trident. textu; ſi enim Baptiſmus non remitteret omnem pœnam peccatis debitam, aliquid eſſet in Baptizato, quod illum retardaret ab ingreſſu Cœli: Et clarius ex Flor. *in Decr. de Arm. Hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis: omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur: propterea nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt Baptizatis ſatisfactio.* Tertio extenditur ad imprimendum characterem, quo Baptizatus redditur incapax denuo ſuſcipiendi Baptiſmum, ut docet Flor. *in Decr. de Arm.* & Trid. *ſeſſ. 7. de Bapt.* & idcirco in ſymbolo Nicæno fatemur *Unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.*

Quamvis autem Baptiſmus proprie dictus, qui ſcilicet ſit Sacramentum, non ſit, niſi unicus; unde ad E-

pheſ. 4.

phes. 4. dicitur, *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma;* lato tamen modo, & minus proprie sumptus triplex est, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptismus fluminis est Baptismus Sacramentalis, qui confertur in aqua elementari. Baptismus flaminis est perfecta ad Deum conversio per actum perfectæ Contritionis includentis in voto Baptismum fluminis, & illius vicem supplentis ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. non tamen quoad omnes effectus, cum non imprimat characterem, nec deleat omnem reatum pœnæ, nec reddat hominem capacem cæterorum Sacramentorum, sed solum quoad remissionem culpæ. Dicitur autem Baptismus fluminis, quia procedit ab impulsu Spiritus Sancti, qui dicitur *Flamen.* Baptismus sanguinis est effusio sanguinis: seu mors pro Christi fide, vel pro vera virtute tolerata. Hic etiam Baptismus supplet vices Baptismi fluminis, seu Sacramentalis quoad remissionem omnis culpæ, & pœnæ, non tamen quoad imprimendum characterem; &, sicuti Baptismus fluminis prodest tum adultis, tum infantibus, ita etiam Baptismus sanguinis, ut patet in SS. Innocentibus, qui coluntur ab Ecclesia, ut veri Martyres. Ut autem hic Baptismus sanguinis producat effectus suos in peccatore, aliqui cum Vasq. dicunt, prærequiri Contritionem, vel Dilectionem Dei super omnia: communius tamen alii docent, sufficere Attritionem. Et sane nullum peccatum remitti in præsenti Providentiæ ordine sine retractatione, certum est ex Trid. docente. *Pœnitentiam fuisse omni tempore necessariam ad remissionem peccatorum.* Neque ex eo, quod Martyri promittatur vita æterna illis Christi Domini verbis, *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, sequitur, quod sine ulla retractatione peccatum actuale Martyri remittatur: nam etiam Baptismo fluminis, qui est Sacramentum, promittitur vita æterna illis verbis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit;* quamvis per Baptismum Sacramentalem non remittatur peccatum actuale nulli mode retractatum. Quod autem sufficiat attritio, suadetur ex eo, quod sufficit ad Baptismum; aliter enim salus non tribueretur martyrio, neque hoc diceretur supplere vices Baptismi. Deberet tamen talis peccator conari contritionem, & confessionem præmittere, si posset, ne se exponeret periculo damnationis æternæ, sequendo hanc sententiam probabilem, omissa tutiore. At, licet ad Baptismum

requiratur in adulto voluntas saltem habitualis illum suscipiendi; hæc tamen non requiritur ad martyrium: quare, si dormiens occidatur à Tyranno in odium Fidei, erit vere Martyr. Verum quidem est, quod, si sit in statu peccati mortalis, dum dormiens martyrium patitur, non justificatur ex ratione superius memorata. At communissime docent, Deum in præsenti providentiæ ordine non permittere, ut peccator occidatur in odium Fidei ante peccati retractationem saltem per attritionem supernaturalem. Probabile etiam est, Martyrem percipere fructum martyrii, quando patitur lethalem cruciatum: nec talis fructus consecutionem differri usque ad mortem: quare probabile est, non privari fructu martyrii eum, qui post susceptum lethale vulnus, vel aliud lethale supplicium, miraculose deinde à morte liberetur, ut accidit D. Joanni in ferventis olei dolium immisso, & Beatissimæ Virgini stanti juxta Crucem, tanquam martyrum Reginæ. Ratio est, quia, qui patitur cruciatus mortales, etsi liberetur à morte, dicitur mortuus in causa, æquum igitur videtur, ut non privetur fructu martyrii.

III. De Fide est, Sacramentum Baptismi (ut & cætera Sacramenta) institutum esse à Christo Domino, ex dictis disp. præced. Quandonam fuerit institutum, dubitatur. Alii cum D. Th. putant, quando Christus fuit in Jordane baptizatus: alii post Christi Domini passionem, quando dixit, *Euntes docete omnes gentes; Baptizantes eos, &c.* Probabilius tamen videtur esse, quod fuerit institutum ante Christi mortem, nam Joan. 4. habemus, plures baptizandos venisse ad Christum, quam ad Joannem, qui dixerat, se baptizare in aqua, Christum vero in Spiritu Sancto. Præterea in nocte ante Passionem instituta fuerunt Sacramenta Eucharistiæ, & Ordinis; dicendum igitur, quod antecedenter institutum erat Sacramentum Baptismi, quod est janua cæterorum; temere enim, & sine ullo fundamento dicitur, quod Christus tunc dispensaverit cum Apostolis, ut susciperent Ordinem, & Eucharistiam ante Baptismum.

IV. Hoc Sacramentum, vel in re, vel in voto necessarium est ad salutem non solum necessitate præcepti, sed etiam medii propter connexionem, quam habet, posita Christi institutione, cum æterna hominis salute. Præceptum vero obligans ad Baptismum non est solum naturale, quale adest relate ad quodcunque necessarium

ad

ad salutem, sed etiam positivum Divinum, latum nuper citatis verbis Christi: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Hoc autem præceptum obligat omnes, etiam Infideles, ad recipiendum Baptismum; cum primum commode possunt, saltem ad non diu differentem. Relate ad Infantes rationis usu carentes, hoc Præceptum urget Parentes, aut Tutores, quatenus illos obligat ad procurandum infantibus, qui sub ipsorum cura sunt, Baptismum: unde ad id tenentur non solum ex charitate, & pietate, sed etiam ex præcepto Baptismi: quare peccant, si per longum tempus absque causa differant, ex Sot. per duodecim dies: ex Ledesm. per quindecim. Tanta est hæc obligatio, ut licite possit homo adultus objicere se periculo mortis ad Baptismum suscipiendum, non tamen tenetur tale periculum subire, cum possit aliter salutem æternam obtinere, nempe per Contritionem, aut Charitatem perfectam: Croix n. 286. Addunt aliqui, non solum licitum, sed etiam præceptum esse, ut, qui aliter nequeat baptizari, petat se projici in mare, ut baptizetur, si advertat, se non posse actum Contritionis, aut perfectæ Charitatis elicere, quia tenetur anteferre vitam animæ vitæ corporali, & mors prævisa esset præter illius intentionem. Alii tamen contradicunt, quia videtur esse directa occisio sui, quæ nunquam est licita.

CAPUT II.

De Materia, & Forma Baptismi.

Cum seorsim de materia, seorsim de forma agendum nobis sit, ut claritati semper consulamus; idcirco sit

§. I.

De Materia Baptismi.

Materia Baptismi alia est remota, alia proxima. Materia remota est aqua naturalis, seu elementaris apta ad abluendum, ut definitum est in Concil. Later. relato in cap. *Firmiter, de summa Trinit.* & in Flor. *de Decr. Arm.* & in Trid. *sess. 7. can. 2. de Bapt.* & col-

& colligitur aperte ex illis verbis. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Ratio hujus institutionis videtur esse, quia aqua est aptissima ad significandam animæ munditiem, & ex alia parte est omnibus pervia, ut hoc Sacramentum omnibus necessarium facile ministrari posset. Hinc apta materia Baptismi est aqua putei, maris, paludis, pluviæ, &c. Item resoluta ex grandine, nive, glacie, licet accidentaliter immutata sit quoad colorem, saporem, aut odorem, ut aqua sulphurea, aut alteri corpori ita modice immixta, ut usum communem, & æstimationem aquæ non amiserit. Inepta vero est saliva, lacrymæ, sudor, cerevisia: item aqua sic permixta alteri corpori ut non sit amplius apta ad ablutionem, nec vocetur communiter aqua, ut lutum, brodium, vinum lymphatum, jusculum, lixivium: item aquæ artificiales ex rosis, herbis, succisque expressæ: demum, nix, grando, aut glacies non resoluta. Quia tamen dubium est de pluribus ex dictis, an sint apta materia baptismi, ut de tenui cerevisia, de aqua rosacea, & aliis; hinc solum in necessitate licet illis uti; quamvis deinde repetendus sit sub conditione baptismus, extra necessitatem semper erit grave peccatum in dictis materiis dubiis baptismum conferre ex dictis disp. 1. q. 2. cap. 3. Idem dicendum de aqua extracta ex brodio carnium, vel piscium, vel ex luto, de collecta ex vaporibus ex olla emergentibus, & testaceo tegumento adhærentibus, necnon de aqua, quæ hyemali tempore ex parietibus, & lapidibus fluit, cum sint materiæ dubiæ: Porro humor fluens ex vite, & arbore non est aqua, sed succus.

Quæ hactenus dicta sunt de materia Baptismi, intelligenda sunt de materia valida, quatenus ad validitatem Baptismi sufficit aqua naturalis, seu elementaris apta ad abluendum: at hæc non sufficit ad materiam licitam, hoc est, qua licite uti possit Minister saltem in baptismo solemni; requiritur enim, & quidem probabilius sub gravi, ex *Clement. un. Bapt.* ut sit consecrata. Dixi, *Saltem in Baptismo solemni;* nam in privato libere omitti posse aquam benedictam, docent Pasq. Quintan. Gob. tr. 2. n. 41. apud Croix n. 263.

Materia proxima est ablutio corporis baptizandi facta à Ministro, quæ habetur per contactum, quo aqua per actionem Ministri successive tangit corpus baptizandi, sive talis ablutio fiat per aspersionem, sive per infusionem, sive per immersionem unicam, vel trinam: quolibet enim

ex

ex his modis valide confertur baptismus: ut autem licite etiam conferatur, servanda est consuetudo propria cujuscunque Ecclesiæ: si tamen contra consuetudinem Diœcesanam baptismus fiat per immersionem loco affusionis aquæ, Scot. Val. Dicast, Gob. probabiliter dicunt, esse veniale, quia hic ritus non videtur graviter præcipi, nec videtur esse notabilis mutatio. Ex præcepto etiam abluendum est caput baptizandi. Dixi *ex præcepto*; nam hoc non esse de necessitate Sacramenti, & ad ejus valorem certo sufficere ablutionem cujuscunque partis principalis corporis, ut pectoris, scapularum, &c. docent Suar. Tann. Averst. Merat. & alii communissime contra Platel, & alios putantes, non esse certo validum baptismum, si alia pars corporis, quam caput abluatur: v. Croix n. 267.

Ex dictis infers sequentia: Primo, Si aliquis immergat se in aqua, & alius proferat formam, non valet baptismus, quia non verificatur ablutio facta à Ministro; & idem dicendum, si unus abluit, & alter profert formam; econtra vero, si aliquem ipsemet adducam, & teneam sub stillicidio proferens formam, validus est baptismus, quia verificatur ablutio facta à Ministro proferente formam. Secundo, Si quis infantem alioquin moriturum sine baptismo projiceret in puteum proferens formam, valeret baptismus, quia esset vera immersio conjuncta cum forma. An id liceat, vide, quæ diximus in fine cap. præced. Hic addo Suar. Vasq. Reding. Gob. docere, quod liceat, si mors non multum acceleretur; & Diana, etiamsi acceleratio futura esset magna: negant tamen, id esse licitum, Averst. Gorm. Laym. Dicast. Busemb. quia illa projectio esset directa occisio infantis: v. Croix, n. 264. Tertio, Quamvis plures Doctores non infimæ notæ censeant, etiam unam, aut alteram minimam guttam aquæ sufficientem esse ad Baptismum, dummodo motu successivo corpus baptizati tangat, putantes, esse veram ablutionem, probabilius tamen oppositum docent Tol. Bonac. Laym. Con. & Pal. p. 3. n. 6. Idem sentiendum est de ablutione facta in minima parte corporis, e. g, tantum in digito, non esse scilicet sufficientem ad baptismum, quia non videtur recte dici simpliciter lotus, qui lotus est tantum in digito. Quia tamen probabile est, ablutionem, sive in minima quantitate aquæ, sive in minima parte corporis factam, sufficientem esse ad baptismum, solum in necessita-

sitate licitum erit his modis baptizare, quando scilicet non possit alio modo tutiori baptismus conferri, & periculum sit, ne homo moriatur sine baptismo. Quarto, si perfundatur aqua homo vestibus, corio, vel utre contectus, quin aqua tangat immediate corpus, non valet baptismus, quia non homo, sed vestes, aut indumentum abluitur: Bonac. Laym. Pal. loc. cit. idem sentit ex communi Bonac. de abluto tantum in capillis, & de infante recenter nato, & adhuc pelle secundina circumdato, qui abluatur tantum in pelle secundina, quia nec capilli, nec pellis secundina est pars corporis. Sed probabiliter, ut sentit Castrop, n. 7. & 8., oppositum docent Vasq. Tol. Val. Con. & Laym. unde solum in necessitate, ut nuper dictum est, licitum erit sic baptismum conferre.

§. II.

De Forma Baptismi.

Forma Baptismi, qua Ecclesia Latina utitur, hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & manifeste colligitur ex illo Matth. cap. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita omnes Doctores. Ex quo manifeste sequitur, quatuor necessario exprimenda esse in forma baptismi: Primo personam baptizantem: Secundo baptizatum, Tertio actionem baptizandi: Quarto Unitatem, & Trinitatem Divinarum, Personarum.

Circa primum, quamvis necessario exprimenda sit persona baptizans, non tamen est necessaria formalis expressio, sed sufficit implicita, ut manifeste probat usus Græcorum recte, ut omnes Catholici docent, baptizantium, sub ea forma, *Baptizetur*, vel, ut ait Croix, *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, &c.* Hinc valet certo baptismus, si in forma Ecclesiæ latinæ omittatur pronomen *Ego*, dicendo *Baptizo te, &c.* quia in verbo *Baptizo* satis significatur pronomen *Ego*; imo dicti pronominis omissio non videtur venialem culpam excedere, secluso contemptu: Pal. Sot. Vasq. Com.; quod intelligendum etiam est de omissione particulæ *in*, & *amen*. An autem valeat baptismus collatus sub hac forma, *Baptizat te Deus*, vel *Christus*; vel *Baptizeris à Deo*,

Deo, vel *Christo?* est dubium. Negat Vasq. Affirmat Sot. Suar, Con. Laym,, quia tali forma, stante actione baptizandi posita à Ministro, sufficienter exprimitur persona baptizans, ita ut sensus illius formæ sit: *Baptizet te Deus per me actionem baptizandi exercentem;* v. Pal. n. 3. & 4.

Alterum requisitum est expressio personæ baptizandæ; si enim illa neque speciatim, neque generatim exprimatur, forma non habet sensum determinatum, & consequenter baptismus non valet: ut si diceres, *Ego baptizo, in nomine Patris, &c.* Advertendum hic est, unitatem numericam baptismi potius desumi ex unitate personæ baptizandæ, quam ex unitate baptizantis: hinc, si sub unica forma prolata in numero plurali, *Ego vos baptizo, &c.* plures ablueres (quod solum in necessitate licet) plures baptismos conficeres, quia plures essent ablutiones, & forma, quamvis physice, & formaliter sit unica, virtualiter tamen est multiplex. Contra vero, si plures Ministri simul abluerent, & debita intentione simul proferrent formam supra unam, eandemque personam, unus conficeretur baptismus. Ut autem valeat baptismus collatus uni à pluribus Ministris, debet ex his unus independenter ab alio intendere baptismum illius; nam, si unus intendat conficere Sacramentum dependenter ab alio, non conficitur Sacramentum, quia mutatur sensus formæ à Christo institutæ; non enim esset tunc verum, te baptizare, sed te cum alio baptizare. Ita D. Th. Con. Vasq., Val. Suar. Bellar. Bonac. Laym, apud Pal. n. 7.

Tertium requisitum est expressio actionis abluendi provenientis à legitima intentione faciendi rem sacram institutam à Christo: quæ intentio satis exprimitur, si actus abluendi exprimatur sub invocatione Trinitatis. Necessitas autem hujus requisiti, & simul primi, & secundi jam explicati constat nunc etiam ex propositione 27. præscripta ab Alex. VIII. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris; &c. prætermissis illis, ego te baptizo.*

Quartum, & præcipuum requisitum est expressio tum Unitatis Naturæ, tum Trinitatis Personarum Divinarum. Exprimitur Unitas sufficienter per ly *In nomine*, exprimitur Trinitas, dum additur, *Patris, &c.* Hæc Unitatis, & Trinitatis expressio debet esse explicita, & formalis, ut constat ex cit. Matth. loc. *Baptizantes. &c.*

Hinc

Hinc invalidus est, & semper fuit baptismus collatus in nomine Christi; quare, dum *in Act. Apost.* dicuntur Apostoli baptizasse in nomine JESU Christi, id non intelligendum est, quatenus omiserint Patrem, & Spiritum Sanctum, sed quatenus baptizaverint *In nomine Patris, & Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti:* aliter, cum Paul. 1. *ad Corinth.* 11. dixerit, omnes baptizatos esse in uno Spiritu, colligi hinc recte posset, quod baptismus ministratus fuerit, uno invocato Spiritu S. absque invocatione Patris, & Filii, quod est falsum: Pal. p. 5. n. 11 Invalidus pariter est Baptismus collatus *In nomine Dei, in nomine S. Crucis, in nomine trium Personarum, in nomine primæ, secundæ, & tertiæ Personæ,* cum non explicentur tres Personæ secundum proprietates relativas. Baptismus collatus *In nomine Genitoris, Geniti, & Spirati,* est dubius; nam plures cum D. Th. contra Cajet. apud Trull. docent, esse invalidum; alii vero putant, valere, quia habetur mutatio solum in verba synonyma, quæ ex dictis disp. 1. q. 1. c. 3. non est substantialis: validus est ex Trull. si dicatur, *In nomine Patris, Verbi. & Spiritus S.* Porro invalidus est baptismus collatus *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* vel si dicatur *Baptizo te cum Patre, Filio, & Spiritu S.* quia sub his formis non exprimitur Unitas Divinæ Essentiæ. Quod si dicatur *Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S.* vel *in Deo Patre, Filio, & Spiritu S.* dubius est valor Baptismi. At si quis baptizaret *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & Beatæ Virginis,* intendens invocare B. Virginem eodem modo, ac invocantur tres Personæ Divinæ, hoc est effective, seu ad efficiendum Sacramentum, invalide baptizaret, quia mutaretur sensus formæ institutæ à Christo; secus vero, si ob devotionem invocaret deprecatorie, intendens scilicet auxilium B. Virginis baptizato implorare.

CAPUT III.

De Ministro Baptismi.

MINISTER valide baptizans, & in casu necessitatis etiam licite, est quivis homo ratione utens, etiamsi sit femina, vel excommunicatus, vel non baptizatus, dummodo saltem confuse intendat facere, quod facit Ecclesia. Ratio à priori est institutio Christi Domi-

ni

ni usu, & consuetudine Ecclesiæ declarata: congruentia talis institutionis est summa necessitas talis Sacramenti, ob quam, sicuti congruum fuit illud instituí sub materia omnibus obvia, & sub forma facile ab omnibus perceptibili; ita congruum pariter fuit, ut cuilibet ratione utenti daretur potestas illud administrandi. Debet tamen necessario esse persona distincta à baptizato, ut colligitur ex verbis Christi, *Baptizantes eos, &c.* unde nemo potest se ipsum baptizare.

Minister vero ordinarius, qui non solum valide, sed etiam licite extra casum necessitatis baptizat, est Sacerdos, ut constat ex Flor. *in Decr. Eugen.* cap. *Firmiter*, & usu Ecclesiæ; & rationem affert D. Th. quia, sicuti vi suæ consecrationis Sacerdos accipit potestatem conficiendi in Eucharistia Corpus Christi verum, & reale, ita & efficiendi Corpus Christi mysticum, quod fit per collationem baptismi. Ut autem Sacerdos licite conferat baptismum solemniter, indiget facultate Episcopi, aut Parochi personæ baptizandæ, ad quos, utpote, Pastores animarum, proprie spectat aggregare homines Ecclesiæ Christi: &, sicuti Sacerdos quilibet, quamvis in sua ordinatione recipiat potestatem absolvendi, ut tamen valide absolvat, indiget jurisdictione Ecclesiæ; ita etiam, ut licite baptismum solemniter conferat, indiget facultate Ecclesiæ, hoc est Episcopi, vel Parochi personæ baptizandæ. Hinc mortaliter peccat Episcopus vel Parochus, qui non subditum residentem in aliena Ecclesia sine licentia Episcopi, vel Parochi illius baptizat, quia aggregat Ecclesiæ hominem, cujus nullum regimen habet: Pal. p. 9. n. 2. & Con. Laym. Bonac. Sa. Aliis Clericis Sacerdote inferioribus non competit ex officio Baptismum ministrare. Solum Diaconis concedi potest facultas baptizandi solemniter in defectu Sacerdotum: ad quam tamen facultatem concedendam non requiritur extrema necessitas, sed sufficit rationabilis causa, qualis esset e. g. si ob infirmitatem, vel excommunicationem, aut baptizandorum multitudinem non posset Sacerdos baptismum conferre: quia id videtur expostulare officium Diaconi, quod est Sacerdoti inservire: Vasq. Layman. Suarez, Pal. n. 5. Parochus vero Diaconus, & nondum Sacerdos potest jure ordinario etiam solemniter baptizare: Gob. t. 2. n. 139.

Quæres primo, An vi Bullæ Pauli III. concessæ Societati Jesu ann. 1545. & incipientis, *Cum inter cunctas*

tas sollicitudines, in qua hæc habentur, *Facultatem concedimus singulis Societatis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta sine alicujus præjudicio ministrandi*, An, inquam vi hujus Concessionis liceat Religiosis Societatis Jesu administrare Baptismum?

Respondeo, In Regionibus Fidelium certo non licere, quia id cederet in præjudicium Episcoporum, & Parochorum. At in Regionibus Infidelium, distinguendum est: si ibi sint Ecclesiæ jam fundatæ, neque licet ob eandem rationem; si vero, ubi conferendus esset baptismus, non sit Ecclesia jam fundata, licet, quia tunc ministraretur baptismus sine alicujus præjudicio. vide Pal. p. 9. n. 3.

Quæres secundo, Quinam ordo servandus sit in ministratione Baptismi in casu necessitatis?

Respondeo, Servandum esse hunc Ordinem, ut minus dignus cedat digniori, & consequenter ut Sacerdoti cedat Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono alii Clerici inferiores, Clerico Laicus, Viro Femina, & Laico non excommunicato Clericus, imo Sacerdos nominatim excommunicatus. Ita cum D. Th. q. 67. art. 4., & communi sententia, teste Pal. n. 9. Con. Suar. Vasq. An autem talis ordinis inversio in ministratione baptismi privati ratione necessitatis sit peccatum mortale? Non satis constat. Negat absolute Sot. dist. 5. q. unica art. 2. indicans, solum esse culpam venialem. Communis tamen sententia docet, esse peccatum mortale, si præsente Sacerdote non renuente alius Clericus inferior, vel laicus baptizet, quia irrogatur Sacramento injuria, si, cum possit ministrari à Ministro ad id specialiter deputato, & consecrato, ministretur ab alio: sic ut certum tradunt Suar. Vasq. Bonac. Laym. Con. At si præsente Clerico laicus ministret, & præsente viro femina, censent esse solum culpam venialem. Excipiunt tamen aliqui casum, in quo Paganus, vel Hæreticus baptizaret præsente Catholico, dicuntque, peccare mortaliter ob irreverentiam Sacramento factam: excipiunt alii Clericum, vel Laicum baptizantem, præsente, & non renuente Diacono, cui sententiæ favet Pal. n. 13.

Notandum hic, quod patri, & matri prohibitum est baptizare propriam prolem: unde extra summam necessitatem quilibet alius, etiam femina præferendus est paren-

parentibus in administratione baptismi. Probabiliter tamen non privarentur jure petendi debitum, quamvis peccarent mortaliter, quia talis pœna in nullo textu reperitur expressa: Con. contra Villalob. Quod si infans nondum totaliter egressus ex utero matris baptizandus esset, tunc mulier præferenda esset cuicunque viro, etiam proprio Parocho, quia sic exigit honestas: Platel. p. 5. n. 143.

Quæres tertio, Quibus ritibus ministrandus sit baptismus solemnis?

Respondeo, Ministrandum esse sub gravi, extra necessitatem, ritibus, & cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, quæque habentur in Rituali Romano: quare extra mortis periculum grave peccatum esset aliquem domi baptizare, quia est contra ritum ab Ecclesia observatum, exceptis Filiis, aut Nepotibus Regum, & Principum, qui, servatis aliis solemnitatibus, poterunt domi baptizari, ut habet expresse Clem. unic. *de Baptismo.* Nomine autem Principum Riccius, & Quintanad. intelligunt Magnates Hispaniarum, Comites, Barones, Legatos Regum; & Jordan. universim omnes habentes jurisdictionem temporalem: hinc in quibusdam diœcesibus, teste Gob. tr. 2. n. 402. ap. Croix n. 337., permittitur omnibus nobilibus administratio baptismi in Sacello domestico. Si licitum sit baptizare privatim, adhibendæ sunt cæremoniæ; quia absolute prohibetur baptismus sine cæremoniis, excepto solo casu necessitatis. Has sacras cæremonias ab Ecclesia præscriptas pro solemni administratione Baptismi ad tredecim numerat, & late explicat Pal. p. 12. Unum tantum hic expendemus, nimirum quod attinet ad designationem patrinorum: obligationem esse in Baptismo solemni adhibendi aliquam personam præter baptizantem, quæ baptizatum levet de sacro fonte, & illum sub sui tutelam suscipiat in Fide, & bonis moribus instruendum, constat ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, & ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform. Matr.* Rationem hujus institutionis tradit D. Th. q. 67. a. 7. ex similitudine, quam habet Baptismus cum carnali generatione: nam, sicut infans recenter natus indiget nutrice, & pædagogo: sic spititualiter renatus per baptismum indiget aliquo, qui gerat vices nutricis, & pædagogi, informando, & instruendo eum quasi novitium in Fide de his, quæ pertinent ad Fidem, & vitam Christianam: ad quam obligationem declarandam aliis etiam nominibus hoc munus obeuntem appellarunt

PP. & Doctores, nimirum Pædagogum, Fidei Doctorem, Fidejussorem, Sponsorem: Communiter tamen vocatur Compater, seu Patrinus. Parochus baptizans ex Trid. cit. inquirere diligenter debet, quinam sit à Parentibus, vel Tutoribus baptizandi designatus, ut illum levet de sacro fonte, nec procedere debet ad baptismum, quousque hic designatus non sit: in Parentum vero, vel Tutorum defectu designatio Patrinorum spectat ad Parochum.

Obligatio, quam suscipiunt Patrini instruendi baptizatos in Fide, & Doctrina Christiana. de se est gravis: hinc mutus ordinarie non debet esse Patrinus, quia non potest infantem docere res Fidei. Satisfaciunt tamen suæ obligationi, si baptizatum semel in Fide, & Doctrina Christiana sufficienter instruant, etsi postea comperiant eos esse oblitos, credendum quippe non est, talem obligationem urgere toto vitæ tempore, sed solum, quo tempore baptizatus rudis existit, & quasi parvulus pœdagogo indiget: Con. Laym. Verum hæc obligatio raro urget Patrinos in Regionibus Fidelium, quia vix præsumi potest, quod baptizatus non sit instruendus à Parentibus, vel Tutoribus, vel Magistris; secus vero in regionibus infidelium, vel hæreticorum, maxime si Parentes baptizati sint infideles, vel hæretici: D. Th. Suar. Con. Laym. Val, Sa.

Quilibet rationis compos, dummodo sit baptizatus, exercere potest munus Patrini, exceptis publicis pœnitentibus, & moribus infamibus, & hæreticis. Monachis est interdictum tale munus: Monachorum autem nomine hic non venire Mendicantes, aut Canonicos Regulares, probabilius tenet Pal. p. 11. §. 1. n. 4. Quintanad. tamen ap. Croix n. 354. putat, nunc, per se loquendo, licere in omnibus Religiosis, & Monialibus esse Patrinos, & Matrinas. Pro quolibet baptizando designari debet ex cit, Trid. text. unus, sive vir, sive femina; vel duo, vir, & femina; plures nec à Parentibus designari, nec à Parocho baptizante admitti possunt, ita ut grave peccatum dicat esse Pal. §. 2. n. 1. transgredi hoc Tridentini præceptum, quod sub gravi obligare ex eo colligit, quod Parochum plures admittentem Patrinos Ordinario puniendum subjiciat. In Baptismo non solemni non requiritur Patrinus; &, si adhibeatur, probabiliter non contrahit cognationem spiritualem: Sanch. l. 7. d. 67. num. 15. Idem dicunt Bon. Quint. Gob.

Gorm.

Gorm. ap. Croix num. 349. si baptismus conferatur sub aliqua conditione, quamvis sit solemnis, quia Patrinus videtur præcipi pro Baptismo solemni, qui sit certus, & absolutus. Si unicus adhibeatur Patrinus, potest mas suscipere feminam, & econtra: Suar. Fill. Gob. & Aversa, qui proinde dicit, Procuratorem viri Patrini absentis posse esse mulierem, & econtra. Quamvis Urbanus II. prohibeat, duos conjuges simul levare infantem; Navar. tamen Vival. Sanch. Tamb. absolute putant, id licere; & Suar. March. Aversˇ. & alii passim dicunt, illam constitutionem non esse usu receptam. Baptizans potest alium substituere, qui suo nomine baptizatum levet, cum nullo jure id prohibeatur. Potest Pater esse Patrinus filii sui illegitimi: Lug. Gob. apud Croix n. 355. Possunt plures assistere Baptismo veluti testes, & ad majorem pompam: Gob. Hinc, si plures à parentibus designati se ingerant, baptizans potest initio dissimulare; sed postea moneat, satis esse, si unus, vel unus, & una infantem tangat; vel si permittat: omnes tangere, designet tamen cum aliquo signo externo unam; vel unum, & unam, quibus solis tradit infantem baptizantem, non aliis, & illos tantum adnotet fuisse Patrinos, reliquos fuisse testes: Croix n. 350.

Ut Patrinus vere sit talis, cognationemque spiritualem contrahat, requiritur, ut baptizatum de manu baptizantis immediate suscipiat, vel illum teneat, seu tangat manu (nec sufficit tangere uno digito: Croix n, 363.) dum baptizatur, quia textus hoc munus declarantes, cognationemque spiritualem statuentes, iis verbis utuntur. De cognatione spirituali, quam tum Patrini, tum baptizantes contrahunt cum baptizatis, eorumque parentibus vide in tract. de matrim. ubi de impedimento cognationis.

CAPUT IV.

De Subjecto Baptismi.

Subjectum Baptismi capax est quilibet homo viator, etiam rationis usum nondum habens; imo, statim ac ex utero matris prodierit. Constat ex Trid. *sess.* 7. *can.* 13. *de Bapt.* & ex consuetudine Ecclesiæ, & colligitur ex illo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.*, quæ verba communia sunt infantibus, & adultis. Hinc se-

quitur: incapaces esse baptismi Satyros, seu penitos ex femina, & bruto, quia non sunt homines. Incapacia pariter baptismi sunt monstra, si non constet, ea habere animam rationalem. Si vero dubitetur, siutne homines, an bruta, baptizanda sunt sub conditione; quod si certum sit, aliquod ex his monstris esse hominem, dubitetur solum, sitne unus, an duplex homo, quia habet duplex caput, aut duplex pectus; duplex Baptismus est conferendus, alter absolute in ea parte corporis, in qua perfectius caput, sive pectus apparet: alter conditionate in altera parte; Navarr. Comit. Laym. Bon. apud Pal. p. 6. n. 4. Dixi, *Statim ac ex utero matris prodierit;* nam infans in utero matris totaliter existens ex communi antiquorum sententia non est capax baptismi: quamvis Suar. Con. & alii putent, quod, si in aliqua sui parte ablui possit, saltem per fistulam, in casu necessitatis conferri possit, ac debeat baptismus, quia ad baptismi valorem putant, sufficere illam nativitatem, qua quis de non homine fit homo, dummodo ablui possit: non secus ac baptizari possunt, ac debent saltem sub conditione infantes, qui tantum exerunt manum, vel qui ex dissecto utero matris mortuæ vivi extrahuntur, quamvis non sunt nati nativitate rigorosa. Qui tamen in casu necessitatis baptizatus est tantum in manu, aut pede, baptizandus denuo est sub conditione post totalem egressum ex utero matris, quia aliqui dubitant de valore prioris baptismi; secus vero, si, postquam puer eduxerit caput, in eo baptizatus sit, juxta dicta cap. 2. & 3. hujus quæst. Fœtus mulierum abortivi, etiam imperfectissime figurati, si dent aliquod vitæ signum, baptizandi sunt, quia aliqui Medici putant, fœtum humanum post paucos dies à conceptione, v. g. tres, aut quatuor animari anima rationali.

Quæres primo: An baptizari possint filii infidelium, invitis parentibus.

Respondeo: Primo, si filii infidelium nondum rationis usum habentes invitis parentibus baptizentur, valide baptizantur, quia non baptizantur in fide, & voluntate Parentum, sed tantum Ecclesiæ: D. Th. 3. p. q. 68. a. 9. & omnes communiter cum Dicast. contra Palud. Sylv. Dur. & alios, quorum opinio communiter reputatur improbabilis, ut ait Croix n. 297. Secundo, Illicitum est baptizare filios infidelium non baptizatorum rationis usu carentes, invitis parentibus, etiamsi sint sub-

subditi Principis Christiani: quamvis ad licite baptizandum non requiratur consensus utriusque parentis: sed sufficiat consensus alterius. Ratio primæ partis est, tum quia id est contra usum, & prohibitionem Ecclesiæ; nam Julius III. teste Pignat. t. 4. cons. 192. imposuit tali baptizanti pœnam suspensionis: & mulctam 100. ducatorum; tum quia Pater habet jus in Filium, cum Filius sit aliquid Patris, adeoque male ei subtrahitur: quod si relinquatur in Patris potestate, fit injuria Sacramento propter periculum apostasiæ; & ita communiter tenent Doctores contra Scot. Gabr. & alios. Ratio secundæ partis est, quia, cum consensus, permittentis baptismum sit in favorem Fidei, & alter Parens irrationabiliter neget, jure, meritoque prævalere debet consensus prioris. Dixi primo, *Infidelium non baptizatorum;* nam filii hæreticorum, & apostatarum licite baptizantur invitis Parentibus: ita communiter Doctores; quia, cum Ecclesia habeat jus in ipsos Parentes, eosque possit ad fidem cogere, aut pœna mortis punire, potest etiam eos privare jure, & potestate, quam habent in suos Filios: & hos baptizare subtrahendo illos à parentibus. Dixi secundo, *Rationis usu carentes;* nam, si usum rationis habeant, & petant baptismum, baptizari possunt, ac debent, etiam invitis Parentibus, & ab ipsis subtrahendi; quia Filii non tenentur obedire Parentibus, quando hi impedire illis velint media necessaria ad salutem. Quod si dubitetur, an habeant usum rationis, aliqui docent, posse baptizari, quia in dubio inclinandum est in favorem Fidei. Alii negant, quia melior est conditio Parentum possidentium. Alii demum docent, posse baptizari, si simul adsit periculum mortis, vel si transgressi sint septennium; vel si Parentes postea impedituri sint baptismum, & videatur satis consultum eorum constantiæ, quia, quando concurrunt duo præcepta, observandum est majus: præceptum autem baptismi majus est præcepto de non agendo contra jus parentum: Croix n. 306. Dixi tertio, *Etiamsi sint subditi Principis Christiani*, quia Principes seculares punire solum possunt peccata, quæ sunt contra politicam pacem, & gubernationem, contra quam non peccant, qui nolunt, filios baptizari. Tertio filii infidelium mancipiorum possunt licite, invitis parentibus, auctoritate Dominorum baptizari: quia jus in prolem mancipii spectat ad dominum, qui potest illam vendere, aut dona-

re; adeoque potest citra injuriam abstrahere à parentibus, & ab actuali subjectione liberare. Idem dicendum de prole jure belli captiva apud Christianos. quia jam est serva Christiana: Croix n. 301. ex Avers. Imo idem etiam dicendum de prole sive juste, sive etiam injuste extracta extra patriam potestatem, quia tunc parentes amiserunt jus proximum, seu usum actualem talis juris naturalis, & ad tale jus exercendum succedunt illi, quibus actu subsunt, & baptizari mandant: Croix n. 304. ex Laym. Dicast. &c.

Puer vero quicunque morti proximus baptizari debet, etiam invitis parentibus, quia tunc urget præceptum charitatis, & puer non subtrahitur à parentibus per baptizantem, sed per ipsum periculum mortis, & sic extracto licite confertur Baptismus maxime necessarius: Croix n. 305.

An autem liceat Sacerdoti Catholico baptizare infantem, quem pater hæreticus baptizari petit, controvertitur apud Doctores. Negant Suar. Con. Dicast. & alii ob manifestum periculum apostasiæ, cui exponitur infans ille: non secus ac infans infidelis ex communi sensu Doctorum non est baptizandus, si restituendus sit parentibus, quia stante periculo subversionis sit injuria Sacramento, & Religioni. At Laym. Aver. Arsd. Gob. t. 2, n. 324. dicunt, id licite fieri, quia periculum apostasiæ est incertum, & valde remotum, cum multi testentur, vix tertiam partem infantium pervenire ad annos discretionis, & ex alia parte eadem irreverentia contingat, si baptismus confertur ab hæretico, à quo etiam confertur verus baptismus pro vera Ecclesia institutus à Christo: quam sententiam probabilem reputant Dian., & Croix n. 307. Idem dicendum putant Sylv. & Nav. de infantibus infidelium, quos parentes petunt baptizari: sed alii communiter contradicunt cum Laym. Pignat. Dicast. Excipit Gob. n. 325. nisi parens infidelis mortem illaturus esset nolenti baptizare; nam ex dictis d. 1. q. 2. c. 3. possunt dari circumstantiæ excusantes Ministrum, qui Sacramentum conferat indigno.

Quæres secundo, Quandonam baptismus iterari possit, aut debeat sub conditione?

Respondeo, Tum solum iterari posse, ac debere sub conditione, quando adest prudens dubium de valore prioris baptismi, juxta dicta disp. præced. q. 2. c. 3. Unde infers.

Primo,

Primo, Si certum sit, unum è viginti non esse baptizatum, & nesciatur, quis ille sit, omnes debent sub conditione baptizari, quia de singulis prudens est dubium, an sint baptizati? Lug. Dicast. Gob. n. 699.

Secundo, Si baptizans fuit perturbatus, ideoque dubitet, an aliquid essentiale omiserit, si unus astantium, reliquis non contradicentibus testetur, esse appositum id, de quo dubitatur, an sit omissum; non debet iterari baptismus: si vero testes non conveniant, & unus contra alium testetur, esse omissum, vel nullus testetur, debet iterari, quia prudenter dubitatur de valore: Gob. n. 424. ap. Croix n. 312.

Tertio, Qui cæteroqui non est scrupulosus, nec hypocondriacus, sed prudens, si vehementer agitetur circa valorem sui Baptismi, potest rebaptizari sub conditione, quia videtur gravis causa ob exempla non baptizatorum, qui sunt ita interne agitati: Quintanad. & alii cum Gob. à n. 446. ubi refert casus, in quibus etiam ex infestatione spectrorum judicatum est, causam esse sufficientem. Quamvis autem Distastil. & Gobat. dicant, licite suscipere reliqua Sacramenta eum, qui dubius est de valore sui baptismi, dubio tamen juris, quatenus aliqui Doctores probabiliter affirmant, alii probabiliter negant, talem baptismum esse validum, excepto Ordine, & Matrimonio ob periculum nocendi tertio, si hæc Sacramenta nulliter suscipiantur; oppositum tamen tenendum est, quia in tali casu Sacramenta suscipienda exponerentur periculo nullitatis, quod semper est illicitum extra casum necessitatis, juxta dicta disp. præc. l. c.

Quarto, Infantes expositi probabilius sunt rebaptizandi sub conditione, etiamsi inveniantur cum scheda testante de Baptismo: Quintanad. Gob. & alii asserentes, baptismum talium infantium esse dubium, quia hujusmodi infantes solent baptizari à propriis matribus, quæ forte nunquam viderunt baptizare, nunquam didicerunt, nec præ pudore petere voluerunt, ut tamen consulerent æternæ eorum saluti, ob periculum mortis baptizarunt, ut sciverunt. Possunt etiam tales infantes esse expositi à Judæo, vel ab alio execrante baptismum, ex Sylv. & Mercer.

Quinto denique, Circa baptizatos ab obstetricibus quisque licite sequitur statuta, vel consuetudinem suæ Diœcesis, quoad eorum rebaptizationem: supponitur enim talis consuetudo fundata in erroribus aliquando

animadversis; aliter consuetudo nihil immutare potest circa jus Divinum, à quo pendet permissio, prohibitio, & jussio iterandi baptismum: Gobat n. 175. Præscindendo tamen ab hujusmodi statutis; vel consuetudine, plerique baptizati ab imperitis, & mulieribus licite rebaptizantur ob errores substantiales sæpe ab iis commissos, ut refert Gob. à n. 353. Hinc à fortiori rebaptizari debet baptizatus ab obstetrice venefica, quia merito dubitatur de valore talis baptismi. In dubio, an fuerit venefica, Gob. dicit, non esse rebaptizandum, quia in dubio non præsumitur crimen; sed contradicit, & merito, Croix n. 321. si dubium sit prudens, quia tunc etiam prudenter dubitatur de valore baptismi. Econtra vero, quando obstetrix est integræ famæ, circumspecta, & sæpius probata recte semper egisse, tunc infans ne conditionate quidem rebaptizari potest, si illa serio affirmet, infantem à se esse legitime baptizatum, quia tunc non habet locum prudens dubium de valore baptismi, sed ad summum levis scrupulus: Quintanad. Gob. n. 183. Rebaptizare autem extra prudens dubium, etiam supposito levi scrupulo, ordinarie censeri debet mortale: Hurt., Gob. De Baptizatis ab Hæretico prædicante, quos omnes rebaptizandos esse docent Quintanad. & alii plures cum Dicast. v. Croix n. 322.

DISPUTATIO III.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Confirmationis.

CONFIRMATIONEM, sic dictam, quia baptizatos in suscepta Fide confirmat, verum Sacramentum novæ legis esse à Christo Domino institutum, de fide est, ut constat ex Trid. *sess.* 7. *can.* 1. Et quidem instituere debuit plene, & perfecte, antequam ad Cœlos ascenderet, cum sit unum ex præcipuis fundamentis Ecclesiæ, quam Christus Dominus, ante suam Ascensionem perfecte fundatam reliquit. Verum, quo tempore ante Ascensionem institutum fuerit, non constat. Probabiliter Doctores cum Suarez Con. Fill. Trull. docent, institutum fuisse in nocte Cœnæ, ut colligitur ex Fabian.

Pap.

Pap. *epist. 2. cap.* 1. ubi hæc habet: *In illa die Dominus JESUS, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit:* usus tamen talis Sacramenti incepit post Christi Ascensionem; non enim expediebat, Divinum Spiritum perfecte alicui communicari per hoc Sacramentum, antequam Jesus glorificaretur, juxta illud Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Jesu autem glorificato Spiritus plene datus fuit Apostolis, non signo Sacramentali, sed extraordinario, & miraculoso. Quo Spiritu accepto Apostoli aliis Divinum Spiritum communicabant impositione manuum. An vero non solum impositione manuum, sed etiam chrismatis unctione uterentur, non satis constat: verosimilius videntur, utroque signo usi fuisse, ne cogamur dicere, diversum nunc esse hoc Sacramentum ab eo, quod tunc fuit Pal. hic p. 1. num. 4. His positis I. Agemus de Materia, & Forma: II. De Ministro: III. De subjecto Confirmationis.

CAPUT I.

De Materia, & Forma Confirmationis.

Materia remota Confirmationis est Chrisma per Episcopum benedictum. Constat ex Flor. *in Decr. Fidei;* & ex Trident. *sess. 7. can.* 2. Chrisma autem debet esse mixtum ex oleo, & balsamo, saltem ex præcepto. Utrum vero talis mixtio sit necessaria necessitate Sacramenti, & ex Christi institutione, an sufficiat solum oleum (quod certum est pertinere ad materiam essentialem hujus Sacramenti, ut cum D. Thom. & aliis notat Aversa. ap. Croix n. 375.) disputant Doctores. Probabilius est, esse necessariam necessitate Sacramenti: cujus sententiæ fundamentum præcipuum est ex Flor. in *cit. Decr. Fidei*, ubi hæc habet: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto.* Item etiam Suar. Laym. Bon. Pal. p. 2. n. 3. Sententia tamen opposita dicens, balsamum requiri tantum ex præcepto Ecclesiæ, quam tenent Cajet. Sot. Navar. Covar. Vict. Val. Zanard. apud Dian. p. 3. t. 4. r. 23. probabilis

lis est: ita Croix ib. Ratio desumitur ex cap. *Pastoralis, de Sacram. non iterando*, ubi Innoc. III. interrogatus de confirmato in solo Oleo, respondet, nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute prætermissum fuerat. Ad fundamentum sententiæ oppositæ, nempe ad textum Flor. respondent, idem Flor. dicere, vinum aqua mixtum esse materiam Eucharistiæ, satisfactionem esse materiam Pœnitentiæ; nec tamen inde recte inferri, aut aquam esse materiam essentialem Eucharistiæ, aut satisfactionem Pœnitentiæ; Hinc concludit Dicast. hic n. 29. balsamum requiri tantum ex præcepto non mere Ecclesiastico, sed Divino Christi Domini, quod colligi ait ex antiqua traditione Ecclesiæ, & PP.

Hinc infers, quod si haberi non posset Chrisma ex oleo, & balsamo, non peccaret, qui in articulo mortis confirmaret aliquem solo Oleo Infirmorum, quia in casu necessitatis licitum est in Sacramentis conferendis procedere secundum sententiam probabilem: Croix n. 375. Gob. tr. 2. n. 744. & constat ex dictis disp. 1. q. 2. c. 3. Oleum debet esse olivarum, quia hoc proprie oleum dicitur; quare confectum ex alia materia, ut ex nucibus, vel grandi pisce, vulgo *Balena*, non est materia hujus Sacramenti, quia oleum proprie non est: ita D. Th. ab omnibus receptus: teste Pal. p. 2. n. 3. Balsamum vero potest esse cujuscunque Regionis, dummodo sit in ea quantitate, ut det sui odorem; nec requiritur, ut in singulis partibus olei sit aliquid balsami: Con. Bon. Gob. n. 745. Croix n. 377.

Omnes Doctores exigunt in oleo mixto balsamo benedictionem, ut sit apta materia hujus Sacramenti: Pal. n. 5. & ratio desumitur ex institutione Christi, Ecclesiæ usu, & consuetudine declarata, & pluribus Conciliis confirmata: utrum vero talis benedictio necessario facienda sit ab Episcopo, an possit ex commissione summi Pontificis fieri à simplici Sacerdote, discrepant Doctores. Cajet. Val. Barb. Gob. ap. Pal. n. 6. putant, posse summum Pontificem committere simplici Sacerdoti talem Chrismatis benedictionem, cum possit ex dicendis cap. seq. eidem committere hujus Sacramenti administrationem: quam sententiam probabilem reputare videtur Croix n. 378. Communior tamen, & probabilior sententia est, benedictionem Episcopalem necessario requiri in Chrismate, ut sit apta materia hujus Sacramenti; imo

omnes

omnes fere Doctores id docere, ait Suarez, disp. 33. sect. 2. apud Pal. n. 7. colligiturque ex Concil. Rom. sub Sylvestro cap. 3. Tolet. I. cap. 20. Carthagen. II. cap. 13. Carthag. III. cap. 36. & potissimum ex Flor. *in Decr. Fidei*, textu superius exposito: vid. Pal. n. 7.

Quamvis necessario requiratur Chrismatis consecratio; modus tamen consecrandi non est jure divino signatus, sed Ecclesiæ remissus, & solum jure divino consecrandum, & benedicendum est Chrisma invocatione Divini Spiritus. Poterat quidem Ecclesia ita decernere modum consecrandi Chrisma, ut quilibet alius foret irritus, & sacrilegus: quia tamen de hac intentione non constat, nec id conveniens erat; ideo quælibet benedictio Chrismatis facta ab Episcopo sufficiens est ad habendam aptam materiam hujus Sacramenti: grave tamen peccatum committeretur, omittendo ritum ab Ecclesia præscriptum: Suarez, Bonac. plures referens, Con. Layman. Pal. num. 9. sicuti graviter etiam peccaret Episcopus, quamvis Sacramentum conficeret, si confirmaret in Chrismate vetere, seu anni præced. omisso novo: Chrisma enim singulis annis in die Cœnæ Domini consecrandum est, veteri combusto, ex Fab. Pap. *epist.* 2. Probabilius est ad benedictionem Chrismatis necessarios esse Sacerdotes simul cum Episcopo; nam in Rituali Romano de illis dicitur, quod sint, & testes, & cooperatores, jubenturque post Episcopum insufflare, signare, osculari ampullam, &c. non ita Diaconos, & Subdiaconos, qui vocantur Ministri tantum, & Assistentes.

Materia proxima est *Unctio Chrismatis benedicti in fronte Confirmandi, in formam Crucis manu Episcopi facta:* quæ omnia sunt de necessitate Sacramenti, ut est communis sententia Doctorum id comprobantium ex usu, & traditione Ecclesiæ, & ex variis Conciliorum Decretis, præcipue est Flor. sub Eugen. IV. in Decr. *ad Arm.* Hinc infers

Primo, nullimodo satisfacere Episcopum, si confirmandum signet cruce, & deinde ungat, quia non haberetur unctio in formam Crucis, quæ necessaria est tum ex Flor. cit. tum ex Innocent. I. & Gregor. I. relatis in cap. *Presbyteris, de Consecrat. dist.* 4. & ex Stephano Pap. relato in cap. *Numquid de Consecrat. dist.* 5. Congruentia autem hujus institutionis est, quia hac Sacramentali Unctione munimur ad Christi Crucem palam

lam confitendam; & idcirco conveniens fuit, ut talis unctio fieret in formam Crucis: D. Thom. Suar. Con. Bonac. Layman. apud Pal. p. 3. n. 2.

Secundo, Unctionem non in fronte, sed alibi non sufficere ad Sacramentum, colligitur ex usu Ecclesiæ ab antiquis PP. comprobato, præsertim Tertull. Dionys. Cyrill. Hierosol. Greg. Turon. Aug. constat etiam ex Innocent. III. in cap. un. *de Sacra Unct.*, & ex Concil. Flor. in Decr. *Armen.* Vide Pal. n. 8.

Tertio, licet Henr. Vivald. &c. putent, hanc Unctionem fieri posse medio aliquo instrumento, puta penicillo, hæc tamen sententia non videtur probabilis, ut ait Croix n. 380. quamvis probabilem eam agnoscere videatur Dicast. apud cit. Croix; nam impositio manuum Episcopalis, per quam solam legimus in Actis Apost. collatam Confirmationem, dicenda est partialis materia necessaria hujus Sacramenti, ut docent D. Th. Scot. Gabr. Sot. Suarez, & alii apud Avers. contra nonnullos. Quod autem unctio facienda sit pollice dexteræ manus, hoc habetur ex præcepto Ecclesiæ, non ex institutione Christi: Suarez, Con. Laym. Bonac. apud Pal. num. 4. Quare validum conficeret Sacramentum, quamvis graviter peccaret Episcopus, si alio digito ungeret contra universalis Ecclesiæ morem: ita Busemb. quamvis Nugn. Dian. Dicast. apud Croix n. cit, dicant, non satis constare, quod Episcopus graviter peccaret, si absque causa uteretur alio digito, quam pollice dexteræ manus. Addit Avers. apud Croix ib. quod, si laboraret pollice dexteræ manus, licite ungeret alio digito.

Forma autem Sacramenti Confirmationis est, *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Constat ex Flor. *in Decr. cit.* sub Eug. IV. Ratio desumenda est ex institutione Christi nobis declarata ab usu, & traditione Ecclesiæ perpetua: congruentia vero hujus institutionis desumitur ex fine, & effectu hujus Sacramenti, ut recte explicat D. Th. cum enim hoc Sacramentum institutum sit ad designandos Fideles in Christi milites, & ad dandum illis speciale robur, ut Fidem Christi palam, & absque ullo timore, aut verecundia confiteantur; conveniens fuit, ut hæc omnia per formam hujus Sacramenti explicarentur: nam verbis illis *Signo te signo Crucis* declaratur signaculum Crucis fronti

Con-

Confirmandi appositum, ejusque animæ charactere indelebili spiritualiter impressum: illis vero *Confirmo te Chrismate salutis* significatur robur acceptum: &, quia robur hoc, & signaculum sunt ad fidem Christi palam confitendam, conveniens fuit, ut exprimeretur præcipuum fidei mysterium, quod est SS. Trinitatis, & Unitatis Divinæ Essentiæ. Supradicta forma essentialis est quoad omnes sui partes; nam Conc. Flor. exacte formam hujus Sacramenti describens, supradicta verba statuit: credidit ergo esse essentialia: aliter non essent formæ partes.

Dicendum igitur, quod in forma Confirmationis necessario exprimi debeat non solum persona confirmans, saltem implicite, & persona confirmanda: sed etiam signaculum Crucis, Unitas Essentiæ Divinæ, & Trinitas Personarum, & Unctio Chrismatis. Addit Pal. p. 5. n. 6. ex Suarez, fieri mutationem substantialem in dicta forma, si proferatur modo deprecativo; quare indicativo, seu imperativo modo necessario proferendam esse dicit. Apud Græcos forma Confirmationis est, *Signaculum donationis Spiritus Sancti*, omisso verbo more græcorum, & sensus est, *Hoc signo donantur munera Spiritus Sancti:* quam formam validam esse, & continere omnia, quæ sunt de essentia, fuse probat Arcud. l. 2. c. 7. & declaravit Urban. VIII. apud Illsf. *de Sacram.* n. 7. Et, quamvis Græci in conferendo hoc Sacramento ungant non solum frontem, sed etiam oculos, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes; Arcud. tamen loc. cit. testatur, ex eorum mente opus non esse, nisi ungere tantum frontem.

Pro explicandis variis canonibus Conciliorum, & dictis SS. PP. notandum cum Croix n. 381. & Gorm. hic n. 1. varias ab initio Ecclesiæ fuisse manuum impositiones: Primo erat Curativa, de qua Marc. ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Secundo, Reconciliativa cum qua dabatur absolutio sacramentalis Pœnitentibus, præsertim publicis: Tertio, Ordinativa, per quam ordinabantur Ministri Ecclesiæ. Quarto, Confirmativa, per quam conferebatur Sacramentum Confirmationis. Similiter variæ fuerunt Unctiones. I. Altarium, Calicum, & aliorum pro usu Ecclesiæ. II. Baptizatorum in vertice. III. Exorcizandorum ad expellendum dæmonem: IV. Ordinandorum in vertice, & digitis. V. Moribundorum, quæ est extrema Unctio. VI. Confirmandorum, de qua hic sermo est. Hinc facile explicatur,

plicatur, ita ut Catholicæ veritati minime obsit, locus cæteroqui difficilis Aug. lib. 3. *de Baptismo* cap. 16. ubi ait, *Manus impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest, quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* Explicatur, inquam, dicendo cum Pal. p. 6. n. 4. quod ibi August. loquatur de manus impositione, qua hæretici pœnitentes reconciliantur, & in eorum favorem Divinus Spiritus exoratur manus impositione: quod enim ibi non loquatur de manus impositione, quæ est Sacramentum Confirmationis, certum est, aliter sibi contradiceret: nam lib. 2. *contra Epistol. Pœtiliani* expresse asserit, Confirmationem, sicut & Baptismum, repeti non posse.

CAPUT II.

De Ministro Confirmationis.

Fide Catholica certum est, Ministrum ordinarium Confirmationis esse solum Episcopum: constat ex Flor. *in Decr. Fid.* & Trid. *sess.* 7. *can.* 3. dicente, *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemlibet simplicem Sacerdotem: Anathema sit:* & *sess.* 23. *c.* 4. signatur, ut proprium Episcoporum munus, Confirmationis ministratio: & *Can.* 7. Anathemate damnatur asserens, confirmandi potestatem communem esse Episcopis, & Presbyteris. Colligitur hæc veritas ex *Act.* 8. & 19. ubi soli Apostoli leguntur Spiritum Sanctum per manus impositionem Fidelibus communicasse: signum ergo est, nullum alium simplicem Sacerdotem hanc potestatem habuisse. Congruentia autem est, quia Episcopi sunt Ecclesiæ Duces, & ad Duces spectat eligere, & consignare milites. Hinc sequitur, quod Episcopus, etiamsi sit hæreticus, excommunicatus, depositus, aut degradatus, valide, quamvis illicite, hoc Sacramentum ministrat, quia characterem Ordinis, à quo hæc potestas provenit, nunquam amittit: Suar. Bon. Pal. p. 8. v. 2.

Dixi, *Ministrum ordinarium esse solum Episcopum:* nam ex delegatione solius summi Pontificis potest simplex Sacerdos confirmare. Colligitur ex facto Gregorii lib. 3. epist. 26. cum enim hic Pontifex præcepisset Presbyteris Sardiniæ, ne confirmarent, cumque ob tale præceptum scandalum oriri cerneret, *Nos quidem,* inquit,

inquit, *secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed, si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi desunt Episcopi, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Consentit Flor. *in Decr. Eug.* ubi inquit, *Legitur tamen aliquando, per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum:* Vid. Pal. p. 9. num. 3. Laicis vero, aliisve Clericis Sacerdote inferioribus, nullatenus hæc potestas committi potest, nec Sacerdotibus ipsis ab alio præter summum Pontificem, ut constat ex usu, & consuetudine Ecclesiæ, qua declaratur institutio Christi; nunquam enim legimus, Episcopos hanc facultatem Sacerdotibus concessisse, aut summum Pontificem concessisse Clericis Sacerdote inferioribus. Imo, quamvis aliquibus Abbatibus concessa sit facultas exercendi omnia Pontificalia, excepta collatione Ordinum, & consecratione Altarium, & Ecclesiarum, non comprehenditur tamen sub tali concessione facultas confirmandi ex declaratione Gregor. XIII. ap. Lug. *resp. mor.* l. 1. d. 7. v. Croix n. 385. At poterit Pontifex hanc facultatem Presbyteris concedere, eo ipso ac electus est Papa, etiamsi Ordinibus careat; licet enim ipse tunc confirmare non possit; potest tamen facultatem confirmandi concedere iis, qui sunt capaces talis facultatis: hæc concessio non est actus Ordinis, ut est actus confirmandi, sed jurisdictionis.

Quæres primo, An, & Quando teneatur Episcopus hoc Sacramentum administrare?

Respondeo, Quemlibet Episcopum obligatum esse hoc Sacramentum, per se, vel per alium in propria Diœcesi ministrare, ita ut, si longo tempore differat peccet graviter, quia privat subditos ingenti bono: Suarez, Tolet. Barb. Layman. Busemb. Pal. pag. 9. num. 13. Hinc tenetur propriis expensis (nisi longa, & rationabilis consuetudo fecerit jus exigendi tales expensas: Gob. apud Croix n. 388.) circumire Diœcesim, & saltem ad loca præcipua accedere, ad hoc Sacramentum ministrandum; nam, si solum in Cathedrali ministraret, plures ex Diœcesi sine Confirmatione remanerent: Pal. ibid. Hinc, si ad octo, vel decem annos differat circumire, & hoc Sacramentum ministrare, peccat graviter, nisi

excuſet moralis impoſſibilitas. Neque obeſt, quod, qui omittit ſuſcipere, ex dicendis cap. ſeq. non peccat; nam etiam, qui omittit ſæpius confiteri, aut communicare per annum, non peccat; & tamen Parochus nolens ei Pœnitentiæ, aut Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare, graviter peccat: ergo ſimiliter Epiſcopus. Ratio utriusque eſt, quia tenetur ex officio, & ſtipendio: Croix ib. Addit Dicaſt. quod, ſi adſit rationabilis cauſa omittendi, non ſit damnandus, qui ad tres, vel plures annos differat. Præterea debent Epiſcopi confirmare etiam in carcere illos, qui educendi ſunt ad ſupplicium, ſi petant, & infantes jam morituros: D. Th. D. Bonac. Dicaſt. Gob. Imo Bonac. & Quintanad. plures citantes dicunt, moraliter peccare Epiſcopum, ſi moriturum, vel ſuſpendendum petentem non confirmet: ſed Eſcob. Fr. Lug. & alii probabilius negant, eſſe mortale: imo nullum peccatum eſſe, ait Croix n. 390. tum ob conſuetudinem, tum ob incommoditatem miniſtrandi hoc Sacramentum cum ſolemnitate debita.

Quæres ſecundo, Quid requiratur ex parte Miniſtri hujus Sacramenti, ut licite illud adminiſtret?

Reſpondeo, Requiri primo, ut ſit in gratia, ut conſtat ex dictis in Tract. de Sacrament. in genere. Secundo, ut confirmandus ſit ſubditus: quod etiam requiritur ad licitam cujuslibet Sacramenti adminiſtrationem, excepto Matrimonio, ut conſtat ex ibid. dictis. Ex præſumpta tamen voluntate proprii Superioris poſſunt alieni ſubditi confirmari: unde autem hæc præſumptio colligatur, arbitrio viri prudentis remittitur. Si tibi ordinandum ſuum ſubditum non confirmatum proprius Epiſcopus remittit, cenſetur velle etiam, ut eum confirmes; Confirmatio enim Ordinibus ſuſcipiendis præmitti debet ex Tridentin. *ſeſſ.* 23. *c.* 4, Layman. Dian. Dicaſt. n. 130. contra Bon. *de Sacram*, d. 2. p. 2. qui pariter docet, non poſſe Epiſcopum confirmare confluentes ex alienis Diœceſibus ſine ſpeciali licentia proprio-rum Epiſcoporum, contra Pal., Layman., & alios ap. Croix n. 392. imo id fieri poſſe ſine ullo ſcrupulo, docent Dian. p. 4. t. 4. r. 50. & Stephan. t. 5. d. 3. n. 1. quia hoc gratum eſt aliis Epiſcopis, & ratum habent, ut probat praxis. Tertio, ut in propria Diœceſi hoc Sacram. miniſtret: aliter, ſi in aliena Diœceſi ſine illius Epiſcopi licentia etiam proprium ſubditum confirmet,

graviter

graviter peccat, & suspensionem ab exercitio Pontificalium incurrit: Sa, Henr. Barb. ex Trident. *sess.* 6. *c.* 5. *de Reform.* Quarto, ut sit jejunus cap. *Ut jejun.* cap. *Ut Episcop. de Consecrat. dist.* 5. Verum hoc non est præceptum, sed consilium, imo id abrogatum esse, ait Croix n. 389. ex Avers. & Gob. n. 769. hinc, si justa causa adsit, qualis esset ex Pal. n. 11. ingens numerus confirmandorum, improbari non debet usus ministrandi hoc Sacramentum à prandio: Croix n. 389.

Quæres tertio, Quibus ritibus, & cæremoniis teneatur Episcopus hoc Sacramentum ministrare?

Respondeo, Teneri ad servandos ritus, & cæremonias ab Ecclesia præscriptas, idque sub gravi, nisi excuset parvitas materiæ. Tales autem cœremoniæ aliæ antecedunt, aliæ comitantur, aliæ subsequuntur Confirmationem.

Ex antecedentibus, Prima est consecratio Chrismatis ex oleo, & balsamo constantis facta ab Episcopo, quæ cæremonia ex dictis cap. præc. requiritur etiam ad valorem hujus Sacramenti. Secunda est designatio Patrini facienda sub gravi culpa, ut docent Nav. ex communi, à parentibus, & in eorum defectu ab Episcopo: Gob. n. 788. qui Patrinus cum Confirmante eandem cognationem spiritualem contrahit cum Confirmato, ejusque parentibus, ac contrahitur in Baptismo à Patrinis, & Baptizante cum Baptizato, ejusque parentibus; de qua fuse in Tract. de Matr. ubi agemus de impedimento cognationis. Ubi tamen facile non habetur Patrinus, omitti potest juxta Gob. n. 786. In confirmatione non debet admitti unus, & una; nam id tantum pro Baptismo fuit à Trident. permissum, sed debet esse unus tantum; &, secundum usum Ecclesiæ, & ritum Pontificalis Romani, ejusdem sexus, cujus est confirmandus: Croix ex Aversa n. 399. debet insuper esse confirmatus: secus non valide Patrini munus exercebit, nec cognationem spiritualem contrahet: Suarez, Sanchez. Oppositum probabile esse, dicit Croix n. 400. graviter tamen peccabit juxta communem sententiam, quamvis Escob. ex Con. à mortali excuset. Idem debet esse diversus à Patrino Baptismi saltem extra necessitatem; quamvis Bonac. & Hurt. negent, & secus facientem non peccare mortaliter, dicat Dian. p. 3. t. 4. res. 21. Non Monachus, nisi factus Episcopus, & nisi confirman-

dus esset pariter Monachus; licet Quintanad. admitti posse dicat sine culpa, & Monachos, & Moniales, nisi in eorum Religione sit prohibitum. Demum una eademque die nemo potest esse Patrinus, nisi duorum tantum: ita cavetur in Pontificali: at, si sit vir probus, & maxime Ecclesiasticus, in quo nulla adsit malitiæ præsumptio, poterit eadem die esse Patrinus plurium: Marc. Ant. Genuens. *in manu pastor. cap.* 54. *num.* 6. quem refert., & sequitur Barb. 2. part. *de potest. Episc. alleg.* 30. *num.* 52. Patrinum Confirmationis non contrahere obligationem saltem gravem instruendi confirmatum, docent communiter Doctores. Tertia cæremonia antecedens sunt plures orationes, quibus Confirmandus disponitur, & Confirmationis institutio, & effectus declaratur. Quarto loco numerari posset jejunium servandum tam à Confirmando, quam à Ministro ex cap. *Ut jejunii:* sed de hoc vide dicta superius.

Ex concomitantibus primo numerandus est loco. Hic debet sub gravi culpa esse Ecclesia, ut testantur Doctores apud Castropal. punct. 10. n. 7. qui tamen probabile esse ait, confirmationem conferri posse sine culpa extra Ecclesiam in loco decenti: & ita tenent etiam Suarez, Henr. Bon. Sa, Barb. Secundo, Tempus, quod antiquitus erat sola vigilia Resurrectionis, & Pentecostes, quibus diebus dumtaxat Confirmatio ministrabatur. At hæc cæremonia consuetudine abrogata est, & quolibet die, sive festo, sive feriali ministrari potest, quia sic usus obtinuit. Tertio, Vestes sacræ, quibus Episcopus ornari debet, ad hoc Sacramentum ministrandum, nimirum Pluviali, Mitra, Stola, Baculo pastorali ex quodam responso Sacr. Congr. apud Barb. 3. p. *de pot. Ep. all.* 30. *num.* 11.

Inter cæremonias vero Confirmationem subsequentes, Prima est Confirmati frontem vitta ligari, ne Chrisma defluat, sed exsiccetur, quæ tamdiu retinenda est, quamdiu fuerit consuetudo loci: pluribus tamen in locis statim post confirmationem frons confirmati in fonte baptismatis abluitur, & vitta deponitur, quæ alicubi solet comburi, & in profluentem mitti: alibi tota asservatur ad similem usum: nunquam tamen profanis usibus applicari debet. Secunda est levis alapæ inflictio in signum, quod Confirmatus paratus esse debet ad injurias constanter pro Christo sustinendas, & in memoriam

moriam ſuſcepti Sacramenti, ne illud audeat iterare. Hujus cæremoniæ omiſſionem, ſecluſo ſcandalo, non reputant mortale Suarez, Val. Con. Sa. Tertia eſt cereus accenſus in ſignum, quod ſemper vivam Fidem conſervare debet Confirmatus. Hæc cæremonia eſt tantum conſuetudine introducta, ſed non ſub gravi obligatione, ut teſtatur Emm. Sa. Quarta, ſunt plures orationes, quibus Confirmatus admonetur de ſuſcepta obligatione ſervandi conſtanter Fidem, & Charitatem augendi. Quinta eſt admonitio, ne Confirmati ante ultimam benedictionem Epiſcopalem è loco Confirmationis diſcedant. Hæc tamen admonitio omittenda eſt, quando numeroſus populus ad Confirmationem conſtituit; durum enim eſt omnes obligare, ut in Eccleſia usque ad finitam omnium Confirmationem immorentur.

CAPUT III.

De Subjecto Confirmationis.

QUILIBET homo baptizatus cujusvis ætatis eſt ſubjectum hujus Sacramenti capax, cum quavis ætate capax ſit effectus hujus Sacramenti: hoc ipſo enim, quod per baptiſmum eſt ſpiritualiter genitus, poteſt creſcere, roborari, & ad Fidem tuendam armari, quamvis actu ex defectu ætatis ineptus ſit ad pugnam. Conſtat ex uſu antiquo Eccleſiæ hoc Sacramentum miniſtrantis baptizatis omnibus ſtatim poſt baptiſmum. Unde ſequitur, ad hoc Sacramentum valide ſuſcipiendum non requiri propriam ſuſcipientis voluntatem in iis, qui voluntatem propriam non habent, ſeu rationis uſu carent, ſed ſufficere voluntatem Chriſti, & Eccleſiæ, ut dicitur in Baptiſmo.

Quamvis vero omnes baptizati etiam ante rationis uſum ſint Confirmationis capaces; in præſenti tamen non expedit, eam miniſtrari infantibus ante uſum rationis, niſi ſint jam morituri, ut c. præc. innuimus, vel niſi ob abſentiam Epiſcoporum, aliamve cauſam timeretur longo tempore poſt uſum rationis Confirmationem eſſe differendam; vel infantem ſine Confirmatione deceſſurum; vel niſi adſit Diœceſana conſuetudo confirmandi pueros ante uſum rationis: Pal, pag. 7. num. 5. cum Suarez, Con. Layman. additque Suarez diſp. 35.

sect. 2. quod non peccaret graviter Episcopus, si ob benevolentiam, aliamve similem causam puerum ante rationis usum confirmaret, quia consuetudo expectandi usum rationis non videtur introducta esse cum tanto rigore. Ratio, cur expediat regulariter expectare usum rationis ad hujus Sacramenti susceptionem, est, quia sic decentius suscipitur, & cum majori fructu, & absque periculo reiterationis. Dixi, *In præsenti, &c.* ne videret improbare antiquum Ecclesiæ usum confirmandi infantes statim post baptismum; tunc enim id conveniens erat ob penuriam Episcoporum, & paucitatem Fidelium, quibus de causis bis tantum in anno extra necessitatem baptismus, & statim post Baptismum Confirmatio ministrabatur: at multiplicato Episcoporum, & Fidelium numero cessavit consuetudo conjungendi confirmationem cum Baptismo: eaque bis tantum in anno ministrandi, & successit Confirmationis ministratio, prout magis expedit, tum reverentiæ Sacramenti, tum Fidelium utilitati: Castrop. n. 5. In locis tamen Missionum, & inter hæreticos, quo rarius accedunt Episcopi, convenienter confertur etiam infantibus: Croix num. 391. nam etiam Græci, teste Arcud. l. 1. c. 13. statim post baptismum infantes confirmant.

Quæres primo, An perpetuo amentes possint confirmari?

Respondeo affirmative cum Suarez, Henr. Layman., Con. Dicast. num. 92. apud Croix loc. cit. contra Sot., Val. Mærat.; sed attendendam esse consuetudinem ait Croix, quam tamen aliqui dicunt non obligare, si alicubi adsit non confirmandi, quia id pendet à libera voluntate Episcoporum. Excipe, nisi spes adsit, eos usum rationis habituros, quia tunc differenda esset confirmatio ad usum rationis, ut dicitur de infantibus. Neque obstat, quod amentes non habeant voluntatem suscipiendi Sacramentum: nam pro carentibus perpetuo usu rationis sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ, ut in baptismo: pro iis vero, qui aliquando usum rationis habuerunt, & christianè vixerunt, sufficit voluntas interpretativa, ea nimirum, quæ censetur esse in quolibet Christiano suscipiendi suæ salutis remedia, dummodo de voluntate contraria non constet.

Quæ-

Quæres secundo, An, & qualis sit obligatio suscipiendi Confirmationem?

Respondeo, Quadruplicem Sententiam minus veram numerari à Castrop. p. 8. Prima asserit, absolutam dari jure Divino obligationem suscipiendi Confirmationem: tribuitur Scoto, Richard. Valdens. Verum hi Doctores, teste cit. Pal. solum asserunt, hoc Sacramentum contemni ab iis, qui, data opportunitate illud recipiendi, sine causa omittunt. Secunda limitat primam, ut procedat eo casu, quo publice coram tyranno Fides est confitenda, cui sententiæ favere videtur præceptum latum Apostolis Luc. ultim. ne è civitate exirent, donec inducerentur virtute ex alto, hoc est, donec Spiritu Sancto munirentur. Ita sustinent Dur. Marsil. Turrecrem. Tertia admittit obligationem suscipiendi hoc Sacramentum, non Divinam, sed Ecclesiasticam: ita Alex. Ales, Bon. Palud. Sylvest. id colligentes ex variis decretis *de Consecrat. dist.* 5. Quarta limitat dictam obligationem solum ad casum, quo suscipienda sit prima Tonsura ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. *de Reform. Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Verum communis, & probabilior sententia negat, ullam per se obligationem esse, sive ex jure Divino, sive ex Ecclesiastico suscipiendi Confirmationem: D. Thom. Abb. Covar. Henr. Suarez, Val. Con. Laym. Bon. & alii plures. Ratio est, quia non sunt imponendæ obligationes, & præcepta sine fundamento: nullum autem fundamentum est, ex quo colligi firmiter possit talis obligatio. Et, quamvis Dicast. hic n. 105. ex variis Conciliis, & dictis SS. PP. colligat, fuisse olim præceptum Ecclesiasticum obligans ad susceptionem Confirmationis, recte tamen docet dub. 10. ap. Croix n. 195. nunc per desuetudinem desiisse tale præceptum. Textus Trident. cit. pro initiandis prima tonsura, vel non continet præceptum, sed meram admonitionem juxta Suar. Navar. Con. Regin. Layman. vel non continet præceptum obligans sub gravi ob levitatem materiæ, ut vult Pal. n. 6. in fin.

Notat hic Croix n. 402. quod Parochi debent monere populum de irreiterabilitate Confirmationis (ejus vero reiteratio, quamvis sit grave peccatum, non tamen inducit irregularitatem, quia jus id tantum statuit in baptismo) & de cognatione spirituali, quæ contrahitur in hoc Sacramento: unde, si. habere non possit, ut in li-

brum referat nomina Confirmatorum, Parentum, & Patrinorum, saltem, dum matrimoniales contractus celebrantur, debet diligenter inquirere, num inter contrahentes sit aliqua cognatio spiritualis contracta, vel in Confirmatione, vel in Baptismo.

DISPUTATIO IV.

De Eucharistia.

Cum Eucharistia, & Sacramentum sit, & Sacrificium, in duas quæstiones præsens disputatio dividenda est, quarum I. erit De Eucharistia, quatenus Sacramentum est; II. De Eucharistia, quatenus est Sacrificium.

QUÆSTIO I.

De Eucharistia, quatenus Sacramentum est.

Agemus hic I. De Nomine, Institutione, Quidditate, & Natura Eucharistiæ: II. De Materia, & Forma: III. De Ministro: IV. De Subjecto: V. De Obligatione suscipiendi Eucharistiam.

CAPUT I.

De Nomine, Institutione, Quidditate, & Natura Eucharistiæ.

Eucharistia, quæ vox græca est, græce idem sonat, ac latine *Bona gratia*. Appellatur hoc nomine tale Sacramentum, tum quia continet Christum gratiæ fontem; tum quia per ipsum uberior gratia, quam per alia Sacramenta conceditur; tum denique quia est pignus Vitæ æternæ, quæ gratia appellari solet juxta illud Paul. ad *Rom.* 6. *Gratia Dei Vita æterna.* Aliis etiam nominibus appellatur: dicitur enim *Viaticum*, quia morituris viam parat ad gloriam, *Synaxis*, latine *Communio*, quia per eam cum Christo Capite, & inter nos ipsos conjungimur, & unimur, *Panis vitæ*, & intel-

intellectus, quia vitam causat, & intellectum illuminat, *Panis Cœlestis*, seu *Qui de Cœlo descendit*, quia continet Christum de cœlo descendentem. Aliis etiam nominibus SS. PP. hoc Sacramentum explicant, ut videre est apud D. Th. 3. p. q. 73. a. 4. Abstinendum tamen esse à nomine *Cœnæ Dominicæ*, recte admonet Vasq.: nam eo utuntur Hæretici ad denotandum, Eucharistiam nihil aliud esse, quam Cœnæ usualis figuram, ac mortuam repræsentationem. Quamplures hæreses circa hoc venerabile Sacramentum in Ecclesia exortas videre quis per otium potest apud Croix à num. 405.

Hoc Sacramentum institutum fuisse à Christo Domino in ultima Cœna illius noctis, in qua traditus fuit in mortem pro nostrorum peccatorum satisfactione, testantur Evangelistæ Matt. 26,. Marc. 24., Luc. 22. Nam Jo. 6. solum promittitur hujus Sacramenti institutio. Institutum igitur fuit die 14. Lunæ vicinioris æquinoctio verno die Jovis, quando juxta Legem Moysis comedendus erat Agnus Paschalis: & quidem institutum fuit post dictam cœnam legalem agni, ut figura præcederet veritatem, & post lotionem pedum, cænantibus Discipulis cœna usuali, & communi, in qua Judas intinxit manum in paropside cum Christo. Unde manifeste colligitur, Christum Dominum consecrasse in azymo, ut facit Ecclesia latina, non in fermentato, ut facit Ecclesia græca: cum enim hoc Sacramentum instituerit primo die Azymorum, quando vetitum erat comedere fermentatum, & cum panem usualem consecraverit, dicendum, quod consecraverit azymum, aliter Christus Dominus dicendus esset transgressor legis prohibentis tunc usum panis fermentati, si in fermentato consecrasset. Suar. disp. 41. putat, cœnam communem fuisse post institutionem Eucharistiæ: at Becanus ex Maldonato dicit, primo fuisse cœnam legalem, secundo cœnam communem, tertio lotionem pedum, quarto cœnam Eucharisticam, quinto discessum Judæ, sexto concionem Domini. Porro fines, ob quos Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit morti proximus, traduntur à Trid. *sess.* 13. *c.* 2.

Definitur Eucharistia *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum.* Hæc definitio colligitur ex Trid. loc. cit., estque adæquata per genus, & differentiam; nam ratio Sacramenti di-

vinitus inſtituti eſt genus, cum ſit ratio communis omnibus Sacramentis: reliqua verba continent differentiam.

Hinc ſequitur primo, Ad hujus Sacramenti intrinſecam conſtitutionem pertinere tum ſpecies panis, & vini, ut continentes verum, & reale Chriſti Corpus, tum ipſum verum, & reale Chriſti Corpus, ut contentum ſub ſpeciebus; neque enim ſolæ ſpecies, neque ſolum Corpus Chriſti, ſed ut contentum ſub ſpeciebus ſunt ſpiritualis animarum cibus, & alimentum. Præterea ſpecies à Chriſto ſeparatæ non ſunt adorabiles adoratione latriæ, qua adoratione adorandum eſt hoc Sacramentum ex Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 5. neque Chriſtus, ſecluſis ſpeciebus, eſt nobis ſignum ſenſibile, quale debet eſſe quodlibet Sacramentum; & ita docent D. Th. Suar. Vaſq. Laym. variis PP. & Conciliorum teſtimoniis doctrinam hanc confirmantes.

Sequitur ſecundo, Verba conſecratoria eſſe partem eſſentialem hujus Sacramenti, & non merum requiſitum, vel cauſam extrinſecam, ut docent Sot. Con. Pal. p. 2. n. 5. Ratio eſt, quia quodlibet Sacramentum conſtat rebus, & verbis: ergo etiam Euchariſtia. Adde, Euchariſtiam in fieri conſtitui ex verbis conſecratoriis, ut patet: ergo etiam in facto eſſe, aliter diverſum eſſet Sacramentum Euchariſtiæ, quod fit, & quod perſeverat. Neque dicas, transactis verbis conſecratoriis haberi, & perſeverare integrum Sacramentum, quin habeantur verba conſecratoria: nam hæc, quamvis non perſeverent phyſice, perſeverant tamen moraliter; quæ moralis perſeverantia ſufficit ad conſtitutionem Sacramenti: ſic, quando confertur abſolutio Sacramentalis, perſeverat moraliter confeſſio, quæ eſt pars eſſentialis Pœnitentiæ; & multoties, quando advenit conſenſus unius Conjugis, moraliter tantum perſeverat conſenſus alterius Conjugis, qui conſtituit Sacramentum Matrimonii. Dicuntur autem moraliter perſeverare verba conſecratoria, quatenus vi ipſorum perſeverat ſignificatio, & exiſtentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis ad nutriendam animam.

Sequitur tertio, Sumptionem nullo modo eſſe partem conſtitutivam hujus Sacramenti, ſed ſolum ejusdem applicationem, & conditionem neceſſariam, ut illud cauſet in actu ſecundo effectum: D. Th. Scot, & alii communiſſime contra Dicaſt. docentem, pertinere ad comple-

pletam Sacramenti essentiam. Ratio desumitur tum ex *Flor. in Decret. Eug. IV. ad Armenos* dicente, quod Sacerdos verbis Consecrationis conficiat Eucharistiam; tum ex Trid. *sess.* 13. *de Euchar. can.* 4. *&* 6. definiente, Christum esse in Eucharistia ante usum: ergo ante usum habetur Eucharistia; *&* *can.* 7. Eucharistiam asservari in Sacrario: ergo Eucharistia est sine usu: Nec valet paritas desumpta ab aliis Sacramentis; in quibus usus non est mera applicatio, seu conditio, ut Sacramentum causet effectum, sed est pars ipsius constitutiva. Nam in iis, quæ pendent à libera voluntate alterius, nullum est argumentum à pari: natura vero, & virtus Sacramentorum pendet unice à libera voluntate Christi Domini, quæ nobis innotescit per Scripturas, Concilia, & PP. Ut Eucharistia causet effectum suum, non sufficit sumptio, quæ consistat in mera positione Eucharistiæ intra os, ut putavit Becan. neque consistens in sola trajectione in certam partem faucium, ut putavit Suar., cui favet Busemb.; sed requiritur, ut aliqua pars specierum Eucharisticarum immediate tangat, & ita recipiatur in stomacho, tanquam primario nutritionis instrumento, ut facile inde revocari non possit: Croix num. 415. cum Lug. Compt. Gonet. Escob. Avers. quia tunc prius censetur habere rationem symbolicam cibi, & potus spiritualis: unde fit, quod, si quis tamdiu retineret species in ore, ut dissolverentur, aut si moreretur, antequam hostia in stomachum descenderet, non reciperet gratiam Sacramenti. Quid vero dicendum de Eucharistia per miraculum posita in stomacho sine sumptione? Variant Doctores. Suar. Compt. Rayn. Gon. & alii dicunt, in tali casu non esse causandam gratiam ab Eucharistia, quia deest manducatio, & Christus hoc Sacramentum instituit pro manducantibus. Econtra Lug. Rhod. & alii dicunt, causandam esse gratiam, si talis homo consentiat in illam positionem Eucharistiæ in stomacho; nam debet esse illi voluntaria, & ratio, cui innituntur, est, quia cibus naturalis sic miraculose positus in stomacho adhuc nutriret: ergo dici etiam potest, quod Spiritualis sic positus nutriat: vid. Croix num. 416.

Sequitur quarto, Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus Panis, & Vini esse unum specie integrum, ac perfectum Sacramentum, non vero plura D. Th. Suar.

Suar. Vasq. Laym. Bonac. cum cæteris Scholasticis. Colligitur ex Trid. *sess.* 7, *can.* 1. defin. Sacramenta novæ Legis esse septem, nec plura, nec pauciora: si Corpus Christi sub speciebus Panis esset Sacramentum adæquate perfecte distinctum à Sanguine contento sub speciebus Vini, jam essent plura ac septem. Idcirco etiam Pius V. in Catech. dixit, *Eucharistiam non plura, sed unum tantum Sacramentum, Ecclesiæ auctoritate edocti, confitemur.* Unde autem hæc Unitas sumatur, cum signa sint physice omnino diversa, discrepant Doctores. Alii dicunt, desumendum esse ab eadem re sub utrisque speciebus contenta, quæ est Christus. Alii ab eodem effectu, quem utraque species causat. Alii ab unitate Ecclesiæ significata per hoc Sacramentum. Alii ex eo, quod idem pignus Gloriæ per utramque speciem conceditur. Sed cæteris clarior est explicatio desumpta ex unitate finis, ad quem ordinatur utraque species: ordinatur enim hoc Sacramentum ad refectionem animæ per modum convivii, quod ex cibo, & potu integratur: non secus ac unum dicitur Sacramentum Ordinis, quamvis à Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu integretur, quia omnia ordinantur ad idem. Hoc solum discrimen est inter Ordinem, & Eucharistiam, quod, qui recipit Diaconatum, non recipit illam gratiam, quæ est propria Presbyteratus: at qui recipit Eucharistiam sub sola specie Panis; eandem specie gratiam recipit, ac qui eam recipit sub utraque specie, etiamsi verum esset, quod majorem extensive gratiam recipiat, qui sub utraque specie communicat: sicuti eandem specie gratiam recipit, qui semel, ac qui bis communicat, quamvis hic majorem extensive gratiam recipiat. Numerica vero hujus Sacramenti multiplicitas desumenda est à multiplicitate specierum non physica, sed morali; hinc plures hostiæ asservatæ in eadem Pyxide unum dicuntur Sacramentum; Sacerdos, qui hostiam in tres partes divisam sumit, unum dicitur sumere Sacramentum, quia faciunt unum cibum: contra vero, si eadem hostia in tres, aut plures partes divisa tribus, aut pluribus sumenda daretur, dicerentur tria, aut etiam plura Sacramenta, quia per multiplicem manducationem haberetur multiplex cibus. Unde inferes, non majorem gratiam recipi à suscipiente plures particulas quam à suscipiente unam; nam moraliter unus cibus est, sive una, sive plures particulæ

simul

simul sumantur. Quamvis per hoc, quod Christus Dominus diutius sit in stomacho illius, qui plures simul particulas sumit, majorem successive gratiam in eo causet, supposita sententia Suar. & aliorum, quod Christus Dominus in stomacho existens, tamdiu gratiam causet ex opere operato, quamdiu, qui communicavit, ad illam se disponit per actus meritorios: sicut autem non recipit majorem gratiam, qui plures, ac qui unam tantum hostiam sumit; ita juxta D. Th. q. 80. a. 12. ad 3. contra Pal. Vasq. Lug. nec majorem gratiam suscipit, qui sub utraque specie, aut qui sub una tantum communicat; quia, cum uterque semel spiritualiter reficiatur, uterque unum Sacramentum recipit. At unum est discrimen inter sumptionem duarum particularum simul, & sumptionem specierum Panis, & Vini in eadem Missa, quod illa ita est sumptio unius Sacramenti, ut nullo modo dici possit duorum Sacramentorum partialium; at sumptio specierum Panis, & Vini in eadem Missa dici potest sumptio duorum Sacramentorum partialium, cum diversimode significent refectionem spiritualem, aliæ nimirum per modum Cibi, aliæ per modum Potus; & ex hac ratione non solum physice, & materialiter, ut duæ hostiæ, distinguuntur, sed etiam aliquo modo moraliter: ex qua diversitate morali possunt dici duo Sacramenta, non quidem totalia, cum integrent unum, idemque spirituale convivium, sed partialia. Hinc, qui recipit unam speciem, integram sumit refectionem, quamvis non integre repræsentatam; & in hoc sensu dici potest, quod non sumat integrum Sacramentum: quatenus non sumit omnes species integrantes hoc Sacramentum, & repræsentantes refectionem animæ per modum convivii, quod ex cibo, & potu completur: quamvis integrum Sacramentum recipiat quoad effectum gratiæ ab hoc Sacramento causatum.

Sequitur demum, hoc Sacramentum distingui à reliquis non solum in constitutivis, & effectibus, sed etiam in hoc, quod ejus materia proxima est quid permanens, cum qua moraliter perseverat etiam, ut dictum est, forma, quousque durant species Eucharisticæ, & sub ipsis Corpus, & Sanguis Christi; unde hoc Sacramentum dicitur permanens, quia est perfectum ante usum: at reliqua Sacramenta consistunt in usu, & non recipiuntur, nisi dum fiunt.

Natura

Natura hujus Sacramenti cognoſci debet potiſſimum ab ejus virtute operativa; ſeu ab ejus effectibus. Effectus autem Euchariſtiæ plures numerantur. Primarius effectus eſt augmentum gratiæ. Præter hunc effectum primarium plures cauſantur ſecundarii. Primo, Augmentum omnium Virtutum infuſarum, quod augmentum ſequitur connaturaliter augmentum gratiæ, cujus ſunt veluti proprietates omnes habitus infuſi. Secundo, Gratiæ actuales, quæ exiguntur à gratia habituali, & habitibus infuſis, quæque proinde cauſantur quidem ab Euchariſtia ex opere operato, ſed mediate. Tertio, Fervor Charitatis, qui eſt ſpecialis fructus Euchariſtiæ, quæ idcirco dicitur Sacramentum amoris. Quarto, Actualis dulcedo, & delectatio, unde Euchariſtia dicitur *Panis cæleſtis, omne deleſtamentum in ſe habens.* Quinto, Debilitatio habituum malorum, & emendatio vitiorum, præſertim libidinis; unde merito ipſi applicatur illud Zachar. 9. v. 17. *Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines:* & hinc eſt, quod dæmon maximam Communionis nauſeam ſoleat injicere impudicis. Sexto, Remiſſio venialium, ut habet Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 2. dummodo ſuſcipiens Euchariſtiam non habeat actualem effectum ad illa: qui effectus præſtatur ab hoc Sacramento immediate ex opere operato ſecundum communiorem ſententiam, ſatentibus Lug. & Dicaſtill., ad quod Con. Bonac. & Eſcob. ſufficere dicunt virtualem deteſtatiouem contentam in ipſa voluntate ſuſcipiendi Euchariſtiam, adeoque magis, & intimius ſe conjungendi cum Chriſto: quamvis alii requirant aliam formalem deteſtationem venialium, quæ excitetur à ſpecialibus gratiis ab Euchariſtia cauſatis, & ſic ſalvant, per Euchariſtiam remitti venialia ex opere operato, at non immediate, ſed mediate tantum. Septimo. Remiſſio pœnæ temporalis debitæ peccatis, *Secundum modum devotionis, & fervoris,* ut ait D. Th. Et ſane cum venialibus remittitur etiam pars pœnæ ex opere operato: probabile inſuper eſt ex Dicaſt., quod remittat etiam ex opere operato partem pœnæ debitæ peccatis antecedenter aliunde remiſſis: Octavo, Præſervatio à peccatis etiam mortalibus, ut habent Trid. loc. cit. Catech. Rom. & SS. PP. apud Lug., qui effectus præſtatur ab Euchariſtia, quatenus hæc cauſat ex opere operato illuſtrationes mentis moventes ad odium peccati, Firmat animam in Charitate, minuit habitus pravos, &

exigit

exigit auxilia externæ protectionis, ut fuse ex Scripturis, & SS. PP. deducit Lug. Quia tamen hæ gratiæ, & hæc auxilia quoad usum subsunt nostræ libertati, hic effectus non est infallibilis, sed esset, si vellemus cooperari gratiæ divinæ. Nono demum, Æterna gloria, quæ specialiter tribuitur Eucharistiæ, quia Christus per Eucharistiam dat speciale jus ad gloriam: hinc Jo. 6. v. 55. dicitur: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam:* vid. Croix à num. 678. ad num. 687.

Præter dictos effectus, quos causat in anima, alii etiam causantur in corpore. Primo, Quædam cordis dilatatio, vultus lætitia, oculorum modestia, linguæ refrænatio, maturitas incedendi, externi gestus modesta ordinatio, ac totius corporis reformatio: quos effectus causat mediate, utpote consequentes ad fervorem Charitatis, & ad Virtutes, quas operatur in anima: Secundo, Imminutio fomitis peccati: D. Th. Escob. Lug. Suar. qui putant, hunc effectum causari immediate ab Eucharistia, partim fugando dæmones, ne excitent species objecti turpis, partim comprimendo activitatem humorum, & amoliendo naturales causas ardoris concupiscentiæ: Tertio, Summa unio inter Carnem Christi, & hominis juxta text. nuper cit., unio enim, cujus ibi meminit Apostolus, licet non sit physica, sed moralis tantum, non est tamen per solam Fidem, vel Charitatem tantum, sed quasi realis, & naturalis; quare SS. PP. eam vocant corporalem: Quarto demum, Glorioſa Resurrectio Corporis, qui effectus non solum causatur ratione gratiæ, quæ est *Semen gloriæ*, sed etiam specialiter tribuitur Eucharistiæ juxta cit. textum . . . . *Resuscitabo eum in novissimo die:* vid. Croix à num. 688. ad 690.

CAPUT II.

De *Materia & Forma Eucharistiæ.*

Sicut in aliis Sacramentis datur materia remota, & proxima, ita etiam in Eucharistia, sed hoc discrimine, quod in aliis materia remota est quid permanens, proxima vero est remotæ usus, qui transit; in Eucharistia vero remota transit: quia convertitur in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, proxima manet, nempe species

ſpecies Panis, & Vini. Porro remota materia hujus Sacramenti eſt Panis, & Vinum: eſt de Fide, & probatur ex inſtitutione Chriſti Matth. 26. & Luc. 22. Utraque hæc materia eſt ita neceſſaria ad hoc Sacramentum conficiendum, ut nunquam, per ſe loquendo, licite una ſine alia conſecrari poſſit, quamvis valide conſecraretur, idque de jure divino; quia ratio Sacrificii, ſine quo hoc Sacramentum non conficitur, exigit utramque materiam: neque Pontifex poteſt in hoc diſpenſare: Dixi, *Per ſe loquendo*; nam per accidens poteſt dari caſus, in quo Sacerdos non peccet unam tantum ſpeciem conſecrando, ut ſi poſt conſecratam hoſtiam animo deficiat, & loquelam perdat, vel in amentiam incidat, nec ſit alius Sacerdos, qui poſſit Sacrificium perficere; vel ſi ſubitum periculum mortis ab hoſtibus, vel ab incendio immineat, ſecluſo ſcandalo, & contemptu Fidei, ſeu Sacramenti; vel, ſi Sacerdos aquam, aut alium liquorem ignoranter conſecraret, nec defectum adverteret, niſi diu poſt, vel quando vinum ſimpliciter, aut ſine ſcandalo haberi non poſſet. His ſuppoſitis explicandum eſt, Primo, Qualis debeat eſſe Panis in materia Euchariſtiæ? Secundo, Quale Vinum? Tertio, Quæ conditiones ad materiæ Conſecrationem requirantur? Quarto, Quænam ſit forma Conſecrationis.

§. I.

Qualis debeat eſſe Panis in materia Euchariſtiæ?

Solus Panis triticeus eſt materia neceſſaria hujus Sacramenti, quia hic ſolus Panis abſolute, & ſimpliciter panis nuncupatur. Colligitur aperte ex Concil. Flor. *in Decr. Fid.* & ex praxi, & traditione Eccleſiæ. Hinc, quando Concil. Carthag. relatum cap. *In Sacramento d.* 2. dicit, *In Sacrificio offerri de uvis, & frumento*, per frumentum intelligit triticum, quia hoc frumento abundat Africa, in qua habitum fuit hoc Concilium, ideoque illi populi nonniſi tritico ad panem utuntur, & hinc triticum abſolute ab iis, ſicut etiam ab aliis populis, dicitur frumentum.

Hinc inferes, non eſſe aptam materiam ad validam conſecrationem panem confectum ex oriza, avena, milio, piſis, fabis, amygdalis, caſtaneis, aliisque legumini-

minibus, vel arborum fructibus; item confectum etiam ex hordeo, quia hæc omnia ex communi usu, & opinione censentur specie distingui à tritico. Idem dicendum de amydo, quod conficitur ex tritico madefacto, & diu macerato, quia triticum per illam madefactionem, & diuturnam macerationem non leviter corrumpitur, & quasi in aliam substantiam mutatur; unde panis ex eo confectus panis usualis dici non potest: Pal. hic p. 4. num. 2. citans D. Th. Vasq. Laym. & alios. Siligo, & spelta sunt saltem materia dubia: quamvis enim plures, & graves Doctores dicant, esse materiam validam consecrationis; alii tamen vel negant, vel dicunt, id non esse certum: v. Croix n. 421. & n. 422. Hinc mortaliter peccaret, qui in dictis materiis consecraret, cum ex dictis d. 1. illicitum sit in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, omissa tutiore.

Panis triticeus consecrationi deserviens debet esse confectus ex aqua naturali, & igne tostus, quia hic communiter dicitur, & reputatur Panis, hinc confectus ex melle, lacte, oleo, aqua rosacea, butyro, ovis, saccharo, vel ex alio liquore non est materia valida consecrationis: & quamvis Cajet. & aliqui alii doceant, panem subactum lacte esse materiam idoneam consecrationis; certo tamen est illicita, & probabilius invalida: uti & subactus aqua rosacea, quia non est panis usualis, sed cum addito, seu dulciarius, vel placenta: ita communiter cum Dian. p. 9. t. 9. res. 58. & Tann. contra Valent. Sa & alios. Sic, etiamsi vinum coqueretur cum pane, nec panis, nec vinum esset consecrabile, quia illud simpliciter non esset Panis, aut Vinum, sed aliquod tertium artificiale decoctum, Dian. loc. cit. & Croix n. 426. Si tritico, ex quo conficitur panis, admixta sit alia materia, puta hordeum, in quantitate æquali, tota materia erit inepta ad consecrationem: quia, si tunc fiat perfecta mixtio ex utroque frumento, resultabit ex ea panis, qui neque erit triticeus, neque hordeaceus, sed tertiæ speciei: si vero non fiat perfecta mixtio, erit panis partim triticeus, partim hordeaceus, sed, quod inerit triticeum, non erit consecrabile quia non poterit præ hordeaceo demonstrari. Quod si parum aliquid hordei, aut alterius frumenti admixtum sit tritico, ex quo conficitur panis, hoc modicum censebitur absumi à plurimo, ait D. Th. apud Croix n. 424.

Hinc inferunt Gob. & alii, quod si sal per errorem admisceatur, licet possit talis Panis consecrari etiam extra casum specialis necessitatis; vix enim unquam accidet, ut panis conficiatur ex puro purissimo tritico, sine ulla etiam modicissima immixtione alterius materiæ; probabile tamen est, quod in tali casu parva illa quantitas rei alienæ, quæ una cum tritico efficit panem usualem, quæque seorsim à tritico non esset consecrabilis, reipsa consecretur in Corpus Christi: ita Lug. & Bernal. contradicentibus etiam probabiliter Suar. Amic. Hurt. Averss. v. Croix num. 425.

Demum hostiæ rubræ, quibus sigillantur literæ, non sunt materia consecrationis, quia per admixtionem cinnabaris multum alterantur: ita Lug. & Busemb. At Ant. Perez limitat, si multum cinnabaris sit admixtum; si autem valde purum, probabile esse dicit, quod sit materia valida, quamvis illicita. Panis subactus aqua marina ineptus ad consecrationem reputatur à Fag. contradicente Diana p. 9. t. 9. res. 58. qui dicit, aquam marinam esse aquam naturalem.

Ut Panis sit usualis, debet coqui, vel in furno, vel supra cineres, vel inter ferri calidi laminas, vel saltem in vase fictili, ut communissime docent Doctores cum Tann. Hinc, si coqueretur in aqua, vel ad solem exsiccaretur, aut frigeretur in oleo, non esset materia apta ad consecrationem, quia non est vere panis, qualis est in usu communiter, & qualem creditur Christus adhibuisse: Amic. Averss. Bern. Quod si panis semel coctus manu humectetur, & quasi reducatur in massam, manet materia consecrabilis, quia illa humectatio non tollit rationem Panis, quam accepit per coctionem, nec panis reducitur ad puram massam: Vasq. Averss. Bern. Addit Lugo, quod Panis, si inter digitos comprimatur ad excludendum vinum, cum quo faciebat offam, erit consecrabilis, quamvis repugnent Trull. & Fag. apud Dian. At Croix num. 427. cum Amic. probabilius esse putat, quod panis vino imbibitus sit materia consecrabilis, quia est vere panis, & habet rationem cibi.

Panis triticeus, sive fermentatus sit, sive azymus, semper est valida materia consecrationis. Quando igitur ad Cor. 5. v. 5., & ad Gal. 5. v. 9. dicit Apost; *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, intelligendum est, quod totam massam pervadat, & alteret; non vero, quod ita corrumpat, ut tollat rationem panis usualis.

Quam-

Quamvis autem panis azymus apud nos non sit in usu, adhuc tamen est panis usualis, quia fit, ut communiter fiunt panes, subigendo farinam aqua naturali, & coquendo per ignem, & erat in usu certis saltem diebus tempore Christi Domini, quod autem nunc apponatur fermentum, ex eo est, quod sic fit sapidior, magis conducit valetudini, & diutius servatur: Croix num. 429.

Quamvis uterque panis, azymus nempe, & fermentatus sit valida materia consecrationis, non est tamen uterque pro omnibus materia licita: nam ex præcepto Ecclesiæ sub gravi obligante Sacerdos græcus tenetur consecrare tantum in fermentato, latinus tamen in azymo. Id autem servare tenetur græcus, ut prænonuimus etiam de Legibus t. 1. d. 2. q. 3. c. 3. circa finem, non solum in Græcia, sed etiam in quocunque templo græcorum apud latinos stabiliter constituto, sicuti latinus tenetur sub gravi servare ritum suum consecrandi in azymo non solum in latino, sed etiam in quocunque Templo latinorum apud græcos stabiliter constituto; hoc ipso enim, quod eis ibi permittitur templum, in eo se habent, sicuti essent in patria propria: Croix n. 430. ex Dian. & Dicast. addentibus, non posse latinum Romæ in templo græcorum consecrare in fermentato, nec græcum in templo latinorum in azymo. Quod si græcus, aut latinus figat domicilium, ubi non est templum sui ritus: debet se accommodare ritui illius loci, quia jam censetur translatus ad illum: Suar. Con. Dicast. Tamb. At si alicubi sit peregrinus, ubi non est templum sui ritus, potest celebrare in utroque pane, quia peregrinus potest se accommodare legibus loci, in quo est, etiamsi sint contrariæ legibus loci, in quo habet domicilium: Nav. Sanch. Con. contra Vasq. & Averss. putantes, quemlibet ubivis teneri servare ritum suæ Ecclesiæ, etiamsi per longum tempus alicubi immorari deberet: quod consilii esse dicunt Con. & Tamb. Probabilius est, non licere Sacerdoti latino consecrare in fermentato etiam pro necessitate Viatici dandi moribundo: quia præceptum Viatici licet divinum, est tamen affirmativum, & non obligat, nisi quando commode fieri potest, & in debitis circumstantiis: neque Eucharistia est adeo necessaria, ut negligi possit observantia præcepti circa ritum tam convenientem: Sot. Suar. Henr. Fill. Laym. Dicast. Dian. Pal. Bonac. Lug. contra Major., cujus tamen sententiam Tann. & Gob. dicunt, se non audere

damnare, secluso scandalo, & perturbatione. Notant tamen priores Doctores, facilius concedendum Græco, quod in tali necessitate consecret in azymo. Demum addit Dian. ad evitandam mortem licite latinum consecrare in fermentato, quia præcepta humana non obligant cum dispendio vitæ. In eadem necessitate dandi Viatici, Con. cum aliis apud Croix num. 433. docet, posse consecrari hostiam aliquantum corruptam, alia deficiente; sed rectius alii negant ex nuper memorata ratione, quia scilicet cum Eucharistia non sit simpliciter, & absolute necessaria ad salutem, ejus sumendæ præceptum non obligat, nisi decenter, ac reverenter ea consecrari, ac sumi possit.

Ex præcepto pariter Ecclesiæ panis consecrandus debet esse figuræ orbicularis in Ecclesia latina, & integer. Græci adhibent figuram quadratam, & in particulis triangularem, teste Arcudio. Veniale tamen est, secluso scandalo, consecrare sine rationabili causa hostiam fractam, vel non integram, vel maculatam, nisi fractura, aut macula esset enormis. March. Dian. Tamb. & Avers. apud Busembaum hic docent, licitum esse celebrare in hostia minore, quæ datur laicis, quando deest alia grandior, quæ adhiberi solet in Missa, & scandalum abest; quia nullum adest de hoc præceptum, & non constat de consuetudine obligante sub gravi: quo casu Tamb. contra Dian. & March, permittit elevare adorandam hostiam majorem ab alio præconsecratam. Non licet tamen parvam sumere, & majorem relinquere ad exponendam e. g. in hierotheca, nisi ipse eadem Missa illam consecraverit, quia debet sumere de suo Sacrificio: unde Parochus renovaturus Eucharistiam non debet ab alio consecratam sumere, & à se consecratam reponere in Ciborio: Tamb. Lug. Si tamen post oblationem deprehendat fracturam, aut ipsemet casu frangat, licite eam consecrabit, nisi timeat scandalum, quia tunc deberet aliam hostiam petere, & fractam post ablutionem sumere, aut etiam reservare sumendam reverenter à quovis post Missam: Gob. Croix num. 423.

§. II.

Quale debeat esse Vinum in materia Eucharistiæ?

SOLUM Vinum de vite, & nullum aliud est valida materia consecrationis Calicis. Colligitur ex Matth. 26. &

26. & Luc. 22. addita Ecclesiæ traditione; & definitum est in Concil. Flor. *in Decr. Fidei;* ac supponitur in Trid. *sess.* 13. *cap.* 1. 2. Hinc resolvuntur sequentia.

Primo, Vinum debet necessario esse ex uvis expressum, nam quousque liquor ille est intra uvam, neque est potabilis, sed potius comestibilis; neque est demonstrabilis pronomine *Hic*, cum non sit sub uvis, ut totum quoddam, sed ut pars in toto; neque est aptus. cui aqua admisceatur: Pal. p. 4. n. 7. cum D. Th. Con. Laym. Bonac. Suar. Vasq.. Idem dicendum de Vino imbibito in ossa panis, quia neque est potabile in tali statu, neque demonstrabile pronomine *Hic*. Quod si erumperet supra panem; sicuti etiam, si ex uva puncta erumperet succus quasi in bullas probabilius ex Suar. & Haun. contra Arriag. esset materia consecrationis: liquor tamen expressus jam ex uvis maturis. licet non sit defæcatus, quique communiter *Mustum* appellatur, est valida materia Calicis, quia est simpliciter vinum; quamvis non sit decens illud adhibere in Missa, & grave peccatum esset tali materia uti absque urgenti causa: Pal. cit. cum Vasq. Suar. Laym. Bonac. Dian. Dixi, *Ex uvis maturis*, nam liquor expressus ex uvis immaturis, quæque vulgo dicuntur *Agresta*, non est materia consecrationis, quia vini naturam non consequitur: ita D. Th. ab omnibus receptus teste Pal. cit. Succus tamen expressus ex uvis passis consecrabilis reputatur ab Amico ap. Dian. p. 7. r. 12. resol. 8. quia est verum vinum.

Secundo, Vinum congelatum probabilius est materia validæ consecrationis: Sylv. Sot. Con. Bonac. Laym. Busemb. Lug. Pal. num. 8. quia adhuc retinet substantiam, & appellationem vini, & de se est potabile. Disparitas, cur aqua congelata non sit materia baptismi, sit vero materia Eucharistiæ vinum congelatum, est, quia baptismus consistit in ablutione actuali, quæ non habetur per aquam congelatam: econtra vero Eucharistia non consistit in actuali potatione, sed in materia de se potabili, quod verificatur etiam de vino congelato. Hinc Pius V. *In Rubr. Miss. de defectibus Missæ §. in hyeme* statuit, ut vinum congelatum post consecrationem igne liquefiat ante sumptionem, supponens species vini non corrumpi ob congelationem, sed potius consecrationi aptas remanere. A quibusdam tamen ob negantium auctoritatem merito

dicitur materia dubia: quare grave peccatum esset vinum congelatum consecrare: at, si prius fuerit congelatum, & postea liquefiat, non est improbabile, quod licite consecretur, quamvis minus decenter, quia est verum vinum, & potationi aptum, licet congelatione aliqualiter immutatum: Suar. & Con. apud Pal. cit.

Tertio, Non est materia apta consecrationi neque lora, genus scilicet potionis, quæ fit ex vinaceis aqua maceratis, postquam totum mustum ex acinis est expressum; neque sapa, seu defrutum, hoc est mustum decoctum, & redactum, sive ad tertiam, sive ad dimidiam partem: neque acetum, quamvis ex vino fiat. Ratio est, quia tam acetum, quam sapa, seu defrutum est in aliam à vino naturam transmutatum: lora vero potius est aqua temperata, quam vinum. Quod si mixtio aquæ in minima quantitate contingeret, esset materia consecrationis: esset tamen grave peccatum in ea consecrare: Pal. p. 4. n. 9. ex Suar. Vasq. Bonac. & aliis communiter. Hinc Pius V. *Rubr. de defectibus in Missa occurrentibus*, Sacerdoti advertenti post consecrationem, sive in ipsa sumptione, se consecrasse acetum præcipit, ut vinum apponat, & denuo consecret: & Greg. XIII. jussit, deleri Glossam in cap. 2. *de Consecrat. dist.* 2. affirmantem, acetum esse materiam consecrationis: quare, si verum sit, Isidor. Innoc. III. aliosque Doctores dixisse, acetum esse materiam Consecrationis, intelligendi sunt non de aceto perfecto, sed de vino acido, seu acescente: quod tamen sine gravi peccato extra urgentem necessitatem adhiberi non potest. Quod si post sumptionem, vel etiam ante eam, sed post consecrationem dubium incidat, an materia consecrata fuerit necne acetum, præsumendum est. quod fuerit vinum, ut docet Tamburin. lib. 2. *de exp. Sacrif.* cap. 7.

Quarto, A fortiori non sunt materia consecrabilis liquores expressi ex pomis malogranatis, & aliis fructibus, quia non sunt vinum: communissime Doctores. Solum dubitari posset de vino miraculose facto ex aqua: Croix num. 432. ex Arriag. & Dicast. dicit, tale vinum fore materiam consecrabilem, sicut etiam panem, qui miraculose fieret ex lapide: unde concludit, à materia consecrationis excludi solum alios liquores; qui non sunt simpliciter tale vinum, quale est illud de vite.

Vino consecrando miscenda est aqua necessitate non Sacramenti, sed Præcepti, & probabilius non Divini,

sed

sed Ecclesiastici, obligantis tamen sub gravi: ita communiter Doctores cum D. Th. Suar. Dicast. Vasq. Con. Bonac. contra Alens. Hosium, Valent. Henr. Ratio est, quia Flor. in Decr. Eug. IV. *ad Arm.* dicit, esse juxta Canonum præceptum, & Trid. *sess.* 22. c. 7. expresse dicit, esse Præceptum Ecclesiæ. Hinc valida esset, sed graviter illicita consecrationi vini puri sine ulla aquæ admixtione. An autem aqua vino admixta convertatur, necne immediate in Sanguinem Christi, disputant Scholastici. Quod vero Christus instituerit hoc Sacramentum in Vino aqua permixto, uti dicunt Flor. Aurel. IV. Carthagin. III. & Trid. hoc non probat, talem mixtionem aquæ esse de necessitate, sive Sacramenti, sive Præcepti Divini: nam non omne id, quod Christus servavit in instituendo hoc Sacramento, dicendum est necessarium ad hoc Sacramentum conficiendum necessitate, vel Sacramenti, vel Præcepti Divini: aliter dicendum esset, quod panis azymus sit de necessitate Sacramenti, vel Præcepti Divini, quia Christus in azymo consecravit: similiter discurrendum esset de vino albo, vel rubro, quia in alterutro debuit Christus consecrare. Itaque non ex eo præcise colligimus, aliquid esse de institutione, vel præcepto Christi, quia Christus illud fecit; sed quia fecit, & aliunde vel ex ipsis verbis Christi, vel ex auctoritate Ecclesiæ, & PP. Christi voluntatem declarantium nobis constat, tale fuisse Christi, non tantum consilium, sed præceptum.

Quamvis vero hoc præceptum sit mere Ecclesiasticum, & consequenter absolute loquendo, posset Ecclesia in eo dispensare, nunquam tamen dispensat, & potius à celebratione abstinendum est: Suar. Spor. Imo Suar. addit, quod si Sacerdos apud oblationem advertat, haberi non posse aquam, debet interrumpere Missam; Bonac. tamen putat, quod in casu, quo quis nunquam sumpsisset Eucharistiam, & deberet decedere sine Viatico, posset Sacerdos consecrare aqua.

Aqua vino miscenda, debet esse naturalis, eaque modicissima ex Flor. si tamen admisceatur aqua artificialis, etiam in necessitate, illicita graviter, quamvis valida erit consecratio. D. Thom. Mol. Dian. quia agitur contra præceptum & consuetudinem Ecclesiæ in re gravi, ex qua ratione etiam grave peccatum reputat Fag. admiscere aquam calidam, sed merito contradicunt alii ap. Dian. p. 6. t. 7. resol. 18. ubi addit, quod si in frigidissimo loco

consuetudo id ferat, ne vinum congelascat, potest sine ullo peccato fieri.

Quod vero attinet ad quantitatem aquæ admiscendæ, Lug. docet, posse sine scrupulo admisceri sextam, vel quintam partem. Consentit Bern. pro locis calidis: at pro locis frigidis admisceri posse, ait, sine scrupulo decimam, vel octavam partem. Gobat tamen etiam pro Germania dicit, vino mediocri admisceri posse quintam partem, quia regulariter loquendo nullum vinum putat esse adeo debile, ut tam modica aqua corrumpatur. Semper tamen tutius parum affundere: ait D. Th., qui addit, sufficere guttulam, dummodo sit sensibilis, quando affunditur. Si mixtio aquæ omissa sit, & suppleatur ante consecrationem, repeti debet oblatio Calicis, quia nihil consecratur, quod prius oblatum non fuerit: Croix num. 440. Demum hæc mixtio facienda est in ipso Sacro, vel ante offertorium, vel saltem immediate ante Sacrum, ut fit apud quosdam; & facienda est, vel ab ipso Sacerdote in Missa privata, vel à Subdiacono in solemni, & quidem in ipso Calice, qui consecrandus est: unde non debet fieri domi in dolio, vel in ampulla, aut alio vase: Bon. apud Bus.

§. III.

Quæ Conditiones requirantur ad materiæ Consecrationem?

AD validam materiæ Eucharistiæ consecrationem duæ conditiones requiruntur. Prima est, ut sit præsens Consecranti: Secunda, ut sit certa, & à Consecrationis intentione in individuo determinata.

Primo igitur debet esse præsens Consecranti; & ratio desumitur ex institutione Christi, & verbis formæ *Hoc*, & *Hic*, quæ non verificarentur circa materiam non præsentem, cum sint pronomina demonstrativa. Adde perpetuam, & constantem Ecclesiæ praxim nunquam consecrantis, aut etiam benedicentis res absentes. Demum ex ratione sacrificii, quem habet Eucharistia, etiam constat necessitas dictæ præsentiæ; sacrificium enim requirit hostiam præsentem. Sufficit autem illa moralis præsentia, qua res est humano modo, vel ad sensum demonstrabilis per pronomen *Hoc*, vel *Hic* independenter ab omni alio signo sensibili.

Hinc

Hinc inferes primo, Valide consecrari vinum in calice cooperto, vel in alio vase clauso, hostias in ciborio, vel in cumulo sub aliis latentes, aut aliter tectas v. g. sub corporali, vel mappa, vel etiam in missali: Suarez, Henr. Con. contra Layman. quare hoc postremum videri debet dubium, & graviter peccaret, qui hostias sic latentes consecraret. Item valide consecrari hostias præsentes à cœco, vel à non cœco in tenebris. Ratio horum omnium descendit est dictis, quia nimirum ad moralem præsentiam materiæ consecrabilis non requiritur, ut videatur, aut tangatur, vel feriatur sono verborum (unde non est probanda praxis eorum, qui os proxime admovent, ut halitum in panem, aut calicem immittant) sed sufficit ejus demonstrabilitas pronomine *Hic*, vel *Hoc* independenter à quocunque alio signo: ad quod satis est, si materia videri possit, vel in se, vel in alio continente. Contra vero non est materia consecrabilis panis infra pedem positus, quia non est demonstrabilis per ly *Hoc*, nisi addito alio signo, e. g. digito in eum intento, vel saltem aliquo nutu: ita communiter cum Dicast. & Croix n. 443. Hostia posita post tergum, & in speculo ante Sacerdotem existente repræsentata consecrabilis reputatur à Bernal. apud Croix l. c. quia sic est ad oculum demonstrabilis. Idem sentiunt Dian. Dicast. Ariag. Amic. contra Sotum, & alios de hostia, quæ à Sacerdote tangatur, vel in manu teneatur post tergum. Probabilius vero invalida esset consecratio, si quis proferens formam, digito ostendat panem à tergo positum, quia non demonstratur solo pronomine *Hoc* independenter ab alio signo.

Inferes secundo, Invalide consecrari materiam positam post parietem, vel clausam in tabernaculo, ut docent Fill. & Bonac. quia sic moraliter censetur abesse, nec est demonstrabilis pronomine *Hic*, vel *Hoc*. Materia vero posita à latere, dummodo censeatur esse moraliter ante Consecrantem, potest valide consecrari: hinc non consecrarentur hostiæ, si in ciborio positæ essent, non in Altari, sed in Credentia ad latus: Croix n. 444. ex Dicast. Similiter non est valide consecrabilis materia longe distans à Consecrante, e. g. 100. passibus, quamvis videri possit, ex eadem ratione: quanta autem propinquitas requiratur, certo definiri non potest, sed remittendum est judicio prudentium. Henr. l. 8. c. 34. docet, 20. aut 30. passuum, quod Bernal. & alii dicunt

non esse certum. Demum nec est valide consecrabilis materia in tam modica quantitate, ut non sit sensibilis, seu non possit sensu percipi, quia tunc non esset demonstrabilis, præterquam quod omne Sacramentum debet esse signum sensibile: Suarez, Vasq. & alii contra Sotum, & Henr. Hoc autem intelligendum est, si non sit in toto, quia in toto etiam minimæ particulæ valide consecrantur, ut constat ex Trident. *sess.* 23. *c.* 3. & 4.

Secunda conditio, ut scilicet materia sit certa, & in individuo determinata à Consecrantis intentione, etiam colligitur ex verbis formæ: nam pronomen *Hic*, & *Hoc* id requirunt: adde actiones esse circa singularia, quæ debent esse certa, & determinata.

Hinc habes, invalide consecrare, qui ex multis hostiis unam, aut plures intenderet consecrare, eas non determinando, vel qui intenderet consecrare designandam, vel designandas à Deo, vel à Titio, etiam posita tali designatione; vel qui eas tantum partes hostiæ, aut vini vellet consecrare, quas Deus elegerit, vel tantum dimidium, aut tertiam ejus partem, eam non determinando, vel tantum partes illas, quæ, fracta hostia, mansuræ sunt in continuo, non quæ excident: quia non sunt materia certa, & definita, ac demonstrabilis pronomine *Hoc*, aut *Hic*. Idem dicit Croix n. 455. ex Lug. & Bern. de hostia signata à Sacerdote v. g. rubrica, & postea cum multis aliis confusa, si illam tantum velit consecrare, & ea ita lateat sub aliis, ut nullo sensu percipiatur, quia sic non est moraliter demonstrabilis neque in se, ut supponitur in casu, neque in alio seu in continente; nam demonstrato ciborio, non magis demonstratur illa, quam aliæ; unde pronomen *Hoc* non cadit determinate supra illam. Contra vero, si Sacerdos è pluribus hostiis unam, aut duas tantum vellet consecrare, eas determinando, e. g. omnes præter infimam, & supremam, vel omnes pares, v. g. secundam quartam, sextam, si sint ordine collocatæ, & determinando, unde initium numerationis sumendum esset, quod tamen grave peccatum esset. & in tali casu, si consecratæ miscerentur cum non consecratis, totus cumulus consecrandus esset sub conditione, vel Sacerdos in earum consecratione deberet haberet intentionem consecrandi tantum non consecratas in illo cumulo,

Quæ-

Quæres primo, An error Sacerdotis consecrantis circa numerum hostiarum à se consecrandarum obstet validæ consecrationi omnium?

Respondeo, Casum esse hunc: putat Sacerdos particulas à se consecrandas esse decem, cum sint plures, vel hostiam grandem à se sumendam esse unam de more, cum sint duæ simul junctæ: Quæritur, an omnes consecrentur? Dico, omnes consecrari, dummodo Consecrans non intendat explicite excludere illas, quas per errorem putat non adesse, si adessent. Ratio est, quia error speculativus, & privatus non obstat intentioni practicæ, & absolutæ consecrandi omnes præsentes, quam, tanquam Ecclesiæ consuetudini conformem, quisque præsumitur habere implicite: Busemb. hic cum Sylvestr. Suarez, Henr. Hinc, si Sacerdos post consecrationem advertat, esse duas hostias simul junctas, utramque, ut consecratam sumet, ut præcipitur in Missali; si id advertat post oblationem ante consecrationem, alteram seponet, à se, vel ab alio post Missam sumendam, tanquam panem benedictum.

Quæres secundo, An censendæ sint consecratæ particulæ in ciborio, seu pyxide positæ in Altari, ut consecrentur à Celebrante, si hic tempore consecrationis nullimode ad eas reflectat, aut de illis cogitet?

Respondeo, Si celebrante non advertente, illæ particulæ fuerunt positæ in altari, sive in corporali, sive extra, & Celebrans usque ad consecrationem inclusive nunquam advertit, eas adesse, nec consequenter unquam intenderit eas consecrare, non consecrari: quia deest intentio requisita ex parte Ministri, ut patet. At si Sacerdote advertente, ciborium continens particulas pro communione laicorum fuit positum in corporali, ibique mansit ad consecrationem inclusive, & Celebrans intenderit eas consecrare, maxime si in oblatione earum meminerit ipsas offerendo, dicendæ sunt consecratæ, licet deinde tempore consecrationis non habuerit expressam reflexionem ad illas, quia ex dictis disp. 1. q. 2. illa intentio prius habita virtualiter perseverat: & hanc esse communem sententiam cum Pal. Dicast. Busemb. ait Croix n. 458. Quod si ciborium cum particulis, Sacerdote advertente, & sciente eas debere consecrari, positum fuit in altari, sed extra corporale, & Consecrans nullimode de illis cogitavit; probabilius est, eas non con-

non consecrari, quia Sacerdos censetur nolle consecrare extra corporale, quia velle consecrare extra corporale est peccatum: quare videtur habuisse intentionem consecrandi, si eas assumeret in corporali: Suarez, Dian. Pal. Gavant. Lessius, Avers. Tambur. apud Croix num. cit. qui addit, probabile etiam esse oppositum, quia potest Sacerdos in tali casu absolute velle eas consecrare, nihil cogitando de corporali. Hinc concludit, rem esse dubiam, & in praxi tales hostias esse de novo consecrandas sub conditione in alia Missa. Nunquam vero licet in eadem Missa repetere formam ad consecrandas hostias minores, si oblitus sis consecrare simul cum hostia majori. Potest tamen sub canone usque ad consecrationem admitti materia consecranda, quæ tunc mentaliter est offerenda ante consecrationem, si, eam excludendo, plures dimittendi essent sine Communione: Possev. Dian. Quart. Tamb. apud Croix n. 460.

Quæres tertio, Quid dicendum de guttis vini, quæ intra calicem sunt separatæ à vino, quod est in fundo?

Respondeo, Si Sacerdos nihil specialiter intendat circa illas, Suarez, Reg. Con. Layman. Dian. & Hurt. docent, eas non consecrari: alii vero distinguunt; & si tales guttæ sint remotæ à vino, quod est in fundo. censent, non consecrari; secus vero vicinas, ita ut levi calicis motione misceri possint cum reliquo vino in fundo calicis, quia cum hoc censetur facere moraliter unum. Utraque sententia probabilis, sed probabilior secunda ex Croix n. 459. Pro praxi ex Platel. tales guttæ vicinæ, si advertantur ante consecrationem, levi calicis agitatione miscendæ sunt cum vino, quod est in fundo: remotæ vero, vel abstergendæ, vel excludendæ ab intentione: quamvis possint etiam includi in intentione, ne in calice sit vinum, quod non consecretur. Consultius tamen videtur esse, ut Sacerdos stabiliter intendat consecrare tantum id, quod per modum unius continui est in Calice: Busemb. dub. 5. Similiter Sacerdos non debet intendere consecrare minimas particulas panis in patena, vel corporali, sed tantum quod continuum est cum hostiis in patena, vel corporali depositis: secus dicendum est de talibus particulis panis in Ciborio contentis; neque enim periculum est eas perdendi: nam omnes particulæ in fundo ciborii repertæ communiter censentur consecratæ, quamvis ignoretur, an intentio Consecrantis fuerit specialiter directa ad illas.

Hactenus

Hactenus sermo fuit de conditionibus requisitis ad validam materiæ consecrationem: addendum nunc superest, quid requiratur ad licitam ejusdem consecrationem? Breviter dico cum Busemb. requiri, ut Sacerdos consecraturus non recedat ab usu Ecclesiæ, præsertim in Missali præscripto; & insuper ut quantitas materiæ consecrandæ non sit major, quam tempore opportuno possit absumi, ad evitandum periculum, quod species corrumpantur. Hinc peccat, qui vas, in quo hostiæ consecrandæ sunt, non aperit tempore consecrationis; qui materiam consecrat extra corporale, ut modo dictum est, qui guttas calicis exterius adhærentes intenderet consecrare (de interioribus vide, quæ modo etiam supra diximus) & qui ante consecrationem sic intentionem formaret, *Nolo hostias appositas consecrare, nisi tempore consecrationis, vel saltem oblationis fuero memor:* ita Præpos. & Layman. quamvis Tambur. nullum in tali casu peccatum agnoscat.

§. IV.

Quænam sit Forma conficiens Eucharistiam?

Sicuti materia Eucharistiæ est duplex, Panis scilicet, & Vinum, ita duplex est forma, altera scilicet consecrativa Panis, altera Vini. Forma consecrativa Panis est hæc, *Hoc est Corpus meum*, quibus verbis significatur perfecte præsentia Christi sub speciebus panis: reliqua verba, sive antecedentia, sive subsequentia sunt de necessitate præcepti, non Sacramenti: imo in prædictis verbis particula *Enim*, cum appositа fuerit ab Ecclesia ad conjungendum sermonem, non est necessaria ad validam consecrationem, & ejus omissio ex negligentia, & incuria erit tantum veniale peccatum. Forma vero consecrativa Vini est hæc: *Hic est enim Calix Sanguinis mei novi, & æterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* circa quæ verba, quamvis probabilius sit, essentialia esse tantum illa, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel *Hic est Sanguis meus*, aut iis æquivalentia; graviter tamen peccaret, qui aliqua ex sequentibus omitteret, vel mutaret.

Ad exponendum sensum dictarum formarum dupliciter explicant Doctores ly *Hoc*, & *Hic*. Primo, ut faciant hunc sensum, *Hæc res, aut hæc substantia contenta in fine pro-*

propositionis sub his accidentibus est Corpus meum, est Sanguis meus: ita Suarez, Tan. aliique communius. Secundo, Referendo pronomina illa ad prædicatum, ita ut sensus sit, *Hoc Corpus est Corpus meum, Hic Sanguis est Sanguis meus:* non secus ac, dum quis dicit, *Hæc est mater mea*, sensus est: *Hæc mater est mater mea;* ita Vasq. Maldon. & alii. Utrique probabiliter ex Croix n. 463. Illud est certum, quod ly *Hoc* non debet intelligi *Hic panis*, quia esset falsa propositio, cum falsum sit, panem esse Corpus Christi, aut quod maneat cum Corpore Christi; neque ly *Hic* intelligi debet adverbialiter pro *Hoc loco.* Item ly *Meum*, & *Mei* referri debet ad Christum, & intelligi debet Sanguis Christi, & Corpus Christi, in cujus persona loquitur Sacerdos consecrans: unde si quis per ly *Meum*, & *Mei* intelligeret tantum suum Sacerdotis corpus, & sanguinem, consecratio esset invalida: Gob. apud Croix num. 464. Hinc sequitur, formam consecrationis à Sacerdote proferri non mere recitative, & historice, sed etiam formaliter, significative, assertive, & operatorie. Quando autem hujusmodi forma mutetur accidentaliter, quando substantialiter; & proinde, quando sit invalida, quando saltem illicita, v. dicta d. 1. q. 1. c. 2.

Verba, quæ diximus esse de essentia formæ consecrationis, operantur effectum suum ponendi Christi Corpus, & Sanguinem sub speciebus panis, & vini, statim ac finitur eorum prolatio. Constituitur autem vi verborum consecrationis Christi Corpus, & sanguis sub speciebus Eucharisticis, non tanquam subjectum, cui illa accidentia inhæreant, sed tanquam vices subjecti gerens ea accidentia altiori, & efficaciori modo sustentando. Hinc Concilia, & PP. actionem, qua hæc omnia fiunt, *Transubstantiationem* appellant, hoc est conversionem unius substantiæ in aliam sub eodem termino, quatenus verba consecrationis ex Divina institutione eam vim, & efficaciam habent, ut eo ipso, ac debito modo proferuntnr, Corpus Christi, ac Sanguinem constituant sub accidentibus panis, & vini, annihilata integra substantia, tum panis, tum vini. Totum autem Christum per consecrationem constitui sub utraque specie, de Fide est, ut docet tum Flor. *in Decr. Eug. ad Arm.* tum. Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. Porro ex vi verborum sub speciebus Panis solum Christi Corpus, & sub speciebus Vini solus Christi Sanguis ponitur,

nitur, quia verbis consecratoriis hæc præcise significantur: at, quia Christi Corpus est unitum cum ejus Sanguine, Anima, & Divinitate, totus Christus sub utraque specie constituitur: ita Trident. loc. cit. Constituitur autem sub speciebus Eucharisticis ad modum Spiritus, ita ut sit totus in toto, & totus in qualibet parte: unde neque divisa hostia Ipse dividitur, nec minus accipit communicans sub minima parte, quam communicans sub magna.

CAPUT III.

De Ministro Eucharistiæ.

IN hoc solum Sacramento, utpote permanenti, & perfecto in ratione Sacramenti ante usum, Minister dispensans, seu conferens illud suscipienti potest esse distinctus à Ministro idem Sacramentum conficiente. Jam vero Minister Eucharistiam conficiens est omnis, & solus Sacerdos: quid vero requiratur in ipso ad validam Eucharistiæ confectionem, constat ex dictis tum in Tract. de Sacramentis in genere, tum cap. præc. Quid requiratur ad licitam confectionem, constabit ex c. seq. ubi agemus de subjecto Eucharistiæ; omnes enim dispositiones, quæ requiruntur in subjecto ad digne suscipiendam Eucharistiam, requiruntur etiam ad digne conficiendam, cum conficiens debeat necessario etiam suscipere Eucharistiam. Hic igitur agemus solum de Ministro dispensante Eucharistiam, & primo inquiremus, quinam sit Minister dispensans Eucharistiam? Secundo, quid requiratur ad licitam Eucharistiæ dispensationem? Tertio quinam teneantur ministrare Eucharistiam?

§. I.

Quinam sit Minister dispensans Eucharistiam?

MINISTER Eucharistiam dispensans ex officio non est, nisi solus Sacerdos: colligitur ex Tridentin. *sess.* 13. *cap.* 8. & ex *cap. Pervenit dist.* 2. *de consecrat.* Atque ita docent D. Th, Sylv. Henr. Con. Suar. Vasq. & alii communissime. Ratio desumitur ex verbis Christi Domini in instituendo hoc Sacramento, *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc est, Consecrate, sumite, aliisque distribuite, quæ nemini alteri à Sacerdotibus dicta

dicta fuere. Dixi *Ex officio:* nam ex delegatione non solum Diaconus, sed etiam laicus potest hoc Sacramentum ministrare. Ratio est, quia ex una parte nullibi reperitur interdicta jure Divino concessio talis facultatis, & ex alia parte Trident. *sess.* 21. *c.* 1. declaravit, in administratione Sacramentorum relictam esse Ecclesiæ facultatem mutandi, & alterandi pro varietate temporum, & Fidelium utilitate, salva eorum substantia: atqui ministratio Eucharistiæ non pertinet ad Sacramenti substantiam: ergo poterit ab Ecclesia aliis à Sacerdotibus committi. Consonat hæc doctrina cum antiqua Ecclesiæ consuetudine, qua solebant laici, teste Justino Martyre apud Pal. hic p. 17. n. 5. Eucharistiam domum deferre, manibus tangere, & ore sumere propter Tyrannorum persecutiones. Ita sustinent apud laudatum, Pal. Suar. Vasq. Laym. Con.

Hanc facultatem dispensandi Eucharistiam delegare potest Diacono non solum summus Pontifex, sed Episcopus, & Presbyter, vel Parochus urgente necessitate: non tamen requiritur necessitas extrema, sed sufficit gravis: ut si nullus adesset Sacerdos, qui commode ministrare Eucharistiam posset. Hinc secundum Quintanad. si absit Parochus, poterit Diaconus etiam sine ejus commissione in casu gravis necessitatis Eucharistiam dispensare, v. g. in solemni, ac principali festo, quo Sacerdos, Confessionibus, Concionibus, &c. est occupatus. Imo absente omni Sacerdote, secundum Bernal. apud Croix n. 480. Diaconus non solum potest, sed etiam debet Viaticum ministrare moribundo, quia in hoc casu recte præsumitur non solum permissio, sed etiam præceptum Episcopi: & idem Diacono permittit Lug. (qui, in hoc fere omnes convenire, ait: idemque in praxi tutum esse, ait Dicast.) si adsit Sacerdos, & ex malitia nolit eam facultatem ipsi concedere. Demum in articulo mortis Diaconus, sicuti potest Viaticum aliis, ita probabiliter, & sibi ipsi ministrare, si absit Sacerdos, sive Parochus, vel injuste deneget administrationem: Suar. Con. Layman. Præpos. Dian. Avers. Franc. Lug. contra Henr. Vasq. & Sa.

Clericis Diacono inferioribus, & Laicis neque à Parocho, neque ab Episcopo, sed solum à summo Pontifice committi potest facultas dispensandi Eucharistiam: ea tamen regulariter loquendo non solet concedi, nec debet. Est communis sententia teste Pal. p. 7. & colligitur

gitur ex *c. Pervenit, de Consecr. dist.* 2. ubi dicitur, horrendum, ac detestabile esse, quod absque necessitate, scilicet extrema, per laicum, ac feminam sacram Eucharistiam ægris mitterent. Solum in necessitate extrema, quando scilicet infirmus est in proximo periculo mortis, nec adsit Sacerdos, aut Diaconus, qui possit, aut velit Viaticum ministrare, probabile est, posse laicum, secluso scandalo, alteri, vel etiam sibi Eucharistiam ministrare: Valent. Suar. Con. Laym. Fil. Regin. contra Henr. Vasq. & Sa: sed Amic. limitat solum casum, quo moribundus conscius peccati mortalis non posset aliud Sacramentum suscipere. Id tamen ex Card. Lug. & Bonac. non est facile deducendum in praxim ob contrariam consuetudinem.

Denum probabile est, Sacerdotem posse extra Missam, non solum pro Viacico, aut in necessitate, sed etiam devotionis causa, sibi Eucharistiam ministrare, si alius Sacerdos, & scandalum absit: Suar. Vasq. Homob. Bonac. Dicastil. aliique contra Cajet. Filliuc. & Avers. Ratio est, quia nulla lex hoc tempore id prohibet, & Conc. Nic. I. id concedit Diaconis, ut notat Dicastil. v. Croix n. 481.

§. II.

Quid requiratur in Ministro ad licitam Eucharistiæ dispensationem?

Ad licitam Eucharistiæ dispensationem non solum requiritur, ut Minister sit liber ab omni censura, & peccato, ut diximus, ubi egimus de Ministro Sacramentorum in genere; sed etiam, ut habeat jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam in personam, cui Eucharistiam ministrat, ut ibi etiam innuimus quoad omnia Sacramenta, uno excepto Matrimonio, & hic supereſt fusius explicandum quoad Eucharistiam. Ratio, cur ad licite hoc Sacramentum ministrandum requiratur jurisdictio, est, quæ militat pro omnibus Sacramentis, quia nimirum proprium est Pastoris pascere oves, quod potissimum fit ministratione Sacramentorum, neque decet alienas oves contra voluntatem proprii Pastoris pascere.

Monent tamen Doctores, in Ministro non habente jurisdictionem ordinariam sufficere pro licita hujus Sacra-

menti miniſtratione facultatem præſumptam, conſiſtentem in eo, quod probabiliter judicetur, non fore proprio Paſtori ingratum, quod ipſius ovibus Euchariſtia miniſtretur: cum enim in caſu jurisdictio non ſit neceſſaria ad validam, ſed ſolum ad licitam Sacramenti miniſtrationem, non requiritur, ut de facto præcedat facultatis delegatio, ſed ſufficit, quod judicetur prudenter deleganda, ſi peteretur: Suarez, Azor. Navar, Vaſq. apud Pal. p. 18. n. 4. Ex hac præſumpta facultate plures ſimplices Sacerdotes excuſari, ait Pal. cit. ne peccent Euchariſtiam miniſtrando, dum Sacrum faciunt; eſt enim ſatis receptum, Fideles petere à Sacerdote celebrante, quicunque ſit, ut hoſtiam parvam ad communicandum apponat, qua conſecrata, Sacerdos eam miniſtrat ſine ullo ſcrupulo, aut examine, an proprius communicantis Parochus conſentiat; credit enim, ex recepta conſuetudine conſenſurum, ſi Communio fiat non ex obligatione, ſed ex devotione.

Qui Euchariſtiam miniſtraret absque ulla prorſus jurisdictione, graviter peccaret: Pal. n. 5. Bon. Buſemb. &, ſi ſit Sacerdote inferior, irregularitatem incurreret ex Con. At nullam aliam pœnam ipſo jure incurreret, niſi eſſet Religioſus; nam Religioſis Clem. *Religioſi de priv.* imponitur excommunicatio Papæ reſervata ipſo facto incurrenda, ſi absque licentia ſpeciali Parochorum, horum ſubditis Clericis, vel Laicis extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare præſumpſerint. A tali excommunicatione excuſare ignorantiam etiam craſſam, notat ex Præp. Dian. p. 5. t. 3. reſol. 51. propter verbum *præſumant.*

Religioſi Mendicantes, & non Mendicantes communicantes in Mendicantium privilegiis, & nominatim Religioſi Societatis Jeſu ex Bulla Pauli III. *Cum inter* ann. 1545. & aliorum Pontif. habent privilegium, ut in ſuis templis per ſe, vel per alios Sacerdotes illic celebrantes miniſtrare Euchariſtiam poſſint quibuſcunque Chriſti fidelibus, præterquam in mortis articulo, & feſto Paſchatis, ſeu die Reſurrectionis Dominicæ: quibus exceptionibus diei Paſchalis, & articuli mortis addenda eſt etiam prohibitio facta alicui à Prælato, ne ſumat Communionem, quæ ſemper præſumitur rationabiliter facta: quæ exceptio eruitur ex verbis in cit. Bull. Pauli III. additis privilegio miniſtrandi Euchariſtiam *Sine alicujus præjudicio*: nam in caſu miniſtratio Euchariſtiæ

ſtiæ cederet in præjudicium Prælati prohibentis: Pal. p. 19. n. 12. Nomine autem diei Reſurrectionis Dominicæ probabilius non venit dies ille materialis, ſed formalis, hoc eſt dies, quo adimpletur præceptum annuæ Communionis Pachalis: unde ſequitur poſſe Religioſos privilegiatos eo die Reſurrectionis Dominicæ Euchariſtiam miniſtrare omnibus illis, qui præcepto vel jam ſatisfecerunt, vel intentionem habeat ſatisfaciendi ſequentibus diebus: Suar. Vaſq. Layman Fagund. Bonac. Buſemb. Pal. p. 19. n. 3. aliique. Huic exceptioni Communionis in die Paſchatis, & in articulo mortis appoſitæ in dicto privilegio miniſtrandi Euchariſtiam à Paulo III. additur, *Niſi neceſſitas urgeat*, quæ verba Suarez, t. 4. *de Relig.* tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 10. putat, intelligenda eſſe non ſolum de articulo mortis, quod ab omnibus admittitur, ſed etiam de feſto Paſchatis; ac proinde poſſe à Religioſis Societatis Jeſu in Paſchate Communionem præceptam ſuſcipi, ſi neceſſitas urgeat: putat autem neceſſitatem urgere, ſi proprius Parochus adiri non poſſit ad ſumendam ab eo ſacram Communionem, nec poſſit ab eo peti licentia ſumendi ab alio. Item, ſi ægrotus ſatisfecerit præcepto de Viatico cum intentione illud adimplendi, poſſunt Religioſi illi Euchariſtiam miniſtrare, quia id vetitum eſt Regularibus, ſolum quando præceptum Communionis obligat: Buſemb. Pal. num. 8. Suarez, Vaſq. Fag. Con. Nunquam tamen licet Religioſis ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi publice Euchariſtiam deferre per plateas, cum id deroget juri Parochorum. Item poſſunt Euchariſtiam miniſtrare ad adimplendum præceptum Peregrinis, Advenis, & Vagis juxta probabilem ſententiam multorum, ut docet Sanch. *Matr.* l. 3. d. 37. & alii. Demum Regulares privilegiati poſſunt miniſtrare Euchariſtiam etiam in Paſchate, & in articulo mortis ſuis domeſticis, ſeu famulis, vel familiaribus, & commenſalibus, idque vi ſuorum privilegiorum. Vide dicenda in Tract. de Pœn. d. 2. q. 1. c. 3. §. 2.

Ad licitam Euchariſtiæ miniſtrationem præter ſtatum gratiæ, & jurisdictionem, aut privilegium requiritur, ut Miniſter reverenter, & ritu Eccleſiæ conſueto eam miniſtret; præſtat enim hoc Sacramentum omitti, cum non ſit Sacramentum ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, quam poſitivam irreverentiam in ejus diſpenſatione committi. Hinc tria inferes:

I. Eucharistiam non esse deferendam ad infirmum sine habitu decenti, hoc est sine stola, & superpelliceo, præcedente lumine, quod non est necessarium ad deferendum Oleum Sanctum, cum non sit Sacramentum; & in eodem habitu sub gravi est ministranda, excepta necessitate Viatici dandi moribundo: Croix ex Quarti cum communi. Hinc, secundum quosdam, si habitus haberi non possit, aut iter faciendum esset, non foret irreverentia, si Sacerdos Eucharistiam in Pyxide cum corporali involutam clam in sinu suo deferret: quod à fortiori licitum videtur in locis hæreticorum, ubi præciso scandalo poterit Minister in necessitate clam eam ministrare sine stola, & superpelliceo; quamvis in nullo casu celebrandum sit sine Vestibus Sacris. Communiter etiam concedunt Doctores, non esse, nisi veniale, absque ulla Veste Sacra movere, vel deferre Eucharistiam ab uno altari ad aliud: item omittere *Confiteor* ante, & lumen in distributione Communionis.

II. In nullo casu licere Sacerdoti in habitu cum Sacramento per publicum currere, etiamsi ægrotus aliter moriturus esset sine Eucharistia, quamvis in tali casu liceat valde festinare. Si tamen faciendum sit longum iter, poterit Parochus Eucharistiam deferre in equo mansueto, ita ut non sit periculum lapsus: Quintanad. cui adhærent Barb. & alii, solum si loci consuetudo id permittat.

III. Eucharistiam porrigendam esse pollice, & indice, qui sunt digiti inuncti: probabile tamen esse, posse aliis digitis ministrari, si illi sint impediti chiragra, vel ex alia causa: Tolet. Arriag. Leand. Gob. & alii contra Vasq. Bon. Lug. & Jordan. quia tota manus Sacerdotis est consecrata. Hinc ne pestis quidem tempore licet Eucharistiam porrigere medio aliquo instrumento, & multo minus deponere alicubi, ut ab ipsomet ægroto sumatur, sed manu danda est immediate sumenti: Possev. tamen, & non improbabiliter juxta Busemb. dicit, posse præciso scandalo, & periculo lapsus in terram, instrumento ad id rite confecto dari: v. Dian. p. 4. t. 4. r. 114. Imo in casu, in quo ægrotus non posset trajicere hostiam, Præp. & Escob. ap. Busemb. amittunt, posse illi dari particulam hostiæ cum vino in cochleari.

Quæres primo, Quid agendum, si in distribuenda Eucharistia Sacra Hostia forte decidat?

Respondeo, Locum, in quem decidit hostia, tegendum esse re aliqua munda, puta linteolo, & postea abluendum:

luendum: ablutio tamen vestis, aut barbæ ordinarie non est præcipienda, quia melius est vitari turbationem, vel offensionem populi, quam talem rubricam servari: Tamb. Pelliz. Gob. & alii contra Pasqual. qui tamen fatetur, tales rubricas de ablutione loci, in quem Sacra Hostia decidit, non obligare sub gravi: secus vero dicendum de speciebus vini, quæ imbibuntur. Addit Pasqual. non opus esse comburi id, in quod Sacer Sanguis decidit, sed satis esse ablui. De his tamen consulendæ sunt Rubricæ Missalis. Quod si Sacra Hostia decidat in sinum, vel intra vestes mulieris, permitti potest, ut ipsamet, vel alia mulier illam extrahat, & reponat in Pyxide; indecens enim esset, & plerumque scandalosum, si Sacerdos extraheret: imo, si ibi commode non posset extrahi, potest mulier in locum remotum, etiam in vicinam domum secedere, ibique eximere, & referre: digiti tamen mulieris erunt abluendi, & ablutio mittenda in Sacram piscinam: Gob. Lohn. Pasqual. apud Croix num. 495.

Quæres secundo, Quid agendum de fragmentis Hostiarum, quæ forte reperiuntur?

Respondeo, Dicta fragmenta residua ex hostiis in propria Missa consecratis posse Sacerdotem sumere post Communionem suam, etsi post eam lapsum sit notabile tempus, v. g. hora integra in distribuenda Communione laicis: communiter Doctores cum Lohn. & aliis ap. Gob. teste Croix n. 496. Idem dicunt, si immediate post Missam ad longum tempus Communionem distribuerit: idem dicunt Gran. & Dian. si sacris vestibus adhuc indutus, hujusmodi fragmenta advertat in Sacristia. Imo Marchinus addit, Sacerdotem posse sumere reliquias etiam alieni Sacrificii, finita Missa post multos communicatos, quod probabile esse, dicit Tambur. quia, cum omnes Sacerdotes sint unius, ejusdemque Christi Domini Ministri, omnes unum specie Sacrificium offerunt, ideoque in tali casu censebitur aliquo modo ex suo Sacrificio sumere. Idem, si Sacerdos adhuc indutus sacris vestibus ferat ad infirmum hostiam ab alio consecratam, poterit reliquias in patena repertas dare infirmo statim post sumptionem hostiæ, ita ut sumptio fragmentorum simul cum sumptione hostiæ censeatur una communio; secus vero, si censeretur bis communicare; & in tali casu posset ipse Sacerdos absumere: ita Castrop. Tamb. Burgh. contra alios. Si vero fragmenta sint ab alio con-

consecrata, servanda sunt, si id commode fieri possit; at, si non possint decenter asservari, potest ea sumere Sacerdos: melius tamen asservantur, si absit periculum irreverentiæ: Suar. Lug. Gob. Si fragmenta reperiantur extra corporale, & dubites, an sint consecrata, sumenda sunt post utramque speciem, vel etiam post ablutionem: Henr. Bon. Gob. At, si inveniatur pars hostiæ circa altare, sumenda est ante primam ablutionem; quod si inveniatur extra tempus Missæ, deponenda est in loco decenti sine solemnitate, & in prima Missa absumenda, ut supra: & idem faciendum esse, dicit Quarti, si quis ferat hostiam, vel partem hostiæ dicens, esse consecratam; non enim semper credi potest. Notandum denique hic, post sumptam ablutionem nunquam esse licitum sumere integram hostiam, vel ab alio, vel à se consecratam, quia usus Ecclesiæ extenditur tantum ad fragmenta, quæ unam moraliter Communionem constituunt cum prius sumptis. Plura in hanc rem vide apud Croix à n. 501.

§. III.

Quinam teneantur ministrare Eucharistiam?

QUILIBET Sacerdos, sive sæcularis, sive regularis tenetur, deficiente Parocho, Eucharistiam morituro ministrare, quia quilibet tenetur ex Charitate, proximo suo extreme indigenti succurrere hoc salutari, & efficacissimo salutis remedio. Parochus vero non solum ex charitate, sed etiam ex justitia hac obligatione astringitur: cui obligationi ut satisfaciat, non solum vocatus debet Eucharistiam ministrare moribundis, sed etjam investigare debet, an in sua Parochia sint infirmi in periculo mortis constituti, quibus Eucharistia ministrari debeat. Colligitur ex *cap.* 1. *de Celebrat. Missar.* ut notat Laym. apud Pal. p. 20. n. 1.

An autem Parochi teneantur Eucharistiam ministrare etiam cum periculo vitæ propriæ, ut esset tempore pestis? sententia hinc inde: Major, Molfes. ap. Dian. p. 3. t. 4. r. 174. item Gob. Croix, &c. docent, Parochum non teneri tempore pestis ministrare Eucharistiam, quia, cum ejus vita requiratur ad alia Sacramenta magis necessaria etiam aliis conferenda, non videtur esse propter aliquos

aliquos exponenda tanto periculo in administratione Sacramenti utilis quidem, sed minus necessarii: econtra Suarez, Fag. Tolet. Navarr. Sotus, Henr. Villal. Fill. Sylv. Nugn. Marchan. Mancin. Tabien. Sa, Pal. Busemb. Avers. Card. & alii dicunt, Parochum teneri, per se loquendo, tum quia infecti peste habent jus petendi; tum quia subdito in gravi necessitate spirituali constituto tenetur Parochus etiam cum periculo vitæ propriæ succurrere: moribundus autem est constitutus in gravi necessitate suscipiendi Eucharistiam, etiamsi Pœnitentiæ Sacramentum susceperit; nam nihilominus tum maxime infestatur à dæmone; egetque viribus spiritualibus, quas hoc Sacramentum causat, possetque ipsi per accidens causare primam gratiam juxta piam, ac probabilem sententiam recensitam d. 1. q. 1. c. 4. Fatentur tamen omnes, satis esse, si Parochus per se ministret per alium; imo Dicast. ap. Croix num. 484. refert declarationem S. Congreg. qua prohibetur Parochus per se ministrare infectis, si alius sit, qui ministret, ne reliqui Parochiani fugiant conversationem illius, quem sciunt agere cum infectis peste. Illud nota, si plures in una domo prudenter timeant, se peste inficiendos esse, non idcirco licet Parocho plures hostias ibi relinquere, ut se ipsi communicent, sed debet singulis vicibus Eucharistiam deferre, & propria manu porrigere, ut dictum est §. præced. An liceat Eucharistiam porrigere medio aliquo instrumento, vide ibid.

Ab hac obligatione ministrandi Eucharistiam constitutis in articulo mortis non sunt excipiendi damnati ad mortem ob quodvis crimen, ut olim consuetudinem fuisse in Hispania, & Lusitania, testatur Covarr. apud Pal. n. 5. quæ consuetudo negandi Eucharistiam morte damnatis prætextu reverentiæ debitæ tanto Sacramento, utpote juri, & Christianæ pietati contraria, merito abrogata fuit à Pio V. in speciali Constitut. hac de re edita; & à Philippo II. Hispan. Rege speciali lege approbata ann. 1569. Hinc tenentur Judices tempus opportunum reis concedere ad se disponendos pro susceptione non solum Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam Eucharistiæ; neque ulla consuetudine contraria, quæ abusus potius dicenda est excusari possunt: Henr. Nav. Suarez, Tolet. Laym. Bonac. Sa ap. Pal. loc. cit. Ab hac tamen obligatione concedendi tempus ad Eucharistiam suscipiendam eximuntur Judices, si ex tali con-

cessione timeatur grave damnum Reipublicæ, vel alicui tertio obventurum, quod alia via, quam celeri morte, impediri non posset: quia non tenentur Judices bono spirituali non necessario Rei consulere cum damno Reipublicæ, vel Innocentis. Excipiunt alii probabiliter etiam casum, quo timeatur, reum eo tempore esse violenter eripiendum à Judicum potestate. Illud vero certum existimat Pal. num. 6. quod scilicet, si reo bis concessum sit tempus ad Pœnitentiam, & Communionem opportunum, & ille eorum susceptionem malitiose neglexerit ad differendam mortem, Judices non tenentur aliud opportunum tempus concedere; aliter esset in potestate Rei mortem evadere, & Judicum potestatem eludere.

An autem, & quando possit, aut debeat Minister Eucharistiam ministrare indigno: vide, quæ diximus disp. 1. q. 2. c. 3. ubi etiam habes, An, & qua obligatione teneantur, sive Pastores animarum, sive simplices Sacerdotes Eucharistiam ministrare extra necessitatem, & obligationem Præcepti Paschalis. Hic solum addendum superest, quod semifatuis, & debilem habentibus usum rationis, raro, v. g. in Paschate danda est Eucharistia, dummodo hunc sacrum cibum à profano distinguere norint: Henr. & Possev. Idem dicendum de mutis, & surdis à nativitate: item obsessis à dæmone dari potest Eucharistia, dummodo sumere eam possint sint irreverentia.

CAPUT IV.

De Subjecto Sacramenti Eucharistiæ.

INQUIRENDUM hic primo, Quinam sint Eucharistiæ susceptores? Secundo, Quænam in susceptore requiratur dispositio ex parte animæ? Tertio, Quænam dispositio ex parte corporis?

§. I.

Quinam sint Eucharistiæ Susceptores?

EX Trident. *sess.* 13. *cap.* 8. Ex Catech. Pii V. ubi de hoc Sacramento, & ex D. Thom. communiter recepto tres distinguendi sunt modi suscipiendi Eucharistiam, nimirum Sacramentaliter tantum; Spiritualiter tantum

tantum, & Sacramentaliter simul, ac spiritualiter. Sacramentaliter tantum accipit peccator, quatenus Sacramentum tantum accipit; at non ejus fructum: quin imo *Judicium sibi manducat*, ut ait Apost. Spiritualiter tantum suscipit justus habens desiderium Sacramenti suscipiendi; &, quamvis hoc modo Sacramentnm nullatenus suscipiat, bene tamen dicitur suscipere spiritualiter, quia suscipit effectum Sacramenti, hoc est augmentum gratiæ. Suscipit Sacramentaliter simul, & spiritualiter, qui suscipit Sacramentum, & Sacramenti effectum. His explicatis

Solius hominis viatoris est Eucharistiam aliquo ex dictis modis suscipere: D. Th. ab omnibus receptus. Dixi *Solius hominis viatoris;* nam etiam non baptizatus est capax suscipiendi Eucharistiam spiritualiter, licet non Sacramentaliter. Potest suscipere spiritualiter, quatenus potest habere desiderium, suscepto Baptismo, recipiendi Eucharistiam: quod votum, quia supponitur procedere ab homine grato, meritorium est augmenti gratiæ, & consequenter est spiritualis Sacramenti manducatio: at non est capax suscipiendi Sacramentaliter, quia baptismus est janua cæterorum Sacramentorum, ac proinde non baptizatus nullius Sacramenti, qua talis, est capax. Baptizatus vero quicunque potest Eucharistiam Sacramentaliter suscipere, & quidem sine fructu, imo cum sacrilegio, si sit scienter peccator; cum fructu vero, si sit in gratia, quicunque sit.

Hinc sequitur, infantes baptizatos, & perpetuo amentes, si Eucharistiam sumant, gratiæ augmentum percepturos esse: sic multis relatis docet Suar. & comprobat antiqua Ecclesiæ consuetudo teste Trid. *sess.* 21. *c.* 4. dandi Eucharistiam parvulis, quæ certe illis non fuisset concessa, nisi profutura fuisset. Quamvis autem talis Consuetudo abrogata fuerit, id factum est ob reverentiam tanti Sacramenti; non vero, quod putetur tale Sacramentum non prodesse baptizatis carentibus usu rationis, sed justis.

Quæres primo, An infantibus, & perpetuo amentibus concedi possit, aut debeat Eucharistia in articulo mortis?

Respondeo, Certum esse, nullam dare obligationem, aut necessitatem ministrandi Eucharistiam infantibus ante usum rationis, & idem est de perpetuo amentibus) ut docet expresse Trid. loc. supra cit. hanc addens rationem.

Quia per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Iisdem vero, sicuti non est necessaria Eucharistia in tali statu, ita nec expedit eam ministrare: D. Th. Vasq. Suar. Henr. Laym. Bon. Amentibus tamen, qui aliquando usum rationis habuerunt, extra motis articulum non debet concedi, bene tamen in articulo mortis; dummodo non constet, incidisse in amentiam in statu peccati mortalis: Suar. Vasq. Laym. Henr. Bonac. Ratio primæ partis est, quia reverentia debita huic Sacramento postulat, ut non concedatur iis, qui nequeunt se ad illius susceptionem actuali devotione disponere. Ratio secundæ est, quia, qui aliquando usum rationis habuit, & christiane vixit, censetur velle, sibi applicari remedia ad salutem necessaria. vel maxime utilia, adeoque censetur velle interpretative Eucharistiam: quæ ratio non militat pro infantibus, & perpetuo amentibus; & idcirco his deneganda, illis vero concedenda in articulo mortis Eucharistia. Semifatuis, & debilem usum rationishabentibus, si valeant Divinum hunc cibum à profano distinguere, & reverenter illum expostulent, non solum in articulo mortis, sed etiam tempore Paschali concedi debet, quia credendum est præcepto Communionis Paschalis obligari: at extra dicta tempora non debet concedi ob reverentiam Sacramenti. Quod, si facta diligentia deprehenduntur non sufficienter distinguere cibum Eucharisticum, computandi sunt inter absolute amentes: Possev. Laym. Bonac. Pal. p. 10. n. 3. Vide, quæ in hanc rem congessimus in Tr. de Legibus d. q. q. 3. c. 3.

Quæres secundo, An mutis, & surdis à nativitate; item, An energumenis, seu obsessis à dæmone concedi possit, aut debeat Eucharistia?

Respondeo primo, Si ex signis, & nutibus constet, mutos, & surdos à nativitate pollere sufficienti discretione, qua cibum Eucharisticum valeant distinguere à profano, non solum in mortis articulo, sed etiam in Paschate danda est illis communio. Quod, si prudens Confessarius non qualemcunque discretionem, sed maturam, & perfectam agnoscat in surdo, & muto, sicuti in aliquo se cognovisse testatur Pal. n. 9. aliis etiam solemnioribus Festis concedi poterit Eucharistia. Quod si quis à nativitate sit non solum mutus, & surdus, sed etiam cœcus, reputandus est, ut infans, aut perpetuo amens;

amens; unde nec in mortis articulo danda est illi Eucharistia, cum nullo modo instrui possit, aut rescire de hoc mysterio: Gob. Lohn. Croix n. 663. Pal. loc. cit. Denique, si post usum rationis & aliquam instructionem factus quis esset surdus, mutus, & cœcus, dari illi posset extrema Unctio secundum Lohn. at secundum Croix ib. etiam Eucharistia.

Respondeo secundo, Energumenis, etiamsi propter peccata prius commissa obsideantur à dæmone, concedenda est post pœnitentiam Eucharistia non solum in mortis articulo, & in Paschate, sed etiam crebro, si hoc ad eorum spirituale solatium conducat, dummodo absit periculum irreverentiæ, & sint sui compotes: v. Croix n. 662.

Quæres tertio, An pueris, statim ac usum rationis habuerint, concedi possit, aut debeat Eucharistia?

Respondeo, in articulo mortis concedendam esse, nisi alicubi adsit contraria consuetudo: Suar. Layn. Lug Bernal. Avers. Dicast. Tamb. Lohn. aliique: idemque asserunt Dian. & alii, licet vix septimum ætatis annum expleverint, dummodo instrui possint: quia, cum præceptum Divinum de Viatico nihil committat judicio Ecclesiæ, aut Confessarii circa ætatem, nec expectari possit in casu plenior usus rationis, non habetur ratio, cur non obligentur statim, si habeant plenam hujus cibi discretionem. Hinc Croix n. 647. ait, audiendos non esse Ochag. Gran. Mærat. Hurt. aliosque, hujusmodi obligationem absolute negantes; nec Vasq. dicentem, absolute non licitum esse dare Viaticum talibus pueris: nec Navarr. dicentem, esse licitum, sed non dari obligationem. In dubio, an puer habeat usum rationis; adhuc posse dari Viaticum, docent Lug. Dian. Dicast, Tamb. Addunt tamen, non esse obligationem dandi, contradicente Bernal. asserente, quod, si potest, debet dari: hinc Schil. absolute negat, illi dandum ob periculum irreverentiæ: sed Croix n. 647. docet, tenendam esse unam ex prioribus sententiis.

Extra mortis articulum S. Antonin. Pal. aliique gravissimi Doctores cum Jo. Sanch. docent, pueros septennium egressos, aut etiam ante septennium, si discernant hunc cibum spiritualem, per se loquendo obligari præcepto Communionis Paschalis, adeoque dandam illis Eucharistiam in Paschate, nisi proprius Sacerdos judicet, differendam, cui hoc dijudicandum committit Concil. Later. Nomine autem proprii Sacerdotis hic non venit solus Parochus,

rochus, vel qui cum illo habet jurisdictionem, ut vult Dicast. sed quilibet Confessarius: quo nomine utuntur Suar. Busemb. & alii communissime; & sic habere videtur usus ex tacita approbatione, & consensu Parochorum: hinc Bernal. apud Croix n. 650. dicit, quod, si puer non indigeat Confessione, nec habeat Confessarium, quem interroget, stare possit determinationi parentum, vel eorum, qui ipsi sunt loco Parentum. Quamvis autem Escob. citans Nav. & Cordub. dicant, usum habere, ut pueri non obligentur ante pubertatem, hoc est masculi ante 14., femina ante 12. ætatis annum; alii tamen melius communiter dicunt, attendendum esse non ad annos præcise, sed ad judicii maturitatem, & spem reverentiæ debitæ ab illis exhibendæ; additque Lug. tempus hujus obligationis pueris non incipere in indivisibili, sed potius esse multos, quibus licite dari posset hoc anno Communio, & tamen licite etiam differri post unum, aut etiam alterum annum, ut melius se disponant, & cum majori reverentia ad eam accedant. Obligantur tamen parentes, vel parentum vicesgerentes curare, ut interrogentur proprii Sacerdotes, seu Confessarii: Quomodo autem sit instruendus, qui prima vice vult communicare: v. apud Croix n. 651.

Quæres ultimo, Quid sentiendum sit de Communione quotidiana?

Respondeo: Doctores circa hoc punctum divisos esse: Jo. Sanch. d. 22. adducit plures quam 40. qui absolute dissuadebant quotidianam Communionem; econtra alios etiam plurimos refert, qui eam absolute suadebant, quibus ipse adhæret, etiamsi aliquis sine speciali devotione, & ex sola consuetudine accederet, idemque tenuerunt multi Hispani apud Carden. in 1. crisi d. 66. c. 1. Dicendum tamen est cum S. Th. Suar. Bosc. aliisque nunc communiter, quod, quamvis unicuique expediat quotidiana communio, si adsit status gratiæ, actualis devotio, & debita reverentia, quia tamen difficile est, ut omnes; maxime seculares, prædictas conditiones quotidie habeant; idcirco quotidiana Communio, absolute loquendo, non expedit omnibus indifferenter, sed hoc relinquendum est judicio prudentis Confessarii: absolute autem omnibus adultis convenit valde frequens, quæ omnia declaravit S. Congr. approbante Innoc. XI. in Decreto, quod Croix refert per extensum n. 665. Ex quo Decreto infert ipse, posse Confessarios devotis personis

sonis determinare dies, quibus communicent; sed petentibus sæpius, aut etiam quotidie, negari non posse Communionem, si dignæ judicentur; neque deterrendas esse à quotidiana Communione, hinc, si tales personæ interrogent, quoties communicare possunt, negari iis non debet, quod possint quotidie, posito quod judicentur dignæ: si tamen non judicentur dispositæ ad toties communicandum, dissimulari, vel etiam negari potest Communio, quia Papa hoc totum relinquit judicio Parochi, vel Confessarii. Quando vero commendatur frequens usus Communionis, intelligi debet sola digna Communio, ut per se patet, quia sola digna Communio utilis est ad salutem. Hinc Inn. XI. recte damnavit hanc Propos. 56. *Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui diligenter vivunt, est nota prædestinationis:* quæ propositio est maxime scandalosa, ut notat Croix n. 671. nam, qui gentiliter vivunt, hoc est, qui vivunt habitualiter in depravatis, & corruptis moribus, sacrilege communicant; si enim per Confessiones bonas se semper disponerent ad dignam Communionem, certo non pergerent vivere gentiliter.

§. II.

Quænam requiratur in Suscipiente Eucharistiam dispositio ex parte Animæ?

IN adulto, aut in eo, qui aliquando usum rationis habuit, requiritur (non ad validam, ut in cæteris Sacramentis consistentibus in usu, sed ad Sacramentalem, seu fructuosam, & non mere materialem Eucharistiæ susceptionem) intentio suscipiendi hoc Sacramentum saltem habitualis. vel interpretativa juxta dicta disp. 1. q. 3. c. 1.

Requiritur præterea immunitas non solum ab omni censura impediente usum passivum Sacramentorum, sed etiam ab omni peccato mortali, quod postremum de fide esse, docent Suar. Lug. Dicast. contra hæreticos: quare peccat mortaliter peccato sacrilegii, per se loquendo, qui Eucharistiam in mortali suscipit: Dixi *Per se loquendo*; nam per accidens in aliquo casu excusari potest à peccato: ut, si sumat Eucharistiam, ne turpius profanetur ab hæreticis: Croix n. 514. vel si accumbens scamno communicantium non possit sine infamia, aut scandalo rece-

recedere, & tunc advertat. se esse in peccato mortali: neque possit, quantumvis conetur, elicere actum contritionis, sive ob perturbationem animi, sive ob brevitatem temporis: Hurt. Vasq. Ochag. Dian. Leand. Lug. quia moralis necessitas tollit irreverentiam: quamvis Dicast. putet, casum esse moraliter impossibilem; quia, si revera conetur, quantum in se est, elicere contritionem, gratia Dei non deerit: at, si casus contingeret, videtur consentire.

Peccatum veniale nullo modo impedit effectum saltem primarium Eucharistiæ: nam, si sit habituale, ipsa communione, quæ est virtualis quædam ejusdem detestatio, remittitur, ut dictum est cap. 1. hujus quæst., si vero sit actuale, commissum nempe in ipsa communione, neque impedit augmentum gratiæ, ut docent D. Thom. Victor. Suar. Vasq. Laym. Pal. & alii relati à Suar. Ratio est, quia veniale peccatum nec gratiæ, nec ejus augmento opponitur; hinc Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. ad dignam Eucharistiæ susceptionem solum requirit, ut, qui conscius est peccati mortalis, se per confessionem, & contritionem probet, nulla facta mentione peccati venialis. At, quamvis non impediat augmentum gratiæ, quod est primarius effectus hujus Sacramenti, impedit effectus secundarios, impedit enim ipsius remissionem, quæ per Sacramentum deberet fieri ex opere operato: impedit præterea tum devotionem, & charitatis fervorem, tum specialem suavitatem, & dulcedinem, quam experiri solent devoti communicantes; tum denique plura auxilia gratiæ ad præcavenda peccata, quæ alioqui concederentur. Demum quodcunque peccatum veniale afficiens ipsum actum communionis juxta probabiliorem, & communiorem sententiam cum D. August. Suar. Laym. Tann. Rhod. Lug. Aversˇ. Gob. contra Ledesm. Vasq. Sa, Jo. Sanch. Leand. fert novam malitiam venialem specialis irreverentiæ, ut esset communicare cum actu vanæ gloriæ, cum voluntaria distractione, cum actuali complacentia de peccato veniali, quia ratione Eucharistiæ redundat specialis indecentia in illud veniale: v. Croix n. 522.

Ex dictis sequitur: Primo ad effectum principalem hujus Sacramenti non requiri necessario Fidem actualem hujus mysterii: Suar. contra Pal. & alios, modo adsit aliquis actus Fidei implicitus, & in confuso; ut ex Lugo dictum est d. 1. q. 3. c. 2. nec actualem devotionem

ex

ex ibid dictis. Secundo, Nec requiri amorem Dei puriſſimum, quod certum eſt contra aliquos Lovanienſes, docentes, hominem ante Communionem debere eſſe liberum ab omni malo habitu, & habere amorem ſine ulla mixtione amoris imperfecti: hinc merito Alex. VIII. damnavit hanc Propoſ. 23. *Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.* Tertio, Nec prærequiri impletionem pœnitentiæ injunctæ à Confeſſario, ut etiam voluerunt aliqui Lovanienſes: hinc idem Alex. VIII. damnavit hanc 22. Prop. *Sacrilegii ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.* Id etiam conſtat à poſteriori; nam, ſi ante Communionem deberet eſſe ſatisfactum pro peccatis, male Eccleſia prærequireret Communionem ad lucrandas indulgentias loco ſatisfactionis pro peccatis. Demum, qui ſibi conſcius eſt culpæ gravis, ſi velit Euchariſtiam, tenetur ex præcepto, & quidem probabilius divino, obligante ſub gravi, præmittere Confeſſionem Sacramentalem. At, quomodo obliget tum hoc præceptum, tum aliud confitendi quamprimum à Trid. impoſitum Sacerdotibus celebrantibus ex neceſſitate in peccato mortali, non præmiſſa ſacramentali Confeſſione, ſed ſolum Contritione, vide in Tract. ſequ. de Pœnitentia diſp. 1. quæſt. 1. cap. 4. & 5. quod & ſupra citavimus.

§. III.

Quæ requiratur in Suſcipiente Euchariſtiam diſpoſitio ex parte Corporis?

NULLA Corporis macula per ſe impedit ſuſceptionem Euchariſtiæ, quam ſolum poteſt impedire per accidens, nimirum propter effectus ſecutos. Hinc non impedit pollutio involuntaria, imo nec voluntaria per pœnitentiam expiata, niſi reliquerit in animo magnam perturbationem, & alienationem à rebus ſpiritualibus, vel turpem recordationem, aut delectationem: quo caſu, uti & ſemper poſt culpabilem, melius eſt Communionem differre, niſi adſit juſta aliqua cauſa non differendi, puta magna Feſtivitas, regula Ordinis, vel ſi illa animi perturbatio, aut turpis recordatio putetur

exci-

excitata à dæmone ad impediendam frequentem Communionem: Sanch. *de Matr.* l. 9. d. 13. Bonac. Lug.

Hinc inferes, quid dicendum de copula conjugali. Porro copula conjugalis ob ſolam voluptatem exercita, quamvis ſimpliciter Communionem non impediat, cum non ſit peccatum mortale; illam tamen impedit ex quadam decentia, & honeſtate: quare Conſilii eſt Communionem in aliam diem differre, niſi adſit juſta, & ſpecialis cauſa communicandi eo die: ſi vero ex legitimo fine, & debita moderatione exerceatur, nullatenus impedit Communionem, quia eſt actus virtutis, ut habetur in cap. *Vir cum Uxore* 33. q. 4. Ita Pal. p. 13. n. 3. Monent tamen Doctores, conveniens eſſe, ut Conjuges nocte Communioni proxima, imo tota die, qua ſumpta eſt Euchariſtia, à debiti petitione abſtineant ob reverentiam Sacramenti. A debiti vero ſerio, & conſtanter petiti redditione abſtinendum non eſt, quia eſſet contra juſtitiam; imo; ſi quis conjugatus frequenter communicet, e. g. Dominicis, & feſtivis diebus, neque ſimplici Petitioni reſiſtere debet: ne ſit moleſtus conjugi, & occaſionem præbeat frequentemCommunionem interdicendi: ſi vero ſingulis tantum menſibus communicet, petentem debitum decet commonere, & rogare. ut à petitione deſiſtat ob reverentiam Sacramenti ſuſcipiendi; quod, ſi ægre ferat, petenti annuendum, & tunc reddens majori, qua poterit, devotione ſe ad Sacram Communionem diſponet, ſperans divinam gratiam ſibi non defuturam ob opus conforme legi naturali, & divinæ.

Ob reverentiam huic Sacramento debitam ſtomachus communicantis debet eſſe ita diſpoſitus, ut valeat retinere, & abſumere ſpecies Euchariſticas. Hinc, qui continuo removit, vel qui cibos ſumptos plane immutatos ſtatim emittit per feceſſum, tenetur abſtinere à communione; aliter gravem irreverentiam committeret: Sanch. Quarti, Gob. Si tamen bona fide ſic communicet, & ſtatim revomat, recipit effectum Sacramenti, nempe gratiam: ſed in tali caſu ſpecies purgari debent, & ſumi; quod, ſi purgari non poſſint, vel nemo ſit, qui velit ſumere, nefas eſſet comburere, ſed immittendæ ſunt in aquam, donec diſſolvantur, & tunc aqua injicienda eſt in Sacram piſcinam: Gob. apud Croix n. 553. In dubio, an ſumens ſit revomiturus, communius, & probabilius Doctores dicunt, non eſſe licitum communicare, contradicentibus Sann. & Gob. qui cum Suar. addunt,

addunt, in his, & similibus casibus licitum esse dare ægro minimam particulam, etiam in liquore, vel jusculo, licet hoc moraliter sit prius descensurum in stomachum. Non tenetur tamen abstinere à Communione, qui non identidem, sed aliquando, etiamsi pluries per diem, revomit, quia non est morale periculum, ut eo præcise tempore vomitus eveniat, nec prudenter timentur, quæ raro eveniunt: Gob. Idem dic de continuo tussiente, quia, quamvis materia, quam ejicit, plerumque ascendat è pectore; non est tamen periculum ejiciendi Sacras species, si ad stomachum descenderint, quia alia est via, per quam cibus ad stomachum descendit, alia per quam sputa tussiendo excutiuntur: hæc est vena aspera, seu via respirationis ad pulmones, illa est œsophagus. Decens tamen est ad vitandum scandalum, ut sputum saltem intra spatium quinque *Pater, & Ave,* si nimirum abundet post susceptam Communionem, strophiolo excipiatur: Pal. Gob. Si quis post Communionem incidat in morbum, aut cum Communione sumpserit venenum, ita ut Medicus judicet, necesse esse, ut statim evomat, sumere potest potionem ad evomendum, *Ne Calix vitæ vertatur in mortem,* ut ait D. Th. q. 83. art. 6. ad 7. Species autem rejectæ à sordibus separatæ erunt detinendæ, aut injiciendæ in aquam, donec consumantur; &, quod supereſt, in sacram piscinam conjiciendum, ut modo dictum est. Secluso scandalo, licitum est gladiato sumere Communionem: Gob.; imo hoc decere Equites S. Joannis, & similes, ait Jo. Sanch., quia gladius pro Fide gestandus est eorum insigne.

Præcipuum vero requisitum ex parte corporis est jejunium naturale, consistens in omnimoda abstinentia à cibo, & potu vel minimo servanda ex gravi obligatione rigorosi Præcepti Ecclesiastici non admittentis parvitatem materiæ à media nocte præcedente Communionem usque ad tempus Communionis: est certum, ex Conciliis, & communi sensu Doctorum. Ut autem aliquid frangat jejunium naturale, hæc tria requiruntur: Primo, Ut habeat rationem cibi, & potus: Secundo, Ut sumatur per modum comestionis, vel potationis, Tertio, Ut sumatur ab extrinseco.

Primo, *Ut habeat rationem cibi, & potus.* Id dicitur habere rationem cibi, vel potus, quod à stomacho alterari, & saltem ex parte digeri potest, & sic in substantiam hominis aliquo modo converti: Lug. Castr. Dian.

Dicast. Gob. Jo. Sanch. Tamb. contra Nugn. Laym. & Bernal. putantes, non requiri ad rationem cibi, & potus, ut sit digestibile; sed priorem sententiam tenendam esse, ait Croix n. 561. Hinc fumus, nebula, aut quid simile cum aere in stomachum trajectum non frangit jejunium naturale, quia hæc non sunt comestibilia, aut potabilia, sed potius respirabilia. Dixi, *Saltem ex parte digeri potest*, quia, ut aliquid sit cibus, vel potus aptus frangere jejunium naturale, non est necesse, ut secundum se totum digeri possit, sed sufficit, si aliquam partem habeat digestibilem, ut probabiliter habent uniones redacti in pulverem, & aurum potabile; & idcirco frangunt ex Tamb. jejunium. Idem probabilius dicendum cum Croix n. 562. contra Dicast. de terra, quam prægnantes aliquando solent appetere, & comedere, necnon de creta, quam nonnullæ solent comedere, ut albescant, quia in his sunt saltem aliquæ partes admixtæ alterabiles à stomacho. Idem pariter dicendum cum Tambur. contra Dian. & Bernal de cera, quæ fere semper habet aliquid mellis admixtum, de charta, & filo ex lino, quæ ex herbis fiunt, de fœno, & palea, quæ in substantia sua sunt herbæ, ac demum de quocunque pulvere medicinali, etiam ex ossibus, & lapidibus contrito, quia se habet tanquam cibus medicinalis corporis. Econtra vero probabile saltem est, capillos, ossicula fructuum, plumbum, ferrum, solida frusta auri, fila ex serico, vel lana, &c. non frangere jejunium, quia nec sunt alterabilia in stomacho, nec digestibilia: Ledesm. Lug. Jo. Sanch. Dian. Tamb. contra Pal. & alios. Putat Vasq. venenum non frangere jejunium, utpote non ordinatum ad cibum humanum: sed probabilius est frangere jejunium ex eo, quod in eo contineantur partes, quæ natura sunt cibus humanus.

Secundo, *Ut sumatur per modum comestionis, aut potationis.* Sumitur aliquid per modum comestionis, vel potationis, quando id, quod trajicitur in stomachum, & modus trajiciendi sufficit, ut quis in morali æstimatione censeatur comedisse, vel bibisse: Tann. Leand. Gob. Unde, si musca involaret in fauces, & statim seipsam in stomachum inferret, non violaretur jejunium: contra vero violaretur jejunium, si involaret in fauces, & homo postmodum deglutiret: Lug. Rhod. Tamb. Similiter, quidquid se habet per modum salivæ, etiamsi ab extrinseco salivæ advenerit, non frangit jejunium; quia

quia non censetur in stomachum immitti per modum comestionis, aut potationis; dicitur autem se habere per modum salivæ, quod, cum sit minimum, & à saliva inseparabile, quamvis nondum in illam conversum, simul cum saliva deglutitur: ut si quis os abluat, & ejus aquæ stillula salivæ immixta postea deglutiatur: Suar. Vasq. Gran. Dicast. Gob. & quamvis D. Th. Lug. Fill. Bonac. Hurtad. requirant, ut id, quod trajicitur, præter directam intentionem trajiciatur, Henr. tamen Con. Tabien. & alii apud Avers. dicunt, non obstare, etiamsi advertenter trajiciantur parvæ reliquiæ ciborum cœnæ præcedentis dentibus inhærentes, etiam data opera deglutitæ non violant jejunium, juxta Suar. Pal. Gob. Leand., vel quia faciunt unum moraliter cum cœna præcedenti, adeoque moraliter censentur sumptæ heri, non hodie; vel quia sumuntur per modum salivæ, non per modum comestionis: at, si sint ita magnæ, ut sensibiliter percipiantur in lingua, deberent exspui, &, si deglutirentur, frangerent jejunium naturale, quia tales ciborum reliquiæ nec censentur trajici in stomachum per modum salivæ, neç censentur moraliter sumptæ die præcedenti.

Quamvis Lez; & alii apud Dian. p. 5. t. 13. r. 1. putent, tabacum tam masticatum, quam fumatum violare jejunium, etiamsi nihil sensibile trajiciatur in stomachum; Dian. tamen, & Berg. citantes plures alios negant, per tabacum frangi jejunium; dummodo nihil deglutiatur de folio; si autem aliquid fumi deglutiretur, adhuc negant Burgh. & March. contra Rayn. frangi jejunium, quia fumus descendit in stomachum per modum aeris, non cibi, aut potus, & veluti per actionem respirationis, non per modum comestionis, aut potationis; vide Croix n. 569. Item tabacum sumptum per nares, sive in pulvere. sive in fumo; imo secundum aliquos etiam guttulæ humoris per nares attractæ neque violant jejunium, quia hæc omnia non sunt comestio, aut potatio, sed vel trajectio salivæ, vel respiratio, vel attractio, seu afflatio narium: Bourdev. Avers. apud Croix n. 570, Idem odor qualiscunque neque violat jejunium, quia neque est cibus, aut potus, neque sumitur per comestionem, aut potationem, sed veluti per respirationem, Tamb. Gob. Pign. contra De Leon. Demum, si quis in flumen lapsus invitus sumat aquam, aut si alicui in somno, vel violenter ingeratur cibus in fauces, Bosco

dicit, non frangi jejunium: sed merito contradicunt Lug. Vasq. Tamb. Dian. Aversˇ. quia vitaliter sumitur per comestionem, vel potationem.

Tertio, *Ut sumatur ab extrinseco.* Hinc est, quod saliva non frangit jejunium naturale: item, si sanguis è gingiva, aut sanies è pustula oris fluens deglutiatur, non frangit jejunium: D. Tho. Suar. Tann. apud Croix n. 565. Idem sentit Quarti citans D. Th. Suar. Lug. & alios, etiamsi sanguis in os defluens ex industria deglutiatur, etiam animo se nutriendi, quia talis intentio non potest dare sanguini illi rationem cibi ab extrinseco: quod, si sanguis sugeretur è vulnere digiti, violaretur jejunium, quia, cum sumeretur à membro corporis tam distante, censeretur sumi ab extrinseco: Lugo, Tamb. Idem est, si mulier è suis mammillis sugeret lac; vel si aliquis in os admitteret. & deglutiret, quod ex oculis, vel naribus defluit.

Post sumptam Eucharistiam nullum est præceptum jejunandi, sed potest statim absque peccato sumi cibus, aut potus: Pal. p. 13. n. 10. Verum, quamvis præceptum non sit servare jejunium; est tamen maxime conveniens, quous que species Eucharisticæ credantur absumptæ, ne cibus ille cœlestis terrenis hisce, & materialibus misceatur: consumuntur autem species in laico intra dimidium quadrantis, in Sacerdote intra quadrantem: ita Lugo ex judicio Medicorum à se consuetorum: Tamb. autem ex Jo. Sanch. notat, citius à valido, quam à debili stomacho: regulariter tamen ab omnibus intra horam absumi, & affert casum infirmi, qui post mediam horam species integras ejecit.

A generali doctrina de jejunio præmittendo sumptioni Eucharistiæ excipiendi sunt aliqui casus. I. est de constituto in periculo mortis. Dicitur autem constitutus in periculo mortis omnis ille, cui invito mors imminet, sive ratione morbi, vulneris, aut veneni, sive ex sententia Judicis. Dixi *Invito;* nam, si ipse se conjiciat in mortem, non censetur esse in illius periculo: Croix num. 585. Igitur constitutus in periculo mortis, si non possit commode jejunus sumere Viaticum, potest sumere non jejunus, ut certum est ex communi praxi Ecclesiæ; & probabiliter etiam pluries durante eodem periculo, seu eadem infirmitate, ut aliis relatis docent Suar. Bon. Pal. n. 13. contra Vasq. dicentem, constitutum in periculo mortis non posse, nisi semel, communicare non

non jejunum. Quod, si quæras, quot dies intercedere debeant inter Communionem, & Communionem? Respondent Suar. Fag. Bon. & alii communiter sex, aut octo dies. At Pal. n. 14. dicit, vel sentiendum esse cum Vasq. vel affirmandum non solum post sex, vel octo dies posse aliquem iterum Viaticum sumere, sed etiam singulis diebus. Emm. Sa. sine ulla limitatione dicit, posse infirmum sæpius in eodem morbo communicare non jejunum, quoties expetere videtur. Laym. existimat, si aliquis assuetus est frequenter communicare, vel sacrificare, & propter devotionem, ac desiderium difficile abstineat, posse ipsi permitti, ut altero statim die iterum Eucharistiam sumat non jejunus, dummodo mortis periculum instare videatur. Addit, posse Sacerdotem constitutum in periculo mortis sacrificare non jejunum ad se communicandum; secus vero ad dandum Viaticum alteri, ut communiter docent Doctores contra Major,

II. Sumitur ex reverentia debita Sacramento; si enim prudens timor adsit alicujus gravis irreverentiæ, vel quia Sacramentum in manus Infidelium esset deventurum, vel quia ab animali, vel igne esset absumendum, vel ab aliquo alio irreverenter tractandum, poterit non solum Sacerdos sed eo deficiente etiam laicus non jejunus sibi propriis manibus ministrare; quia, quod in reverentiam Sacramenti statutum est, non debet in ejusdem irreverentiam cedere: ita ex omnium sententia docent Vasq. Suar. Con. Fag. Laym.

III. Sumitur ex perfectione Sacrificii, & potest tripliciter evenire; Primo, Si Sacerdos per inadvertentiam aquam loco vini in calice posuerit, & sumpserit: Secundo, si post consecrationem recordetur, se non esse jejunum: Tertio, Si facta consecratione sacrificium absolvere nequeat, vel quia moritur, vel quia sensibus destituitur: in his casibus poterit, vel idem, vel alius Sacerdos (si idem non possit) etiam non jejunus communicare, ne Sacrificium relinquatur imperfectum, quia lex conficiendi Sacrificium perfectum prævalet legi de præmittendo jejunio: ita iidem præcit. Doctores. Huc reducitur casus de reliquiis hostiarum consecratarum, quæ reperiuntur in corporali, vel in patena, quæ, utpote pertinentes ad idem Sacrificium, sumi possunt à Sacerdote etiam post ablutionem, de quo tamen satis dictum est cap. præced. §. 2.

IV. Receptus ab omnibus est, cum violatur jejunium simul cum Communione accepta, ut contingit, cum in feria 6. hebdomadæ sanctæ Sacramentum mixtum vino sumitur. maxime si pars vini descendat ad stomachum ante Sacramentum: item, cum sacra hostia hæret labro calicis, nec facile digitis inde dimoveri potest, & sumi; tunc enim expedit vinum infundere, & simul cum illo sumere: item, cum palato hæret, poterit imo expedit semel, & iterum ablutionem sumere: quia in his casibus violatio jejunii moraliter non censetur Communionem præcedere: Suar. Vasq. Laym. Bon. Pal.

V. Si gravis nota Sacerdoti immineat, nisi celebret non jejunus, ut si incepta Missa recordetur, se non esse jejunum, prævideatque, quod, si desistat manifestando causam, Populus non acquiescet; quin imo grave quid sit suspicaturus, & scandalum sumpturus: tunc poterit Missam prosequi, & non jejunus celebrare, quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore: ita præcitat. Doctores.

Quæres, Quid agendum in dubio, an sis jejunus?

Respondeo, Si dubium sit positivum, ita ut probabiliter judices, te esse jejunum, potes communicare. Si autem dubium sit mere negativum, distinguendum est; si casus ita se habeat, ut scias, te post mediam noctem fuisse jejunum, & dubites, an postea aliquid deglutiveris, quamvis Sanch. Fag. Rodr. Villal. Bon. Oviedo, Pal. Schild. dicant, non esse licitum communicare; attamen Card. Lug. Laym. Caram. Vasq. Bard. Dicast. Carden. Boss. Rayn. Dian. probabilius docent oppositum: quia quivis habet jus communicandi, nisi sciat, se prohiberi à Communione. Præterea non tenetur positive probare, se esse idoneum, sed satis est, si sciat, se fuisse idoneum, & non sciat, se amplius non esse: vide Croix n. 576. Si vero scias, te aliquid cibi, vel potus sumpsisse, nescias tamen, utrum ante, an post mediam noctem sumpseris? Jo. Sanch. Dicast. Gobat. Bosco adhuc putant, posse communicare, & idem, ut probabile, sustinent Med. Laym. Rhod. Tambur. Burg. Card. Dian. quia adhuc videtur esse in possessione jus communicandi, usquedum probetur superveniisse impedimentum. Alii vero cum D. Th. Sanch. Boss. Lugo, Bernal. dicunt, etiam non

posse

posse communicare, quia; cum sciat, se comedisse, videtur esse in possessione præceptum prohibens, non libertas: v. Croix n. 577.

Notandum hic, mediam noctem computandam esse à primo pulsu horologii; unde, si quis aliquid cibi, vel potus tunc haberet in ore, probabilius ex Con. & Jo. Sanch. contra Gob. tenetur ejicere, si vellet manere jejunus pro die sequenti; sicuti deberet etiam ejicere saccharum, vel quid simile ori impositum ante mediam noctem, juxta communem, & certam sententiam, ut ait Croix num. 580. contra Amic. & alios. Notandum præterea, quod, ubi sunt plura horologia non certo aberrantia, quæque ordinarie bene diriguntur, quivis potest se accommodari posteriori horologio, ita, ut possit communicare die sequenti, etiamsi comederit, aut biberit aliquid post mediam noctem secundum unum horologium, sed nondum secundum alia.

Quæ hic dicta sunt de volente communicare, intelligenda sunt etiam de volente sacrificare.

CAPUT V.

De Obligatione suscipiendi Eucharistiam.

EUCHARISTIAM in re susceptam non esse necessariam necessitate medii ad salutem, tenent Catholici omnes cum Arcudio l. 3. c. 42. & sequ. contra Armenos apud Suar. d. 40. sect. 2. qui dixerunt, realem Eucharistiæ susceptionem esse omnibus necessarium medium salutis; & idcirco cum baptismo dabant etiam Eucharistiam infantibus. Porro Eucharistiam non esse parvulis ad salutem necessariam, definitum est à Trid. *sess.* 21. *can.* 4. *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit:* neque esse necessariam adultis, constat ex communi sensu omnium Fidelium, qui censent, salvari illum adultum, qui credens statim post baptismum moritur, juxta illud Marc. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* quod etiam definit Trid. *sess.* 5. *in Decr. de Peccat. Origin.* dicens, simpliciter omnem baptizatum esse hæredem Dei, cohæredem autem Christi, ita ut nihil prorsus eum ab ingressu Cœli remoretur. Non solum autem in re susceptа, sed neque in

voto est necessaria necessitate medii ad salutem: D. Th. q. 65. a. 4. Arcud. Bern. Dicast., quamvis Gon. videatur contradicere, cui, quoad adultos, in aliquo sensu favet Aversˇ. Ratio autem nostra est, quia Eucharistia non causat aliquid necessarium ad salutem, quod suppleri possit à voto Eucharistiæ ipsa deficiente; tale enim votum neque causat primam gratiam, neque perseverantiam in ipsa; imo, cum Eucharistia, per se loquendo, non causet primam gratiam: multo minus votum Eucharistiæ erit necessarium ad primam gratiam, & ad salutem: Croix, Eucharistia igitur necessaria est solum necessitate præcepti, & quidem tam Divini, quam Ecclesiastici, ut mox videbimus: quare Primo agemus de obligatione sumendi Eucharistiam ex præcepto Divino: Secundo, De obligatione ex præcepto Ecclesiastico.

§. I.

De obligatione sumendi Eucharistiam ex Præcepto Divino.

DARI Præceptum Divinum sub gravi obligans de sumenda Eucharistia, est communis sententia Doctorum post D. Th. q. 80. a. 11. contra Alens. D. Bonav. Gabr. & alios putantes, dari tantum Præceptum Ecclesiasticum. Probatur ex illis verbis Christi Domini Jo. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Neque obstat, quod, si hæc verba continerent præceptum de sumenda Eucharistia, jam deberet dici, præcepta à Christo Domino sumptio Eucharistiæ sub utraque specie, quod falsum esse, certo constat ex Trid. *sess.* 21. *can.* 1. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit:* & *can.* 2. definiente, quod Ecclesia id juste prohibuerit. Non, inquam, obstat, quia illa verba *Nisi, &c.* intelligenda sunt hoc modo, *Si nec manducaveritis &c.; nec biberitis, &c.;* sicuti intelligenda sunt verba illa Petri *Actor.* 3. *Argentum, & aurum non est mihi,* hoc est, *neque argentum, neque aurum est mihi:* Pal. 14. n. 2. Adde, Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. dicere, quod Christus sumptione Eucharistiæ

quæ

quæ ad omnes spectat, præceperit, coli sui memoriam. Neque item obstat, quod Ecclesia possit in pœnam delicti privare aliquem Viatico, prohibendo suis Ministris illius administrationem, ut aliquando privasse, testatur Lug.; nam non inde infertur, Viaticum non esse de jure divino: sicuti ex eo, quod Judex in pœnam delicti privare possit reum cibo corporali, non recte infertur, cibum corporalem non esse de jure naturæ. Neque in hoc casu Ecclesia dispensat in præcepto divino; sed solum subducit materiam, prohibendo suis Ministris administrationem. Porro Ecclesia jam à tempore Innocent. III. mandavit, ne ulli pœnitenti Viaticum denegetur, ut etiam habetur in cap. *Quod in te, de Pœn. & Remiss.*

Quæres primo, Quinam obligentur hoc præcepto divino, soline baptizati, an etiam infideles?

Respondeo, Duplicem hac in re esse sententiam. Altera valde probabiliter docet, solos baptizatos obligari hoc præcepto, sicuti soli baptizati obligantur præcepto divino Confessionis Sacramentalis: ita Sanchez, Pal. aliique ap. Croix n. 594. Altera fortasse probabilius docet, hoc præcepto obligari etiam infideles: quia præcepta divina sine ulla limitatione prolata obligant omnes, qui sunt eorum capaces: sed infideles adulti sunt hujus præcepti capaces; de facto enim Christus etiam ad non baptizatos Capharnaitas dixit, *Nisi manducaveritis, &c.* ergo etiam infideles obligantur, non quidem ad sumendam Eucharistiam ante, sed post baptismum: non secus ac tenentur quidem baptizati, qui sunt in peccato mortali, communicare, sed post sacramentalem confessionem. Dispar est ratio pro Sacramento Pœnitentiæ, quamvis præceptum de suscipiendo hoc Sacramento sit etiam divinum; nam materia hujus Sacramenti sunt peccata commissa post baptismum; nil ergo mirum, quod non obliget, nisi solos baptizatos, cum non possit obligare infideles, ut baptismum suscipiant, & peccent ad hoc, ut Sacramentum Pœnitentiæ suscipiant; sicuti nec absolute obligat Fideles, sed solum, si post baptismum lapsi sint in aliquod peccatum.

Quæres secundo, Quandonam obligentur Fideles hoc præcepto?

Respondeo primo, Hoc præcepto obligari in articulo mortis: ita communiter Doctores contra Victor. & alios docentes, ad satisfaciendum huic præcepto divino satis

esse, si semel in vita quis communicet. Ratio est, quia pro eo tempore dicendum est potissimum obligare aliquod præceptum, quo ejus executio est maxime necessaria ad finem præcepti assequendum: atqui in articulo mortis est maxime homini necessarium conjungere se cum Christo, & contra hostes se munire; Diabolus enim sciens, quia modicum tempus habet, insidias parat, & pro viribus eum dejicere procurat: ergo in mortis articulo dicendum est maxime urgere præceptum Communionis. Eruitur id etiam non obscure tum ex Trident. *sess.* 13. *cap.* 6. dicente, antiquissimum esse morem communicandi in articulo mortis; cum autem hujus consuetudinis initium ignoretur, dicendum, quod originem duxerit ab Apostolis ex præcepto divino; tum ex Concil. Nicœn. I. dicente, antiquam legem observandam esse, ne quis sine necessario Viatico decedat: non potest autem Viaticum dici necessarium, nisi ex præcepto divino, cum Ecclesia non præcipiat, nisi Communionem Paschalem. Hoc præceptum non obligat, nisi ad semel sumendum Viaticum, durante eodem periculo mortis, utut duret ad plures dies: quare, qui post Viaticum sumptum peccaret mortaliter, non teneretur denuo communicare: Regin. Fill. Lug. & alii. Item, qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur postea supplere, quia est obligatio affixa tali tempori: Bonac. Henr. Regin. & alii.

Respondeo secundo, Præceptum Divinum de sumenda Eucharistia non solum obligare in articulo mortis, sed etiam interdum in vita: ita etiam communiter Doctores cum Suarez, Valent. Pal. & aliis. At, qua frequentia teneamur vi præcepti divini communicare in vita, non constat. Suarez cum aliis putat, hoc præceptum obligare singulis trienniis, vel quadrienniis: alii, quoties urget aliqua gravis necessitas: alii juxta opportunitatem, ita ut teneantur sæpius communicare, qui sunt in Civitate fidelium, quam alii; & qui sunt magis instructi, & qui sunt minus impediti, ut diximus de actibus virtutum theologalium, qui, nullo præfixo tempore præcipiuntur præcepto divino: alii demum cum Lugo dicunt, Christum nullo determinato tempore direxisse præceptum ad Ecclesiam, ut hæc tempora determinaret. Illud certum videtur, quod, cum Ecclesia præcipiat Communionem semel in anno, non sit contra præceptum divinum Communionem ad annum differre.

Ex

Ex dictis sequitur primo, Per Communionem etiam bona fide susceptam ante baptismum non satisfieri huic præcepto. Ratio est, quia talis sumptio Eucharistiæ non est sacramentalis, nec apta in tali subjecto significare gratiam, quia non baptizatus, etiamsi supponatur per Contritionem perfectam justificatus, non est capax percipiendi fructum ex hoc Sacramento: Vasquez, Lugo, Croix n. 596.

Sequitur secundo, Falsum esse, quod, qui communicavit in Paschate, non teneatur in articulo mortis iterum communicare. Ratio est, quia præcepto communicandi in articulo mortis non satisfit per Communionem extra articulum mortis; quod patet ex Ecclesiæ consuetudine, & sensu communi Fidelium. At, quid dicendum de Communione sumpta non longe ante periculum mortis, puta octo, vel sex diebus, eritne sufficiens, ut præcepto divino de sumendo Viatico in articulo mortis censearis satisfeciisse, ita ut non tenearis iterum communicare in eodem articulo? Suar. Laym. Bonac. ap. Pal. n. 6. affirmant, quia illa Communio facta paulo ante periculum mortis censetur moraliter facta in ipso mortis periculo; quod enim parum distat, nihil distare videtur. Negat Vasq. quia illa Communio fuit voluntaria, non ex obligatione; ergo per eam non potest satisfieri Communioni obligatoriæ, seu quæ sit præcepta. Hinc Hurtad. & alii apud Dian. p. 5. t. 5. r. 197. putant, quod, si aliquis mane extra mortis periculum communicaverit, si vespere incidat in mortis periculum, teneatur iterum communicare, quando Communio non potest commode ad sequentem diem differri: quod tamen Suarez, Lugo, Bernal, & alii negant, tum quia prohibetur duplex Communio eodem die; tum quia Communio facta mane censetur moraliter facta in articulo mortis.

Sequitur tertio, Obligationem hujus Præcepti cessare, si servari non possit juxta ritum, saltem principaliorem, & veluti substantialem à Christo Domino, vel ab Ecclesia præscriptum circa administrationem, & confectionem Eucharistiæ. Hinc primo, Non licet in necessitate consecrare hostiam pro Viatico extra Sacrificium: Secundo. Nec Sacerdoti latino in simili necessitate consecrare in fermentato: in defectu tamen latini Sacerdotis posset hic moribundus sumere à Sacerdote græco Viaticum consecratum in fermentato: Tambur. apud Croix num. 610. Laicus vero latinus in Græcia peregrinus,

&

& ubi nullum sit latinum templum, potest communicare, quo ritu vult, & idem dic de Græco in his locis: si vero adsit templum proprii ritus, Fagnan. putat, non posse, nisi suo ritu communicare; sed Tambur. affert multa exempla Græcorum communicantium in azymo, etiam ubi sunt Templa sui ritus: Tertio, Quamvis Nugn. & Ochag. dicant posse, & debere sumi Viaticum sub specie Vini, si non possit sumi sub specie Panis, quia præceptum divinum prævalet humano; idque probabile esse dicant Dian. & Escob; probabilius tamen est oppositum, non quod præceptum humanum prævaleat Divino, sed quia divinum non obligat, quando servari non potest cum debita reverentia, & ritibus principalibus, ac quasi substantialibus cæremoniis præscriptis ab Ecclesia: Suarez, Fagn. Dian. Amic. Lug. Tambur. Dicast. Platel. Recte tamen consulit Tambur. in casu, quo infirmus non posset deglutire species panis, sed tantum vini, melius esse dare minimam particulam specierum panis cum vino, vel jusculo, quam species vini: Quarto, Sacerdoti non jejuno non licet celebrare ad Viaticum consecrandum pro moribundo: D. Anton. Suarez, Azor. aliique plurimi cum Dicast. contra Major Zanard. Zamb. Tambur. & alios, quorum sententiam probabilem vocant Suarez, Fill. Lug. Dicast. uti & Layman. saltem si infirmus non possit suscipere aliud Sacramentum: Quinto, Neque licet, ut alibi etiam notavimus, ad dandum Viaticum alteri celebrare sine Sacris Vestibus, vel sine Altari: Lug. & Dicast. contra Jord. dicentem probabiliter id id licere: Sexto, Si infirmus sumere non possit Eucharistiam, non licet eam ad ipsum deferre pro consolatione, ut adoret, vel osculetur, quia id prohibuit S. Pius V. teste Lugo *in Respons. Moral.* l. 1. d. 11.

§. II.

De obligatione sumendi Eucharistiam ex Præcepto Ecclesiastico.

PRÆCEPTUM Ecclesiasticum circa Eucharistiam obligat omnes Christi fideles ad eam sumendam in Paschate. Tulit hoc præceptum Innocent. III. in Concil. Lateranens. & refertur in Cap. *Omnis utriusque sexus* 12. *de pœnit. & remiss.* his verbis, *Omnis utriusque sexus Fidelis,*

Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, confiteatur, &c. suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi susceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Idem declarando statuit Trident. *sess.* 13. *can.* 9. *Si quis negaverit, omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, Anathema sit.* His positis

I. Hoc præceptum obligat omnes Baptizatos, qui ad annos discretionis jam pervenerunt, à quibus neque Papa excludendus est, ut communiter docent Doctores. Hinc excommunicati, aut alia censura simili innodati tenentur procurare absolutionem à censura, ut huic præcepto satisfaciant. Verum quidem est, quod ex præcepto Missæ audiendæ die festo non tenentur specialiter ad procurandam absolutionem à censura: at dispar est ratio de præcepto Missæ, ac de præcepto Communionis Paschalis; nam illud est mere Ecclesiasticum; hoc vero, quamvis sit Ecclesiasticum quoad circumstantiam Paschatis, quoad substantiam tamen est Divinum, ut patet ex §. præced. & præterea est certe præceptum magis utile, & majoris momenti: Suarez, Con. Lug. Dicast. Tambur, qui tamen addit, non ideo aliquem obligari ad petendam dimissionem è carcere, vel ad procurandam extraordinarie valetudinem, quia hæc non sunt mala spiritualia. Utrum hoc præcepto, ut Ecclesiasticum est, obligentur etiam hæretici, non satis constat. Bernal probabiliter ap. Croix n. 626. negat; alii tamen communiter, & probabilius affirmant. De Pueris, Mutis, Surdis, Semifatuis, v. dicta cap. præc. §. 1.

II. Nomine Paschatis hic non venit solus dies Resurrectionis Dominicæ, sed octo dies antecedentes, & octo subsequentes, hoc est à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive, idque ex praxi, & consuetudine totius Ecclesiæ, & ex declaratione Eug. IV. teste Navar. apud Pal. p. 15. n. 2. & Croix n. 641. Ex consuetudine, vel ex privilegio extenditur hoc tempus aliquibus in locis per totam Quadragesimam, & alicubi extenditur etiam ultra ex Indulto. Si quis autem intra tempus præscriptum non communicaverit, vel ex legitimo impedimento, vel consilio Confessarii, ut insinuatur

in

in præc. *c. Omnis utriusque sexus*, vel etiam ex culpa, tenetur deinde, cum primum commode poterit, Eucharistiam sumere: quod certum est, quando communio omittitur, seu potius differtur ob justam causam ex consilio Confessarii: de aliis vero casibus saltem est probabilius, cum probabilius sit, tempus præfixum ad hujus præcepti observantiam non esse præfixum ad terminandam, sed ad urgendam obligationem, & hanc sententiam tenent D. Thom. Navar. Suarez, Vasq. Con. Azor. Sylv. Fag. Laym. Hurt. Lug. Bernal. Averss. Illss. Plat. eamque in praxi sequendam esse, ait Croix n. 644. Similiter, qui prævidet, se tempore Paschali impediendum esse, tenetur prævenire: Vasq. Sylv. Fag. contra Suarez, & Azor. Verum alii probabilius dicunt hoc præceptum esse virtualiter duplex, alterum principale communicandi semel in anno, alterum communicandi circa Pascha, quod etiam obligat sub gravi. Hinc inferunt, quod, qui jam eo anno communicasset, vel esset communicaturus, non teneretur prævenire: qui vero nec antea communicasset, nec habiturus esset occasionem communicandi, teneretur prævenire ad satisfaciendum præcepto Communionis annuæ. Qui vero sic prævenisset, & postea impedimentum evanescceret, teneretur rursus communicare secundum Laym. & Lug. quia non satisfecit præcepto obliganti ad communionem tempore Paschali: negant tamen Dian. & Suarez. Terminum hujus anni alii aliter statuunt: Suarez, Laymann. aliique communiter dicunt numerandum esse à Paschate ad Pascha.

III. Si minus jure scripto, saltem usu, & consuetudine, additis etiam declarationibus S. Congregat. quas refert Croix, certum est, dari obligationem gravem communicandi in propria Parochia, ita ut secus non satisfiat præcepto, etiamsi Eucharistia sumatur in Ecclesia Cathedrali, nisi Episcopus, vel Parochus licentiam dederit: v. Croix n. 631, & 633. Satisfacit tamen, qui communicat alibi ex manibus Parochi, vel cum ejus consensu extra Parochiam; potest enim id concedere (&, si sint plures simul Parochi in eadem Ecclesia, possunt singuli dare licentiam alibi communicandi) dummodo certior reddatur de communione peracta. Notat hic Tambur. non facile præsumendam esse hanc licentiam, nec sufficere, quod certo daturus esset, si peteretur; nam, si peteretur, jam hoc ipso recognosceretur ut Pastor, & ipse confuse recognosceret Ovem suam; si vero

non

non petatur, manet rationabiliter invitus, cum habeat jus, ut aliquo modo recognoscatur, & vicissim recognoscat oves suas. Porro Sacerdos satisfacit huic præcepto, ubicunque Missam celebret; si tamen non celebret, tenetur communicare in Parochia: quia, quando agit ut laicus, tenetur servare præceptum ut laicus: Lugo, Gob. apud Croix n. 639. Demum vagi, & peregrini satisfaciunt communicando, ubi volunt: Sanch. Pal. &c. & certum esse dicit Tamb. Neque obstat, quod Eug. IV. concedat Peregrinis, ut in ordine ad Communionem Paschalem censeri possint in Parochiis acquisivisse, quasi incoatum. Nam hoc fuit in gratiam peregrinorum, qui proinde non tenentur uti isto privilegio.

IV. Ut huic præcepto satisfiat, Communio non solum debet esse non sacrilega formaliter, quod certum est ex Prop. 55. damnata ab Innocent. IX. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*; sed probabilius debet etiam esse non materialiter sacrilega, qualis esset, si quis communicaret invincibiliter oblitus, se esse in peccato mortali: quamvis enim in rigore hic non communicaret sacrilege, quia communicando non peccaret; non tamen communicaret cum fructu, quod fieri vult Christus, & Ecclesia; præcipiunt enim Communionem, quæ sit cibus, & vita animæ, ad quod requiritur, ut sit digna: Croix n. 628. & 629. Qui tamen communicavit sacrilege in sua Parochia, quamvis teneatur iterum communicare; non tamen tenetur communicare in sua Parochia: quia hoc præceptum est divisibile, communicandi digne pro bono animæ, & communicandi in Parochia ad recognoscendum proprium Pastorem: hæc autem pars est impleta: non secus ac si præceptum sit, ut Horæ devote recitentur in choro, recitans indevote in choro satisfacit eas repetendo domi, quia jam implevit illam partem præcepti, quæ erat de assistentia in choro: Croix n. 620.

V. Quamvis Dicast. sentiat, per proprium Sacerdotem (cujus judicio remittitur, an quandoque differenda sit communio Paschalis) intelligendum esse Parochum, vel qui cum illo habet ordinariam jurisdictionem; attamen Suarez, Busemb. & alii communissime loco proprii Sacerdotis utuntur nomine Confessarii, & sic videtur habere usus ex tacito consensu, & approbatione Parochorum.

QUÆSTIO

QUÆSTIO II.

De Eucharistia, quatenus est Sacrificium.

AGEMUS hic I. De quidditate, & natura Sacrificii Missæ: II. De participatione fructus: III. De loco: IV. De tempore. V. De reliquis requisitis ad Sacrificium, ac de ritu in eo servando. De stipendio Missæ nihil hic, cum abunde de eo dictum sit in Tract. de Restit. d. 2. q. 1. c. 2. §. 3.

CAPUT I.

De Quidditate, & Natura Sacrificii Missæ.

NOMINE Missæ venit totus ille ritus, quem Sacerdos peragit ad altare ab initio usque post sumptionem Corporis, & Sanguinis Christi. Si ejus etymologiam spectemus, derivatur juxta Bellar. à verbo *Mitto*, tum quia per illam mittuntur ad Deum nostræ oblationes, ac preces; tum etiam quia post illam populus dimittitur; juxta alios à voce hebraica *Missah*, id est oblatio voluntaria.

Sacrificium sumitur vel late & improprie, vel stricte, & proprie. Late sumptum est quidquid Deo offertur ad cultum, ut orationes, laudes, adorationes, cæterique actus virtutum. Stricte sumptum est, ut diximus etiam de Sacrificio in genere t. 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 2. *Cæremonia sacra legitime instituta, per quam res sensibilis destruitur in protestationem supremi dominii Dei, & nostræ in eum subjectionis*, Dicitur *Cæremonia sacra*, quia debet esse actio externa ponenda ad cultum Dei. Dicitur *Legitime instituta*, hoc est à Deo, vel Republica, quæ, per se loquendo, etiam habet potestatem instituendi hujusmodi signa communia, & in hoc differt à martyrio, quod non est institutum publica auctoritate ad Dei cultum. Dicitur *Per quam res sensibilis destruitur*, destructione scilicet, sive physica, ut quando occiditur animal, sive morali, ut quando effunditur vinum, & redditur inutile ad alios usus humanos. Dicitur *In protestationem supremi Dominii &c.* hic enim est finis intrinsecus, & essentialis Sacrificii, in quo potissimum differt à Sacramento, quod directe, & per se ordinatur ad sanctificationem populi.

Mul-

Multipliciter dividitur Sacrificium: Primo *Ratione materiæ* in Cruentum, in quo funditur ſanguis, & in Incruentum, in quo ſanguis non effunditur: Præterea aliud dicitur Victima, ſeu Hoſtia, in quo aliquid animatum offertur, ut bos; aliud Immolatio, in quod aliquid inanimatum, ſed ſolidum, ut panis; aliud Libamem, in quo aliquid inanimatum, ſed liquidum offertur, ut vinum: ſæpe tamen hæ voces confunduntur, & una ponitur pro alia. Secundo *Ratione formæ* aliud dicitur Holocauſtum; in quo id, quod offertur, totum conſumitur per ignem; aliud Hoſtia pro peccato, in quo id, quod offertur, partim per ignem, partim per Sacerdotem conſumitur; aliud Hoſtia Pacifica, in quo id, quod offertur, conſumitur partim per ignem, partim per Sacerdotem, partim per eum, qui donat. Tertio *Ratione finis* aliud eſt Latreuticum, quod unice in cultum Dei, aliud Euchariſticum, quod ſpecialiter in gratiarum actionem; aliud Propitiatorium, quod ad remiſſionem culpæ, vel pœnæ; aliud Impetratorium, quod ad aliquid aliud à Deo impetrandum offertur. Pro Latreutico eſt Holocauſtum, pro Euchariſtico, & Impetratorio Hoſtia pacifica, pro Propitiatorio Hoſtia pro peccato: v. D. Th. 1. 2. q. 103. artic. 3. Bell. *de Miſſ.* l. 1. c. 4.

Sicuti in Cruce oblatum fuit verum & proprie dictum Sacrificium, in quo Chriſtus fuit Sacerdos, & idem ipſe Victima, ſecundum illud ad Epheſ. 5. v. 2. *Tradidit ſemetipſum pro nobis in oblationem, & hoſtiam:* altare autem Crux, idque ex inſtitutione Dei, qui eum conſtituerat Sacerdotem maximum, ut ſanguine ſuo interveniret pro noſtra ſalute, & eſſet propitiatio pro peccatis noſtris, ut dicitur 1. Joan. 2. v. 2. ita & in Miſſa offertur verum, & proprie dictum Sacrificium. Eſt de Fide contra hæreticos apud Bellarm. c. 5. & habetur in multis Conciliis ap. Paſq. q. 22. n. 2. ac demum aperte in Trid. *ſeſſ. 22. can. 1. Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, Anathema ſit.* Non eſt igitur Miſſa Sacrificium tantummodo in ſenſu lato, & improprio, in quo ſenſu admittunt hæretici in Miſſa rationem Sacrificii; ſed eſt Sacrificium in ſenſu proprio, & ſtricto. Quare S. Pius V. Gregor. XIII. & Urb. VIII. damnarunt hanc 45. Baji Prop. *Sacrificium Miſſæ non alia ra-*

tione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate homo Deo inhæreat. Id ipsum eruitur ex unanimi consensu Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, omniumque PP. qui in utraque floruernnt, quosque copiosissime adducit Petavius *De Incarn.* l. 22. c. 13. & 14. Ratio autem est, quia in Missa habetur cæremonia sacra à Deo instituta, per quam res sensibilis moraliter déstruitur in protestationem supremi Dei dominii in res creatas, & summæ subjectionis nostræ ad ipsum: nam consecratio est cæremonia sacra instituta à Christo in Eucharistiæ institutione: deinde per consecrationem fit destructio rei sensibilis sufficiens ad Sacrificium, ut infra explicabitur; demum tota hæc actio fit in dictam protestationem; hæc enim est intentio Ecclesiæ, & institutio Christi, qui etiam ad eum finem consecravit, nosque idem facere jussit dicens: *Hoc facite*, & quod se ipsum in Cœna hoc modo Patri æterno obtulerit, docent apertissime SS. Iren. Cypr. Ambr. Gregor. Niss. Chrysost. Aug. ap. Bellarm. c. 12. in fine.

Quamvis ex natura rei posset Respublica Ecclesiastica auctoritate propria instituere sacrificia; tamen Christus Dominus interdixit, ne aliud institueret distinctum ab eo, quod ipse instituit, ut constat ex sensu omnium Doctorum, & perpetua Ecclesiæ traditione. Id autem fuit maxime congruum, quia Sacrificium Missæ continet in se omnem dignitatem, est sufficiens ad omnes fines, & effectus, complet differentiam omnium hostiarum, & est tanquam omnium perfectio, & absolutio.

Essentiam Sacrificii consistere in sola consecratione, diximus tom. 1. tr. 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 2. cum D. Th. Suarez, & aliis, ex eo, quod in sola consecratione habeatur sufficiens destructio, seu immutatio rei principalis sacrificatæ, nempe Christi per mortem moralem, & mysticam repræsentativam mortis cruentæ in Cruce, cum ex vi verborum fiat sensibilis separatio Corporis à Sanguine. Hinc non salvari diximus ibid., sacrificium in consecratione unius tantum speciei, nec Papam posse in hoc dispensare: neque ob mortis periculum relinqui posse consecrationem alterius speciei, cum sit intrinsece malum: ita Pal. contra Gob.

In hoc Sacrificio res, quæ principaliter offertur, est Christus Dominus: quia tamen non offertur ut existens in propria specie, sed quatenus fit sensibilis per accidentia panis, & vini, ideo species panis, & vini integrant materiam

materiam hujus Sacrificii: non ita ſubſtantia panis, & vini, quæ in hoc Sacrificio annihilatur: licet hæc annihilatio non intendatur per ſe; ſed unice ut diſpoſitio, & requiſitum ad hoc Sacrificium, prout eſt inſtitutum à Chriſto Domino. Porro quinam ſit principalis offerens, quinam minus principalis, ſeu delegatus, vide dicta tom. 1. §. ſupra cit. quæſito 3.

Ut probe teneatur Natura hujus Sacrificii, examinandi ſunt effectus, & valor ejusdem, ſeu virtus cauſativa talium effectuum. Effectus ſunt ſequentes. Primo Dei complacentia tam ratione rei oblatæ, quam principalis offerentis, qui eſt Homo Deus exhibens per hoc Sacrificium Auguſtiſſimæ Trinitati perfectiſſimum Latriæ cultum. Secundo, Exſolutio gratiarum pro beneficiis Dei; hoc enim Sacrificium, in quantum Euchariſticum, eſt recognitio Divinorum beneficiorum cum oblatione reciproca hujus Hoſtiæ pro exſolvendo debito gratiarum. Tertio, Remiſſio peccatorum quoad culpam, & pœnam: nam eſſe Sacrificium propitiatorium, eſt de Fide ex Trident. *ſeſſ. 22. can. 3. Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis, &c.; non autem propitiatorium, &c.; Anathema ſit.* Quoniam vero idem Trident. *cap. 2. cit. ſeſſ.* inde videtur probare, hoc Sacrificium eſſe propitiatorium, quia *Per ipſum fit, ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit;* ſatis declarat, hanc remiſſionem peccatorum quoad culpam non cauſari à Sacrificio immediate, ſed tantum mediate, hoc eſt mediis gratiis actualibus, ſeu auxiliis ſupernaturalibus operativis Contritionis, vel aliorum actuum Supernaturalium, quibus peccata deleantur; quæ gratiæ actuales, & auxilia immediate cauſantur, ſeu exiguntur à Sacrificio: Ita D. Thom. Suarez, & alii 50. Doctores, quos refert, & ſequitur Paſq. q. 63. Imo probabilius eſt, etiam venialia ita mediate remitti quoad culpam, cum Concilia, & PP. eodem modo loquantur de utrisque. Econtra pœnas remittit immediate, ut docent communiter omnes Catholici cum Paſq. q. 72. apud Croix num. 45. per hoc nempe, quod applicet ſatisfactiones Chriſti, ut manifeſte eruitur ex Trident. cit. *cap.* 1. & 2. Quarto, Impetratio omnis generis beneficiorum etiam temporalium, quatenus ad Salutem conducunt: v. Croix à n. 43.

Jam vero Sacrificium Miſſæ reſpectu duorum priorum

effectuum, qui sunt Dei complacentia, & solutio gratiarum, causat in actu secundo simpliciter infinite, quia Deus actu infinite sibi complacet in hoc Sacrificio, & in eo pro gratiis redditur bonum actu infinitum: at respectu duorum posteriorum, qui sunt remissio peccatorum, & impetratio donorum causat actu simpliciter finite, quia nec Christus ordinavit, nec Deus acceptat, nisi ad remissiones, & impetrationes actu finitas: & inde etiam est, quod in Ecclesia multiplicentur Sacrificia in ordine ad eundem finem, & plura plus obtineant, quam unum; & plus prosit uni, pro quo solo offertur, quam prodesset singulis, si pro multis offerretur, ut notant Suarez, Barbos. Rayn. Gob. Card, Bonac. Dicast. Henao, & Croix num. 47. Cum hoc tamen stat optime, quod Sacrificium Missæ dici possit secundum se valoris simpliciter infiniti in actu secundo, ut docent Cajet. Sylv. Suarez, Vasquez, & alii 27. auctores gravissimi, quos refert & sequitur Vasq. q. 117. contra Bell. Lug. Pallav. & alios, quorum plerique in re non dissentiunt; sed tantum volunt, non esse actu infinitum quoad vim proxime causativam, vel quoad effectum in actu secundo causatum, quod jam admisimus. Ratio nostræ assertionis est, quia valorem actionis constituit dignitas operantis: in casu autem dignitas personæ operantis actionem sacrificativam est simpliciter infinita, cum sit Christus Homo Deus; ob quam rationem docent omnes, Sacrificium in cruce, & ultima cœna oblatum, quod cum Sacrificio Missæ in substantia est idem, fuisse valoris infiniti: dicendum igitur consequenter est, quod Sacrificium Missæ sit etiam valoris simpliciter infiniti, quatenus in actu secundo habet secundum se compro-portionem, & condignitatem ad omne bonum possibile obtinendum, non prout ponitur nomine Ecclesiæ, Sacerdotis, vel adstantium, sed prout ponitur nomine, & in persona Christi: Croix n. 42.

CAPUT II.

De Participatione Fructus Sacrificii.

Duo hic prænotanda: Primum est, Sacerdotem in Missa quadrupliciter considerari posse: Primo, Prout gerit personam Christi principaliter consecrantis, & sacrificantis, cujus est veluti instrumentum: Secundo, Prout est publicus Minister Ecclesiæ, cujus nomine etiam

etiam offert Deo hoc Sacrificium, & in cujus persona orat illa, quæ in Missa recitantur: Tertio, Prout est privata persona etiam nomine suo offerens, & orans: Quarto, Prout offert, & orat nomine illorum, qui ad hoc Sacrificium specialiter concurrunt, aut cooperantur, ut sunt Ministri, Adstantes, & qui Missam petierunt. Alterum est, Triplicem distinguendum esse fructum Sacrificii, Specialem nempe, seu Substantialem, Generalissimum, & Specialissimum. Primus est, qui respondet Sacrificio secundum se, prout est opus positum à Sacerdote, ut operante in persona Christi. Secundus est, qui respondet Sacrificio, prout est opus positum à Sacerdote, ut operante in nomine, vel personæ Ecclesiæ. Tertius est, qui respondet Sacrificio, prout est opus positum à Sacerdote operante, ut persona privata, vel prout est positum ab illis, qui specialiter ad illud cooperantur, vel concurrunt. Singuli hi fructus sunt satisfactorii saltem late, quatenus sunt applicativi satisfactionum Christi, vel impetrativi remissionum, & aliorum beneficiorum, ut notant communiter Doctores teste Croix n. 41. quamvis aliqui cum Pasq. dissentiant, putantes, non omnes esse satisfactorios. His præmissis, videndum nunc est, Quid requiratur, tum ex parte Ministri, seu Sacerdotis tum ex parte subjecti ad participandos prædictos fructus Sacrificii?

Sacrificium ut in aliis à Sacrificante causet effectus suos ex opere operato, non requiritur in Ministro status gratiæ; Tridentin. enim *sess.* 22. *c.* 1. dicit. *Hoc Sacrificium nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari posse*, hoc est, impediri virtutem causandi, ut tenet recepta omnium sententia, teste Croix num. 49. Hinc D. Thom. 3. p. q. 82. art. 6. ap. eundem cum aliis docet, Missam mali Sacerdotis ex opere operato æque prodesse, ac boni; etiamsi ille esset hæreticus, excommunicatus, degradatus, quia hic fructus specialis sequitur ad substantiam Sacrificii, prout est actio Christi principaliter offerentis: quod secundum Gabr. Sot. & alios valet etiam de Missa, prout est actio Ecclesiæ, quæ semper est sancta, & grata Deo: hinc etiam communissime contra Cajet. Sot. Henr. & alios docent Doctores, non augeri in aliis fructum ex opere operato ex eo, quod Sacrificans habeat majorem gratiam, vel devotionem, quia vis operis operati non est ex actione, prout est Ministri, sed prout est Christi.

Ut Sacrificium ſpecialiter proſit potius uni, quam alteri, adeoque ad participandum fructum ſpecialem Sacrificii, requiritur applicatio Sacrificantis: ita D. Thom. cum aliis communiſſime, quia, cum ſit inſtitutum pro bono communi, & ſecundum ſe ſit indifferens, ut ſpecialiter proſit huic, vel illi, debet determinari per Sacerdotem: hinc, ſi Sacerdos nulli applicet fructum, remanebit in theſauro Eccleſiæ, diſpenſandus à Pontifice per indulgentias à ſe concedendas. Ait Trull., quod Sacerdos nulli applicans ſacrificium cenſeatur velle applicare ſibi per illam generalem voluntatem, qua quisque ſemper intendit prodeſſe ſibi, quantum poteſt. Talis autem applicatio non debet neceſſario eſſe actualis, ſed ſufficit habitualis, hoc eſt ſemel habita, & non retractata. Non valet tamen applicatio poſt Sacrificium, ſed debet applicari, vel ante Sacrificium, vel ſaltem in conſecratione Calicis. Ut vero Fidelibus cauſet fructum generaliſſimum, & coofferentibus ſpecialiſſimum, nulla requiritur applicatio Sacerdotis: quia hoc ipſo, quod ponitur juxta præſcriptum Eccleſiæ, & ex cooperatione coofferentium, tanquam opus publicum, & commune, eſt de ſe operativum illorum effectuum. Hinc, ſi Sacerdos ſit in gratia, quamvis fructum ſpecialem nulli applicet, ſacrificium tamen illi proderit, quia obtinebit fructum ſpecialiſſimum, qui forte major eſt, quam ſpecialis, quem fructum ſpecialiſſimum poteſt Sacerdos totum ſibi retinere, etiamſi accepto ſtipendio pro aliis celebret, aut ſi velit partem ejus applicare alteri, ut probabiliter tenent Cajet. & alii 20. cum Averſa contra Suarez, Layman. Paſq. & probabiliter etiam coofferentes poſſunt applicare alteri: quia tamen id non eſt certum, merito damnata eſt ab Alex. Prop. 8. aſſerens poſſe diſtinctum ſtipendium accipi pro applicatione hujus fructus ſpecialiſſimi, ut notavimus tom. 2. tr. 4. d. 2. q. 1. c. 2. §. 3.

Ex parte vero ſubjecti ad participandum fructum Sacrificii requiritur capacitas. Quinam autem ſint capaces, intelliges ex ſequentibus. Primo, ſoli Viatores ſunt proprie capaces horum fructuum, quia Sacrificium eſt inſtitutum pro Eccleſia militante: animæ tamen purgantes adhuc cenſentur eſſe quaſi in via, cum nondum ſint in Patria: hinc pro iis rite offeruntur Sacrificia, ut definit Trident. *ſeſſ.* 22. *can.* 3. nec in iis prærequiritur tanquam diſpoſitio, ut in vita habuerint curam ſatisfaciendi

ciendi pro culpis propriis, vel juvandi alios defunctos, ut volunt aliqui, sed sine ullo fundamento: Croix n. 59. Secundo, Ut quis sit capax eorundem fructuum quasi de condigno, debet esse baptizatus, & in statu gratiæ, quia, cum hoc Sacrificium sit pro Ecclesia institutum, videtur pro illis tantum, qui sunt de Ecclesia, ex justitia exigere illius fructum: quod, si sint in mortali, sunt Dei inimici: ergo eorum indignitas obstabit, ne Deus teneatur ex justitia illis concedere ejusdem fructus: Croix n. 56. ex Pasq. contra Dur. qui ad satisfaciendum pro pœna debita peccato remisso non requirit statum gratiæ; imo probabilius est, quod Sacrificium oblatum pro constituto in mortali, non reviviscat ad causandos suos effectus, si ille remittatur in gratia; nullum enim habetur hujusmodi reviviscentiæ solidum fundamentum: Croix n. 56. At, si Sacrificium offeratur pro conversione Infidelis, vel Peccatoris, aut etiam pro remissione pœnæ debitæ culpæ, quam homo infidelis jam deleverit per contritionem, poterit Sacrificium prodesse de congruo: Croix cit. ex Dicast. Item ad remissionem pœnæ requiritur indigentia actualis, hoc est, ille, pro quo offertur Sacrificium, debet esse actu obnoxius debito alicujus pœnæ. Poterit autem remitti pœna, etiamsi reus nihil sciat de Sacrificio pro se oblato, quia relaxatio debiti est actus solius Creditoris: si tamen positive nollet sibi remitti, Suarez, ap. Croix num. 58. contra Lugo, Averss. Pasq. probabilius dicit, non remittendum, quia cum invito ordinarie non debeat fieri gratia, credibile est, Deum pro dispositione exigere consensum saltem interpretativum. Demum fructus Sacrificii tam satisfactorius, quam impetratorius est major, vel minor pro majori vel minori dispensatione illius, pro quo offertur: D. Thom. Dicast. Averss. & alii plurimi contra Suarez, Valentin. Fill. Fag.; videtur enim idem dicendum esse de Sacrificio, ac communiter dicitur de Sacramentis, quæ pro meliori dispositione subjecti majorem effectum habent.

Ex dictis colliges, pro quibus offerri, & valide, & licite possit Sacrificium; valide enim, ita ut aliquo modo de se prodesse possit, offertur pro ipso Sacerdote (qui probabilius, uti & cæteri cooffierentes, non participat ullum fructum Sacrificii ex opere operato præcise ut offerens est: vide Croix num. 51.) pro assistentibus, pro Ecclesia tota, etiam pro absentibus. & nihil scientibus de tali oblatione: item directe pro infantibus,

& peccatoribus; quibus tamen non prodeſt in ratione ſatisfactorii: in infantibus enim jam baptizatis nihil eſt, pro quo ſatisfiat, cum baptiſmus remittat culpam, & pœnam; in peccatoribus vero ante culpam non dimittitur pœna juxta communem cum D. Thom. ſententiam: item pro Catechumenis, Henr. Bellarm. Suarez, aliique 16. graves Auctores cum Dicaſt. & Paſq. qui idem docent de infidelibus cum Arriag. & Burg. contra Vaſq. Hurt. Gran. Pal. contradicentes quoad utrosque; & probatur ex Innocent. III. cap. *Apoſtolicam 2. de Presbyt. non bapt.* expreſſe volente pro Catechumeno, hoc eſt non baptizato, ſed credente in Chriſtum, offerri Deo preces, & hoſtias, citatque pro hoc auctoritatem SS. Auguſt. & Ambroſ. Idem eſt de aliis nec baptizatis, nec in Chriſtum credentibus, qui veniunt nomine Infidelium, quia utrique ſunt capaces fructus impetratorii, & Sacrificium Crucis etiam illis profuit, nec Eccleſia ullibi prohibet pro illis offerri. Demum poteſt offerri Deo in honorem, & memoriam Sanctorum, vel in gratiarum actionem pro beneficiis, quæ Deus illis conceſſit Tridentin. *ſeſſ. 22. cap. 2.* item ad obtinendam eorum interceſſionem, ut idem Trident. definit *ibid. can. 5.* Quæ omnia ex antiquiſſimis liturgiis, & PP. probat Bellarm. l. 2. c. 8. Offerri tamen non poteſt pro illis, neque ut propitiatorium, cum nulla aſtringantur culpa, aut pœna; neque ut impetratorium gratiæ, aut gloriæ eſſentialis, quæ illis utpote in termino conſtitutis augeri non poteſt: probabilius tamen Suarez, Lug. Dicaſt. & alii contra Paſq. putant, poſſe pro illis offerri ut impetratorium alicujus gloriæ accidentalis; ſunt enim capaces augmenti hujus gloriæ accidentalis, cum Eccleſia oret, ut Sacrificium Sanctis *proficiat ad honorem:* item *Ut ſicut Sanctis ad gloriam, ita nobis proſit ad veniam.*

Contra vero pro Damnatis offerretur non ſolum invalide, quatenus eis prodeſſe nullatenus poteſt, ut eſt certum ex communiſſima ſententia; ſed etiam illicite, non ſolum quia prohibitum eſt ab Eccleſia, ſed etiam, quia offerens pro iis excederet terminos ſui officii, & ageret contra inſtitutionem Chriſti: Croix num. 37. ex Paſq. Hinc mortale eſſet offerre pro eo, qui omnino voluntarie, & ſui compos ſe occidit; offerri tamen poteſt, ſecluſo ſcandalo, pro mortuo in duello, quia non conſtat, obiiſſe in mortali: Dian. Portell. & alii apud Croix. Præterea ſaltem illicite, quod

quod est certum, offertur directe pro excommunicatis vitandis, seu non toleratis, quare peccaret mortaliter, qui pro iis sic offerret Sacrificium, quia ageret contra prohibitionem gravem Ecclesiæ. Dixi primo *Saltem illicite;* nam Suar. Avil. Pasq. & alii ap. Croix n. 32. putant, Sacrificium sic illicite oblatum pro Excommunicato vitando, fore illi utile, quoad fructum specialem impetratorium respondentem Sacrificio, prout est actio Christi, quia pœna Ecclesiæ non videtur debere præjudicare institutioni Christi: de hoc tamen merito dubitat Dicast, concludens, rem esse omnino incertam. Dixi secundo *Directe:* nam indirecte licite offertur, offerendo e. g. pro omnibus peccatoribus, pro reductione Impiorum, vel Hæreticorum. Ratio est, quia sunt capaces fructus impetratorii, & Ecclesia prohibens communicationem in Divinis censetur loqui de communicatione directa, cum prohibitio isthæc, utpote odiosa, sit restringenda: Pasq. Avers. apud Croix n. 31. Dixi tertio *Pro Excommunicatis vitandis;* nam ex Nav. Con. Sanch. Fag. Hurt. Lug. Pasq. Dicast. & aliis contra Sot. Avil. Suar. Vasq. Bonac. Azor. Sal. & alios probabilius est, licitum esse publice, & directe Sacrificium offerre pro Excommunicato non vitando, seu tolerato, quia in Extrav. Martini V. in Concil. Constant. *Ad evitanda* conceditur communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in Divinis: v. Croix num. 34. Licitum tamen est privatim orare pro excommunicatis vitandis: hinc potest Sacerdos licite sub *Memento* interne pro illis orare: imo etiam, dum publice orat nomine totius Ecclesiæ, privata tamen intentione, & in propria persona: item potest, sicuti quodvis pium opus, ita etiam Missam, quatenus est proprium opus talis privatæ personæ, pro iisdem offerre in ordine ad satisfactionem, & impetrationem ex opere operantis, quia sic censetur privata oratio, satisfactio, vel impetratio; & tantum opera publica prohibemur pro illis offerre: Sylv. Angel. Armill. Covar. Navarr. Suar. Dicast.

CAPUT III.

De loco Sacrificii.

SACRIFICII locus immediatus est Altare; mediatus est Ecclesia, seu Oratorium; & ex necessitate aliquan-

quando etiam alius Locus Profanus. De his omnibus agendum, tum demum de Loco Obligationis.

§. I.

De Altari.

GRAVE ſacrilegium eſt celebrare absque Altari, ubicunque gentium celebres, & ex quavis etiam neceſſitate; ita ut neque id liceat, etiamſi alias mors tibi intentetur, utpote intrinſece malum, contraque reverentiam Sacrificio debitam, ut docent Suar. Pal. & alii contra Azor. Vaſq. Val. Bonac. & alios: notatque Averſ., vix in tali caſu abeſſe poſſe contemptum Religionis: vid. Croix l. 6. p. 2. num. 339. aitque num. 316. decretum, quod olim fuit, ne quis celebret, in Altari, in quo celebravit eo die Epiſcopus, nunc exoleviſſe.

Quæres primo, Quod ſit Altare aptum Sacrificio?

Reſpondeo, Eſſe proprie, qui dicitur *Lapis conſecratus;* Ideoque poſſe eſſe Altare fixum: vel mobile: fixum dicitur, ſi eadem prorſus actione conſecratus ſit ſimul lapis cum reliquis partibus fixis totius menſæ: mobile vero; cum ipſe tantum lapis ſeorſim eſt conſecratus; ideoque dicitur etiam Altare viaticum, & portatile. Neutrius autem conſecratio fieri poteſt, niſi ab Epiſcopo, qui nec poteſt committere aliis: Vel ab Abbate, qui, etſi poſſit conſecrare quodvis Altare portatile, illicite tamen conſecraret fixum alienæ Eccleſiæ absque licentia Ordinarii; exerceret enim ibi Pontificalia: Sede autem vacante conſecrari poteſt ab Epiſcopo viciniore, & ex Privilegio Honor. poteſt à quovis Epiſcopo, ſi diœceſanus ultra quatuor menſes diſtulerit, *Comp. Priv. Soc. Jeſu.* Poteſt autem Papa committere etiam ſimplici Sacerdoti; & Nuntii Apoſtolici ſæpe dant Miſſionariis facultatem conſecrandi Altare portatile: v. Croix n. 311. Notat etiam Tamb. l. 1. *Miſſ.* c. 5. in Eccleſia non conſecrata non poſſe conſecrari Altare fixum ſine licentia Papæ, nec in conſecrata poſſe deſtrui ſine conſenſu Epiſcopi.

Quæres ſecundo, Qualis eſſe debeat Lapis conſecratus?

Reſpon-

Reſpondeo, Debere eſſe unicum ob unitatem Perſonæ Chriſti ſignificandam; tantumque eſſe debere, ut capiat calicem, & patenam, ſaltem pro majori eorum parte: Croix num. 301. debere inſuper eſſe omnino lapideum, quamvis portatile poſſit circumdari capſula lignea, vel etiam collocari in reliquo totius menſæ ligneo. Putant tamen Hurtad. Paſq. & alii, portatile poſſe conſtare ex duobus lapidibus unione aliqua artificiali conjunctis, quique ad modum libri plicari poſſint: & Gob. addit, etiam fixum componi poſſe ex gypſo, aut lateribus cæmento conglutinatis; ſed negant Vaſq. Fagun. Tamb. & alii, utpote contra communem Eccleſiæ conſuetudinem; ideoque addunt, ſi pars lapidis non conſecrati addatur conſecrato, non ideo evadere conſecratam, quia non facit unum phyſice continuum. Denique in parvulo lapidis loculo (qui dicitur ſigillum, ſeu ſepulchrum) recondi ſolent in conſecratione Reliquiæ Sanctorum, ſine quibus invalidam fore conſecrationem, docent Bonac. Barb. Azor. & alii; quamvis Suar. Vaſq. Con. & alii contradicant. cum non habeatur clarus Textus tantam earum neceſſitatem requirens, & multa Altaria mobilia conſecrata ſunt absque Reliquiis. Illud eſt certum contra Jo. Andr. & Durand., non poſſe in defectu Reliquiarum includi particulam Hoſtiæ conſecratæ; v. Croix n. 301. & 306.

An autem conſecretur Altare per merum Sacrificium bona, vel mala Fide in eo factum? affirmant Sa. Gob. Paſq. & alii, quia ipſemet contactus Corporis Chriſti eſt unctio ſubſtantialis; ideoque Sa, Gob. putant, licite deinceps in eo ſacrificari; quamvis Paſq. requirat ulterius conſecrationem ritualem. Sed melius negant Lug. Croix n. 352. & alii, quia talis conſecratio extraordinaria deberet provenire ex voluntate Papæ, qui nunquam id declaravit: imo, ſi interrogaretur, certe reclamaret, maxime, ſi factum fuerit mala fide, cum non ſit malitiis Hominum indulgendum ex cap. *Plerumque*, *de Reſcript.*

Quæres tertio, An liceat celebrare in Altari execrato?

Reſpondeo negative; Idem enim eſſet, ac celebrare absque Altari: Doctores communiter. Execratur autem, ſi forma ſit adeo mutata, ut qui antea vidiſſet, jam

jam non recognoſceret pro eodem: vel, ſi ita enormiter frangetur, ut non ſit amplius capax Calicis cum Patena. Hinc non execratur præciſe, quod frangatur in quatuor cornibus; imo ſi frangatur in duas partes, quarum ſingulæ caperent Calicem cum Patena. Croix num. 300. putat, ſingulas ſervire poſſe pro Ara, cum non amitterent uſum, & finem, adeoque nec conſecrationem: idemque ait, ſi lapis non eſſet fractus, ſed tantum fiſſus, quia fiſſura eſſet veluti vulnus, quod relinquit idem numero corpus; ideoque poſſe etiam ſciſſuram glutine aliquo ſanari. At, ſi Altare ſit fixum, execratur per ſolam amotionem à baſi; quia amittit formam, ſub qua conſecratum fuerat; ſecus, ſi totum ſimul transferatur ad alium locum Eccleſiæ, cum ſic non ſeparetur pars à parte: Suar. Croix. An vero execretur Altare per hoc præciſe, quod frangatur ſigillum, vel removeantur reliquiæ? Affirmant Azor. Bonac, Barb. & alii, præſertim Canoniſtæ, & Spor. putat, eſſe certum ex *c.* 1. *de Conſecr. Eccl.* Negant Ab. Lug. Sot. Vaſq. & alii: additque Pal. ex nullo textu conſtare præceptum Reliquiarum, ſed tantum congruentiam, ob quam Sacerdos, dum dicit *Quorum Reliquiæ hic ſunt*, loquitur de more, eo quod ita ſolet; uti, dum dicit *Dominus vobiſcum* ſolo uno præſente; conſuetudinem tamen eſſe iterum conſecrandi. Prior ſententia videtur probabilior, juxta quam non ſufficeret, ſi iterum reponerentur Reliquiæ; quia lapis execratus ſe habet, ac ſi nunquam eſſet conſecratus: v. Croix n. 306. Reliqua de Altari portatili vide §. 4.

§. II.

De Eccleſia, vel Oratorio publico.

Sub gravi etiam præcipitur, ne Sacrificium fiat, niſi in Altari exiſtente in Eccleſia, vel Oratorio publico, ex Trident. *ſeſſ.* 22. *decr. De Obſervandis, &c.* Nomine autem Eccleſiæ venit Templum conſecratum vel ſaltem benedictum; de Oratorio publico dicam §. 3. In quavis ergo Eccleſia (modo non ſit Polluta, ſeu Execrata, ſeu Interdicta) poteſt quivis Sacerdos, ſive ſecularis, ſive regularis celebrare. Poteſt tamen Ordinarius prohibere, ne Sacerdos v. g. forenſis absque ſua licentia

licentia celebret in Ecclesiis suæ diœcesis, sive secularium, sive regularium; quia, quod Missam attinet, procedere potest, ut sedis Apostolicæ Legatus, ex Trident. cit, Non videtur tamen talis Sacerdos peccare graviter si absque ejusmodi licentia ibi celebret per aliquot tantum vices. ac veluti per transitum; uti videtur in praxi positum etiam à timoratis?

Quæres primo, A quo consecrari, vel benedici possit Ecclesia?

Respondeo, Nullas Ecclesias etiam Regularium consecrari posse, nisi ab Episcopo, qui, etsi possit id committere alteri Episcopo, non tamen simplici Sacerdoti; cum id tantum possit Papa; Doctores communiter ex *c. Aqua, de Consecr. Eccl. & Alt.* Possunt tamen Religiosi Societatis Jesu efficere, ut consecrentur, aut benedicantur suæ Ecclesiæ cum cœmeteriis, & ut primus lapis ponatur per quoscunque Episcopos, si diœcesani ultra quatuor menses id facere distulerint, *Compend. v. Ecclesia.* Denique valide consecraretur Ecclesia, etsi illicite, ab Episcopo hæretico, aut excommunicato vitando; quia, etsi ipse esset extra Ecclesiam, adhuc tamen haberet potestatem Ordinis, cui ex institutione Ecclesiæ adnectitur talis potestas: Laym. & alii contra Rodr. & alios. Econtra vero quivis Sacerdos ex licentia Episcopi potest benedicere Ecclesiam; & Superiores locales Regularium absque ejusmodi licentia benedicere possunt suas Ecclesias pro usu eorum dumtaxat ex *Privil. Leo X.* pro usu vero publico requiritur facultas Diœcesani; &, si is per quatuor menses distulerit, satis est quivis alius Episcopus ex modo dictis.

Quæres secundo, Quomodo polluatur, seu violatur Ecclesia?

Respondeo, Per quadruplicem tantum actionem injuriosam ipsi Ecclesiæ: I. Per Homicidium; II. Per Effusionem Sanguinis: III. Per Effusionem Seminis: IV. Per Sepulturam Excommunicati vitandi, aut Infidelis. Addunt alii multi apud Bon., etiam pollui, si consecretur, aut benedicatur ab Episcopo excommunicato vitando, sed id melius negant Suar. Con. & alii, utpote nullo textu clare expressum. Nota insuper, nulla ex dictis quatuor actionibus pollui Ecclesiam, nisi fiat intra ejus pavimentum, & tectum, & nisi etiam sit publica, quia sumus in odiosis sanctitati Ecclesiæ: hinc

non

non polluitur Ecclesia, si actio patretur in ejus Sacristia, vel supra ejus tectum, vel in campanili, vel ante valvas, vel in Ecclesia subterranea; bene vero, si in ejus sepultura, utpote parte ejus interiori; similiter nec polluitur saltem in actu secundo, si actio nondum sit evulgata, ideoque Sacerdos, etsi privatim sciat, potest ibi celebrare: idemque est, si sit dubia, cum possessio stet pro sanctitate Ecclesiæ. Si autem alii publice affirment, alii negent, standum judicio Episcopi, qui, si tolleret, hoc ipso tollit scrupulum; at si actio primum occulta, deinde certo evulgetur, tunc incipit Ecclesia esse pollnta in actu secundo, utut aliqui apud Croix n. 290. limitent, si evulgetur ante tres, vel quatuor menses. Explico nunc quatuor illas actiones.

I. Polluitur Ecclesia per Homicidium, ex *c. Proposuisti, &c. Eccl. de Consecr.* Idque primo, etiamsi fiat absque effusione sanguinis, puta veneno, suffocatione, patibulo, &c. Secundo, Etiamsi fiat à Judice per Carnificem, vel Martyr in ea occidatur, vel seipsum quis culpabiliter interimat, vel sequatur homicidium ex rixa; quia semper est actio voluntarie injuriosa Ecclesiæ: Doctores communiter. Excipe cum Henr. & aliis contra Dian. & alios, si reus sit perturbator Reipublicæ, nec aliter reprimi possit, nisi occidatur in Ecclesia; tunc enim videtur hæc consentire: similiter nec polluitur Ecclesia, si quis casu, morbo, &c. in ea moriatur. vel si causa lethalis data sit extra Ecclesiam, aut in Sacristia, &c. licet mors sequatur intra Ecclesiam: secus vero, si econtra.

II. Polluitur per effusionem sanguinis humani, etiam morte non secuta, ex *c. un, de Consecr. in* 6. Debet autem primo esse injuriosa Ecclesiæ, quæ proinde non polluitur, si effusio fiat casu, morbo, aut ab amente, furioso, puero nondum septenni, aut à Chirurgo medente, aut à defendente se cum moderamine, &c. Item neque si vulnus fiat extra, & deinde sanguis effluat intra Ecclesiam; secus econverso juxta jam dicta: quamvis & de hoc dubitet Delb. apud Croix n. 282. Debet secundo esse sanguis copiosus; si enim parum sit sanguinis, non dicitur proprie effusio; imo Con. Graf. & alii docent, neque pollui Ecclesiam, si copia effluat è naso, aut dentibus, quia non tam vi illata, quam sua sponte inde abundanter effluit; quod certum est, si actio non

sufficiat

sufficiat ad mortale, ut limitat Bonac. Debet tertio esse sanguis Hominis viventis; non enim polluitur Ecclesia, si perfosso cadavere effluat sanguis: Doctores communiter contra Sot. & alios; neque si perfossa Hostia Consecrata Sanguis miraculose effluat, quia non ex corpore Hominis mortalis, cum Corpus Christi sit impassibile: Croix n. 284.

III. Polluitur per effusionem seminis humani, sive virilis, sive muliebris, sive intra, sive extra vas, etiamsi in terram non decidat: Doctores communiter, ex *cit. c. un. de Consecr. in* 6. Debet autem esse evulgata juxta jam dicta, item voluntaria, & copiosa: Hinc non polluitur Ecclesia, si pollutio sequatur in somno, ebrietate, &c. etiamsi fuerit voluntaria in causa, ut addunt Henr. & alii: secus vero, si per violentiam ab altero factam; quia est ei voluntaria: Potest. contra Croix: Neque polluitur per emissionem menstruam seminis corrupti, distillationem, &c. Croix n. 288. Neque demum per copulam conjugalem, si fiat ex necessitate, quando scilicet est periculum incontinentiæ in alterutro conjuge, secus, præcisa hac necessitate, ut docent Sanch. Nav. Bon. & alii contra Lop. Vasq.

IV. Polluitur per sepulturam excommunicati vitandi, aut Infidelis, ex *c. Ecclesiam, de Consecr. d.* 1.; non ergo polluitur per sepulturam excommunicati tolerati, utut notorii de facto, aut Hæretici non denunciati nominatim; neque per sepulturam Catechumeni, aut dubie baptizati, quia censentur decessisse cum baptismo flaminis: Sayr. & alii. Neque per sepulturam infantis non baptizati, si sit filius aterutrius saltem parentis fidelis; secus vero, si infidelium: quia hic, non ille, censetur infidelis infidelitate parentum: Palud. Sayr. contra Suar. Fagun. apud Croix n. 387. Si autem in utero matris fidelis ibi sepultæ moriatur fœtus ob incuriam culpabilem, polluitur Ecclesia, sed ratione homicidii, ut not. Bon.

Quæres tertio, An licite fiat Sacrificium in Ecclesia publice polluta, antequam reconcilietur?

Respondeo negative; Est enim grave Sacrilegium, etiamsi nulla sit pœna in jure statuta: Doctores communiter: excipe tamen casum necessitatis; puta si die festo populus aliam Ecclesiam non habeat pro Missa audienda.

dienda, vel si ibi sit festum solemne, nec possit adiri Episcopus pro licentia: Tamb. Suar. & alii. Extra hunc casum nec potest celebrari in ejus cœmeterio contiguo; qnia polluta Ecclesia illud etiam polluitur; quamvis non econverso: Croix n. 294. Si autem inter celebrandum polluatur publice Ecclesia, debet Sacerdos interrumpere, si nondum cœperit canonem.

Quæres quarto, Quomodo Ecclesia polluta reconcilietur?

Respondeo, Primo, Si erat jam consecrata, solus Episcopus aqua cum sale, & cinere per ipsum benedictis potest eam reconciliare; ita ut nequeat id aliis committere, ut docent communiter contra Vict. Sa, & alios, ex *c. Aqua cit.* Ex privilegio autem Papæ Leonis X. idem possunt Superiores locales Regularium pro suis Templis, sed per aquam ab Episcopo Diœcesano benedictam, nisi is distet per duas dietas, hoc est 40. milliaria; vel sedes vacet, ut addunt alii. Secundo, Si Ecclesia erat tantum benedicta, reconciliari potest à quovis Sacerdote aqua communiter benedicta; expedit tamen obtinere licentiam ab Episcopo, nisi sit Ecclesia Regularium. An vero Sacrificium bona, vel mala fide peractum sufficiat ad reconciliationem, est dubium. Affirmant Sa, Dian. Tamb. & alii. Sed melius negant, Lug. Croix, & alii, quia praxis est, ut si in casu necessitatis in ea celebretur de licentia Episcopi, adhuc indigeat reconciliatione, & similiter si pollutio accidat intra Canonem Missæ: ergo, &c.

Quæres quinto, Quomodo Ecclesia execretur; & an in ea execrata celebrari possit?

Respondeo, Execrari Ecclesiam consecratam, cum notabiliter destruitur ejus forma, quæ consistit in quatuor parietibus cum crusta. Non ergo amittit consecrationem, si tota simul dealbetur; neque si solum tectum corruat, cum consecratio sit in parietibus, ex *c. Ligneis, de Consecr. Eccl.*, etsi cum tecto modica pars parietis etiam corruerit; neque demum, si una pars parietis post aliam successive destruatur, etiamsi tota Ecclesia sic successive reædificetur, quia censetur eadem manere. Execratur ergo, si parietes, vel unus paries secundum majorem partem corruat, aut destruatur; aut si omnis eorum crusta, aut saltem major pars simul auferatur: Doctores

ctores communiter. Addit Dian. p. 8. t. 7. r. 93. ex Concil. Nicæn. execrari etiam Ecclesiam per injuriosam exustionem; sed secundum Gloss. in 2. d. 1. c. 20. intelligitur, si pro majori parte ita comburitur, ut destruatur, vel decrustetur; non vero secus. Similiter nec execratur præcise per diuturnam desolationem, exercitia hæreticorum, spurcitiem hominum, vel animalium illic stabulantium, &c. Decet tamen, & praxis habet, ut per Episcopum, vel saltem Sacerdotem cum aliqua cæremonia abluatur: Laym. Bemb. & alii.

Nota, Execrata Ecclesia, non proinde execrari ejus altaria, etiamsi fixa; nec conversio; quia eorum consecratio est distincta; nec execratio eadem est, ac pollutio, quia fit injuria toti Ecclesiæ: nota insuper, Ecclesiam tantum benedictam non amittere benedictionem, etiamsi corruant parietes, quia benedictio adhæret solo, consecratio autem parietibus: Bon. & alii ex *Text. cit.* Cæterum in neutra potest licite celebrari absque necessitate juxta dicenda §. 4., quia esset idem, ac celebrare extra Ecclesiam. Nota demum, lapides, ligna, &c. Ecclesiæ dirutæ non posse adhiberi ad opera laicorum, sed vel pro alia Ecclesia, vel comburenda sunt, vel auctoritate Episcopi convertenda in usus profanos non sordidos; & similiter converti potest fundus Ecclesiæ dirutæ, si reædificari non possit, erecta tamen ibi cruce. Quoad Ecclesias Regularium in casu necessitatis mutari possunt de loco ad locum à Provinciali; & prior locus reduci potest ad eorum usus humanos, erecta tamen cruce: materia vero reponenda est in altera Ecclesia, ex *Concess. Leo X. Viv. Voc. orac. ut in Comp. Priv. Soc.* Possunt etiam ligna, & lapides Ecclesiæ dirutæ adhiberi pro eorum dormitorio, vel in eorum etiam coquina comburi: v. Croix n. 296.

Quæres sexto, An celebrari possit in Ecclesia interdicta?

Respondeo: Primo, Si interdictum sit locale speciale denunciatum: non posse absque gravi peccato, & pœna irregularitatis, cum sit violatio censuræ, cujus effectum probabilius nequit suspendere Episcopus, qui tulit, dispensando scilicet ad tempus, ut ibi celebres; quia solus Papa potest dispensare in jure communi: Cæterum, si metu gravi coactus ibi celebres, non peccas, nec fis irregularis, modo non sit metus tibi incussus in contemptum; quia Ecclesia non obligat ad observantiam

censuræ cum tanto onere: denique concessum est, ut si ibi asservari solebat SS. Sacramentum pro infirmis, possit semel in hebdomada illud renovari: &, si urgeat necessitas, etiam pluries, ut addunt Suar. & alii. Secundo, Si interdictum sit locale generale, cum scilicet interdicitur Civitas, potest celebrari in ejus Ecclesiis, januis tamen clausis, non pulsatis campanis, & exclusis laicis non privilegiatis.

§. III.

De Oratorio privato.

Oratorium privatum stricte acceptum est *Locus aliquis intra domum Hominis privati deputatus ad tempus ad Divina Officia;* idque nec consecratum est, nec benedictum, nec habet campanam, nec ostium patens in via publica; ideoque nec gaudet immunitate; & nutu Fundatoris potest ad usum profanum reduci: Dian. p. 9. t. 1. r. 1. Dixi, *Hominis privati;* Nam Oratorium erectum in palatio Episcopi, aut in domo Regularium, aut in domo etiam Secularium, sed cum ingressu etiam ex publica via, perpetuoque destinatum cultui Divino, gaudet immunitate, nec comprehenditur sub decreto tollente Oratoria privata: similiter Oratorium à Missionariis privilegiatis certo loco constitutum, & Capellæ in carceribus publicis, quamvis immunitate non gaudeant, tamen neque comprehenduntur, &c. Bene tamen Oratoria erecta intra domos Principum, aut in Aulis publicis Civitatis, ubi Senatores conveniunt: Croix n. 264.

Quæres primo, Qua auctoritate erigi possit Oratorium privatum?

Respondeo ex Trid. *sess.* 22. Decr. *de Celebr. Miss.* Non posse Episcopum concedere Secularibus Oratoria privata, sed requiri omnino privilegium Sedis Apostolicæ: Croix n. 263. Addunt tamen Pasq. Dian. r. 21. & alii, posse Episcopum concedere Oratorium habens ostium patens extra domum, ut in illo Missæ celebrentur absque facultate Sedis Apostolicæ, ibique posse audiri à solis dominis, & clausis januis. Potest idem Episcopus (non autem Vicarius Capitularis ex Dian.) in propria domo Episcopali erigere, & mutare suum Oratorium; uti etiam in villa Episcopali, & in pluribus simul

simul domibus propriis Episcopalibus. Possunt pariter Regulares absque Ordinarii licentia erigere, & mutare Oratoria in suis domibus, & villis pro eorum tantum usu; requiritur tamen, ut eorum Provincialis per seipsum inspiciat, & designet locum, quamvis possit is committere alteri, ut judicet de idoneitate, & tunc per seipsum etiam in absentia approbare: Lug. Croix num. 275. addens, non posse Regulares permittere, ut in schola, vel aula celebretur Missa, scilicet solemnis noctu Nativitatis Domini. &c.

Quæres secundo, Quomodo sit erigendum Oratorium privatum ab habente privilegium Sedis Apostolicæ?

Respondeo, Visitandum, ac designandum esse prius locum ab Episcopo ordinario loci, ex Trid. cit. & verbis apponi solitis ejusmodi privilegiis; non est autem opus, ut habeat quatuor muros, sed pro quarto apponi potest tela ad commoditatem, &c. nec qui in eo comederet, aut exerceret usus alios profanos, peccaret, nisi ad summum venialiter: nisi vero id fiat constanter, & per modum habitus: nec illicitum est super illud ponere lectos, aut alia profana exercere; imo & ad arbitrium Privilegiati potest destrui, & ad usus profanos converti: Croix n. 266.

Porro Oratorium hoc durat usque ad mortem Privilegiati, cum sit personale: ideoque nec cessat morte Papæ concedentis, aut Episcopi designantis, cum sit gratia facta, unde nec opus erit licentia novi Episcopi: Croix num. 268. Si autem privilegiatus mutet domicilium in aliam Diœcesim, fert quidem secum privilegium personale; sed requiritur inspectio, & approbatio alterius Episcopi, ut ibi erigatur: Doctores communiter: idemque, si in eadem Diœcesi mutet domum, vel in eadem domo mutet Oratorium de loco ad locum; quia prior designatio non se extendebat ad hunc locum: Tamb. Quart. & alii contra Dian., Quintanad. apud Croix n. 289. At, si Privilegiatus sit alibi tantum ut peregrinus, non potest ibi frui privilegium; item nec potest habere unum domi, & simile alterum rure, cum vi talis privilegii facultatem ejus habeat in uno tantum loco: Pasq. apud Croix n. 269. Denique Oratorium privatum, cum non sit consecratum, nec benedictum, non polluitur per quatuor illas actiones, quibus polluitur Ecclesia, aut Oratorium benedictum; Suar. Gob. & alii; putat tamen Laym. pollui illud,

quod per Episcopum est perpetuo deputatum ad Officia Divina.

Quæres tertio, Quot Missæ singulis diebus dici possunt in Oratoriis privatis?

Respondeo, Decr. Clem. XI. 15. Dec. 1703. ita statuere: *Non licere cuivis etiam Regulari, etiam Episcopo, in Oratorio privato per Sedem Apostolicam concesso, celebrare diebus Pasch., Pentecost., Nativitatis Domini, aliisque festis anni solemnioribus, ac diebus in indulto expressis; in reliquis vero diebus non licere Regularibus, & Sacerdotibus, etiam Episcopis, ibi celebrare, si celebrata sit unica Missa, quæ in indulto conceditur.* Itaque in Oratorio privato rigorose accepto illicite celebratur in festo Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Pentecost., Annunc., Assumpt., Apost. Petr. & Paul., & Omn. SS., & optant Ordinarii, ut neque in festo Patroni Princ.: idque verum est, etiamsi in privilegio expresse non excipiantur; nisi vero privilegium concessum sit ob infirmitatem: Croix num. 271. In reliquis vero diebus, Quarti ait, esse mortale, si plures eodem die Missæ celebrentur; &, quamvis March. dicat oppositum, si non adsit particula taxativa *tantum*, id tamen dici nequit post Decr. cit. Hæ autem prohibitiones non militant contra Oratoria Episcopi, Regularium, Carcerum, aut etiam privatorum cum ingressu ex publica via; ideoque in his, & dictis festis solemnibus potest celebrari, & possunt quotidie plures Missæ à pluribus successive dici: Croix n. 264.

Quæres quarto, An omnes audientes Missam in Oratoriis privatis satisfaciant præcepto Ecclesiastico diei festi?

Respondeo, ex *Decr. cit.* ita statuente: *Demandando ulterius, & declarando, in omnibus ejusmodi casibus, personas quascunque dictas missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere.* Itaque primo, Nemo, etiamsi sit ex privilegiatis, satisfacit audiens ibi Missam Festis solemnioribus exceptis, ut supra, imo nec ipse celebrans; nisi vero privilegium concessum sit titulo infirmitatis: Secundo, Nemo omnino satisfacit aliis festis audiens, aut celebrans ibi alteram eodem die Missam; nisi forte infirmus privilegiatus audiendo alteram ex tribus Missis dici solitis die Nativitatis Domini: Tertio, Nemo omnino satisfacit celebrans, aut audiens ibi Missam *Extra debitas horas, & post meridiem:* Quarto,

Nemo

Nemo etiam satisfacit audiens ibi illam unicam Missam privilegio concessam; exceptis Privilegiato cum ejus familia, ejusque hospitibus nobilibus, & ipso etiam Celebrante cum Ministro; imo etiam neque hi, si Missa dicatur notabiliter *Post meridiem*, ex *Decr. cit.* quidquid ante hoc Decr. dixerint Pasq. & alii apud Croix l. 3. p. 1. num. 628. Nota semper, hæc tantum procedere de Oratoriis privatis rigorose dictis, non vero de aliis. Nomine autem *Familiæ* veniunt omnes, qui habitant in domo Privilegiati cum quadam habitudine ad illum; ideoque Tambur. & alii extendunt hoc privilegium etiam ad ejus fratres inhabitantes, etsi redditibus, & mensa separatos, imo etiam ad famulos salariatos, etsi dormientes alibi, modo ex officio illi semper famulentur, contra Bonac.; nullatenus vero ad eos, qui per accidens ibi inhabitent, nisi vero sint ejus hospites nobiles cum eorum etiam famulatu, idque concessum sit in Privilegio: vid. Croix ibidem, & l. 6. p. 2. num. 272.

Quæres quinto, An ex vi hujusmodi privilegii liceat Missam celebrari in Oratorio privato, etiam sine præsentia illorum, puta alterius saltem ex conjugibus, ad quos privilegii, seu indulti concessio est directa?

Respondeo, Ex præcit. Decr. Clement. XI. Missam non posse celebrari, *Absque præsentia personarum, quarum contemplatione concessio emanavit*, adeo ut, quamvis concessio dicat *In tua, & tuæ familiæ præsentia*, tamen secundum Croix num. 272. Henr. Rodr. & alios non sufficit præsentia aliquorum ex familia, te principali absente; etsi probabile reputaverint oppositum Pelliz. Pal. & alii. * Quorum tamen sententia nunc videtur amittere omnem omnino probabilitatem ex eo, quod, cum ejusdem quæsiti resolutio delata fuerit die 3. Decembr. 1740. Benedict. XIV. feliciter regnanti, hic per Epistolam Encyclicam incip. *Cum duo Nobiles* sub data 7. Januarii 1741. declaravit vigore similis indulti, *Non licere celebrari Missam in Oratoriis privatis, quando eidem Missæ actu non interfit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est. Indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum Personis illis, quæ à tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur.* Hæc Pontifex ad uberrimam quæsiti resolutionem.

§. IV.

De Loco profano.

TRID. *sess.* 22. Decr. *de Celebr. Miss.* Ordinariis locorum Episcopis ita præcipit: *Non patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, S. hoc Sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibusounque peragi;* additque eis potestatem procedendi ut delegatis Sed. Apost. non obstantibus, &c. Ideoque communiter contra Sot. & Sa docent, esse mortale oppositum, præciso privilegio, dispensatione, aut gravi necessitate: Lug. *de Euch.* d. 20. n. 48.

Quæres primo, An possit Episcopus dispensare, ut celebretur in domibus privatis?

Respondeo negative, tum ex Trid. cit. tum præsertim ex decr. Clem. XI. etiam cit. Addit tamen Gallem. cum aliis apud Croix l. 6. p. 6. n. 263. id intelligi de Oratoriis, in quibus per modum habitus celebretur; ideoque etiam nunc posse Episcopos dispensare, ut pro gravi necessitate, puta persona graviter ægrotante, celebretur Missa in ejus domo aliquoties, vel pro dando Viatico, &c. quod tamen alii communiter negant, præsertim post decretum cit. ex quo illud est certum, *Non posse hodie Episcopum, aut Cardinalem, neque in sua, neque in aliena Diœcesi, extra domum suæ habitationis in privatis laicorum domibus erigere altare, ibique celebrare, aut celebrari facere.* In *Comp. autem Privil. Soc.* habetur, ut ex facultate P. Generalis possint nostri infirmi Missam in proprio cubiculo super altari portatili, in loco tamen decenti, celebrari facere, & communicari, sine licentia Ordinariorum, ex Pio IV.

Quæres secundo, An in casu aliquo necessitatis celebrari possit in loco profano?

Respondeo affirmative; Quia lex ecclesiastica prudenter præsumitur tunc non obligare; dummodo adsit Altare portatile: Doctores communiter. Casus autem sunt primo, Si nulla ibi sit Ecclesia, vel omnes dirutæ, & incolæ, vel aliqui peregrinantes diu (puta per mensem) Missa deberent carere; imo etiam ne in Festo solemniori ea carere cogantur; vel si magnus sit populi concursus ad imaginem miraculosam; vel si in Festo so-

lemni

lemni templum eos non capit; tunc enim de licentia Episcopi, vel si absit, etiam absque licentia potest celebrari in Altari portatili, sive juxta Ecclesiam, sive intra ipsam etiam dirutam, sive sub dio, &c. Tamb. & alii communiter: Secundo, Celebrari potest in Altari portatili in Castris pro militibus, sed festis tantum diebus, ut limitant Lug. & alii; quamvis Pasqual. apud Dian. censeat, etiam in non festis permitti posse Generalibus, & primariis Ducibus in suis tentoriis: Tertio, Celebrari similiter potest in portu pro appulsu navis; non tamen in navi, ob periculum effusionis sanguinis; ut communiter docent apud Bonac. Contrarium tamen habet praxis Lusitanorum euntium in Indiam ex permissione Clem. VIII & Paul. V., ex qua indefinite licere dicunt Fagun. & Gran., nec improbat Lug.; limitandum tamen cum Dian. & aliis, si magna sit tranquillitas, & adsit alter Sacerdos, qui post consecrationem firmiter teneat calicem: cum qua limitatione Gran. docet, etiam Episcopum posse id concedere in necessitate, ne scilicet magna multitudo navigantium privetur Missa, vel moribundus decedat sine Viatico; quamvis Con. & Turr. id Papæ reservatum velint, ex decl. Card. ap. Dian. vid. Croix Tamb. l. 1. *Miss.* c. 6. §. 1.

Quæres tertio, Quinam usus Altaris portatilis sit hodie prohibitus?

Respondeo ex Decr. Clem. XI. cit. *Episcopis, & his majoribus Prælatis, etiamsi Card.... Nullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis, etiam in Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique celebrare, sive celebrari facere;* Hujusmodi prohibitio intelligenda non est de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur: ita ex nuperrima moderatione Concil. Rom. sub Bened. VIII. ann. 1725. An autem possint dispensare, ut aliquando celebretur in domo infirmi, dictum est supra: v. Croix n. 263. *Licentias etiam, seu Privilegia concessa nonnullis Regularibus* in cap. *In his, de Priv. & per aliquot S. Pont. aliis Regularibus communicata utendi Altari portatili, in eoque celebrandi sine Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse; &c.* quod certe intelligitur in privatis domibus, &c.; non vero intra domum ipsam Religiosorum. Quid autem possunt Missionarii

sionarii apud infideles, videant in suis privilegiis. Nota interim, per hoc decretum sublata esse privilegia etiam in corpore Jur. &c. Ex hactenus dictis infers, absque gravi necessitate, aut privilegio, aut dispensatione peccatum esse (& quidem mortale ex communi sententia contra Sot. & Sa) celebrare extra Ecclesiam, quæ etiam debet esse consecrata, vel saltem benedicta; adeoque divino cultui perpetuo dicata: Lug. *de Euch.* d. 20. num. 48.

§. V.

De Loco Obligationis.

Locus obligationis est talis Ecclesia, vel talis Capella, vel tale Altare, vel Altare privilegiatum, in quo ratione Capellaniæ, Legati, aut Stipendii manualis, tenetur Sacerdos quotidie, vel statis diebus, vel aliquando celebrare.

Dico: Peccatum est ex genere suo mortale alibi, quam in loco obligationis celebrare: Bon. Fagn. Barb. Ricc. & alii apud Tamb. l. 3. *Miss.* c. 2. Ratio est, quia fit contra mentem obligantis in re ex genere suo gravi: Dian. p. 4. t. 4. r. 40. Sacerdos institutus, & obligatus ad celebrandum in certo Altari Privilegiato pro anima, &c. satisfacit obligationi, si alibi celebret secum habens calculum, seu numisma Benedictum, cum quo æqualis indulgentia plenaria acquiritur; quia satisfacit per æquipollens; nisi vero Fundator voluit, tale Altare honorari, & coli, quia suum: Meg. March. Frax. aliique: negat tamen absolutè cum Lug. & aliis probabilius Tamb. l. supra cit. §. 1., quia regulariter indulgentia applicata Altari esse solet magis authentica, & secura: quam quæ applicatur calculo: quod & Fidelium persuasione liquet. Dixi, *ex genere suo*, quia dari potest in hoc parvitas materiæ, ob quam aliquando venialiter tantum peccatur; ut, si Capellanus obligatus toto anno ad Missam quotidianam in tali Altari privilegiato, bis, aut ter in anno alibi celebret: Doctores communiter apud Dian. p. 2. t. 14. r. 29. Si vero in tali Altari, sed non privilegiato, Tamb. excuset etiam à mortali, si uno, vel altero die singulis mensibus alibi celebret, & facilius, si celebret in alio intra eandem Ecclesiam; & Lug. apud eundem excusat etiam à veniali

Capel-

Capellanum Missæ quotidianæ raro alibi ex aliqua rationabili causa celebrantem, quia non censetur obligans cum tanto rigore eum velle onerare; imo, si principalis finis ejus sit velle applicationem Missæ, ne veniale quidem est, alibi sæpe celebrare, quando constet, eum parum curare de præsentia, seu officiatura in tali loco: at, si sit obligatio unius, vel alterius Missæ manualis in tali loco, celebrantem alibi non excusarem à mortali, si locus erat altare privilegiatum, vel peteretur in eo principaliter officiatura, nimirum ob commoditatem audientium Missam, vel honorem alicujus Sancti, &c.; quamvis Tamb. c. 2. hunc non obliget ad restitutionem, quia Missam danti eleemosynam jam applicavit, ut supponitur; & commoditas officiaturæ jam præteriit, & damnum Altaris privilegiati omissi non potest obligare ad alterum ibi Sacrificium; cum nemo ex justitia teneatur reddere plus, quam debet.

Quæres primo, An possit Episcopus dispensare, ut celebres alibi à loco, in quo es obligatus?

Respondeo affirmative, Dummodo adsit causa dispensandi proportionata; quia habet legitimam facultatem dispensandi in iis, quæ passim occurrere possunt: Doctores communiter apud Tambur. cap. 2. §. 2. Causa autem esse potest, utilitas propriæ Ecclesiæ, applicatio studendi, negotii necessitas, & similia, &c. Noto hic, præter licentiam Episcopi non requiri, nisi ex consilio ad vitanda scandala, consensum hæredis alterius obligantis, nec illius consensum sufficere sine licentia Episcopi; quia hic, non autem ille, habet clavem dispensandi. Neque obstat Trident. *sess.* 25. *c.* 5. *de Reform.* prohibens, mutari qualitates Fundationum; quia loquitur de earum substantia: eas ergo quoad substantiam relictas reducere potest Episcopus ad æquitatem, concedendo scilicet, ut alio loco Missa dicatur, si impossibile, vel nimis molestum foret in loco designato celebrare; nisi vero celebrandum ibi esset ob commoditatem populi audituri Missam, ut addit Pasq. apud Croix n. 120.

Quæres secundo, Quid agendum sit Capellano obligato celebrare in tali Ecclesia, si ea sit polluta, execrata, vel interdicta?

Respondeo, Capellanum, seu quemcumque obligatum ad Missam hodie in tali Ecclesia celebrandam, si con-

tingat, eam polluí, & ea erat tantum benedicta, obligari ad reconciliandam juxta dicta S. 2. qnia tenetur tollere impedimentum, si potest. Si autem non potest, vel ea sit execrata, vel interdicta, cui ipse causam non dedit (si enim dedit, tenetur curare tolli interdictum) tunc attendenda est mens obligantis: si enim is solum intendit officiaturam in tali loco, ad nihil tenetur Sacerdos; si intendit applicationem, vel cultum specialem Sancti currentis, tenetur Sacerdos alibi celebrare, vel alio die supplere, quia ita præsumitur ex voluntate obligantis: Tamb. l. 3. c. 5. §. 2. Nota hic, si Ecclesia, in qua est Altare privilegiatum, destruatur, manente integro Altari, perire privilegiatum, uti decisum esse testantur Dian. & Gob. ap. Croix n. 523.

CAPUT IV.

De Tempore Sacrificii.

Ad Sacrificii tempus pertinent ista: I. Quo die? II. Qua hora? III. Quo die, sive designetur, sive non designetur, sive designetur quotidie? Verum de hoc ultimo pauca quædam hic addentur; cum reliqua huc spectantia dicta abunde sint de Missæ stipendio tr. 4. d. 2. q. 1. c. 2. §. 3.

§. I.

Quo Die?

Videndum, Primo, An Sacerdos teneatur aliquando celebrare? Secundo, Quo die possit? Tertio, Quoties eodem die? Itaque

Quæres primo, An Sacerdos teneatur aliquando celebrare?

Respondeo, Simplicem Sacerdotem (qui scilicet aliunde non sit obligatus beneficio, legato, stipendio manuali, promissione, voto, & similibus) si non sit legitime impeditus, teneri ex mandato Episcopi sub gravi culpa celebrare saltem Dominicis, & Festis, ubi Tridentinum est quoad hoc receptum: si vero nullum sit Episcopi mandatum, teneri etiam sub gravi aliquando intra annum celebrare;

celebrare; & quidem ter in anno, & præcipue Natali Domini, Paſch. & Pentecoſt. docent nonnulli apud Dian. p. 2. t. 14. r. 19. ſatis tamen eſſe, ſi, præciſo ſcandalo, ſemel, hoc eſt in Paſch. quando ſcilicet eſt obligatio communicandi, docent alii cum D. Bonav. in 4. d. 12. a. 2. q. 21.; additque Tamb. l. 1. *Miſſ.* c. 6. §. 2. cum aliis, nec peccaturum graviter, ſi tunc tantum communicet, quia nec apparet præceptum cum tanto rigore obligans. Obligatio autem dicendi tres Miſſas (Spiritus Sancti, B. V. & Defunctorum) poſt primam Miſſam, quæ imponitur Sacerdoti, dum ordinatur, etſi Suarez, & alii dicant eſſe ſub mortali, at ſub veniali ob decentiam, dicunt alii apud Croix num. 2319. In Cathedrali vero, Collegiata, & Conventuali (ubi eſt competens Sacerdotum numerus) debet quotidie una ſaltem Miſſa privata celebrari, & altera cantari; peccantque graviter earum Rectores, ſi in hoc deficiant: Doctores communiter ex c. *Cum creatura, de Cel. Miſſ.* Eos tamen à mortali excuſant Tambur. num. 4. & alii, ſi (præciſa alia obligatione) ſemel, vel bis in hebdomada alterutram omittant; quia nec conſtat de conſuetudine accepta ſub mortali, nec ex *cit. cap.* eruitur, ut quotidie, &c. idemque putat, ſi in Collegiata, cadente die Feſto in Feriam privilegiatam (ſcilicet Vigiliæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Quadrageſimæ) ſemel omittatur Miſſa ſolemnis de feria canenda poſt nonam; quia non conſtat declaratio oppoſita S. Congr. quam refert Aſc. Tamb.; & Rubrica Miſſalis ſolum dicit, *Cantentur duæ Miſſæ currentis Feſti, & Feriæ privilegiatæ*, ideoque non præcipit. Majus eſt dubium de Eccleſia Regularium canentium in Choro, quam Portell. cenſet eſſe vere Collegiatam; negat tamen Rodr. cum Peyr. apud eundem Tamb.

Denique Parochus, etſi ſub gravi teneatur celebrare vel per ſe, vel per alium, quando ejus Parochiani tenentur audire Miſſam, cum teneatur ratione officii; tamen extra id tempus non tenetur, præciſa conſuetudine, lege ſpeciali, vel pacto, &c. cum nihil in jure ſit circa id ſtatutum: ideoque in Natali Domini nec tenetur, niſi unam Miſſam curare, cum ad unam tantum audiendam teneantur ejus Parochiani: Tamb. §. 2. n. 2.

* Addenda hic, quæ circa Miſſam Parochialem, & Conventualem per Epiſtolam Encyclicam incip. *Cum ſemper* declaravit, ac ſancivit Bened. XIV. die 19. Auguſti

gusti 1744. nimirum, Primo, quod Sacrificium Missæ à Pastoribus Animarum applicari debet pro populo ipsorum curæ commisso, idque veluti ex divino præcepto descendens, uti diserte exprimitur à Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de Reform.* Secundo, Quod iidem Pastores non tenentur ad dictam applicationem pro populo, quotiescunque celebraverint, sed in Dominicis, aliisque per annum Festis de præcepto, in quibus etiam ex Tridentin. debent populum salutaribus verbis pascere: Tertio, Nomine dierum Festorum veniunt etiam ii, in quibus populus Missæ interesse debet, licet possit alicubi operibus servilibus vacare: Quarto, Parochi vere egentes possunt ex Episcopi facultate, aut dispensatione eleemosynam dictis diebus festis pro Missa accipere ab aliquo pio offerente, & pro ipso Sacrificium applicare; dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus Festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint: Quinto, Ubi Vicariis, sive perpetuis, sive ad tempus Animarum curam administrantibus, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut locis piis olim unitæ, ubi, inquit, præscripta juxta Pii V. sanctionem fructuum portio reputetur ab Episcopis minime sufficiens propter temporum circumstantias, & signanter pro onere applicandi, ut supra, Missam pro populo; utantur Episcopi potestate per Tridentinum accepta, & congruam dictis Vicariis fructuum portionem assignent.

Circa Missam Conventualem approbat & confirmat vetera Decreta, tum primo inculcat, ut talis Missa, quæ singulis diebus canitur à Clero Ecclesiæ Cathedralis, Collegiatæ, &c. pro Benefactoribus in genere quotidie applicetur; nam debitum celebrandi Missas Conventuales, non singulares Benefactores, sed Benefactores in genere respicit: Secundo, Huic debito non satisfit per alias preces, quæ interdum fiunt, vel per anniversaria statis diebus sacrificia pro Benefactoribus in genere peracta: Tertio, Excusationes afferri solitas ad declinandam obligationem sic applicandi Missam Conventualem sublatas dicit per opportunas resolutiones Congregationis Concilii Tridentini, quas ipse approbat, & confirmat;

unde

unde statuit, nemini suffragari consuetudinem contrariam, etiam immemorabilem, cum hæc potius abusus dici debeat, & corruptela. Neque suffragatur excusatio ex eo, quod aliqui inveniantur obstricti alio onere Canonicatus, Beneficii, &c. ad quod implendum debeant applicare Missam Conventualem, quam celebrant; nam in tali casu debent Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere applicare, & alium substituere, qui ipsorum loco celebret, applicetque pro aliis, pro quibus ipsi deberent, ad alia onera implenda. Si contingat Missam Conventualem non celebrari à Canonicis, aut Dignitatibus, sed à Beneficiatis, aut Mansionariis; istis, ne omni eleemosyna careant, desumatur, ac detur ex Massa distributionum. Si enim exiguæ fiunt distributiones ob detractam eleemosynam pro Missa Conventuali, providendum ex Trident. sanctionibus *sess.* 24. *c.* 15. Si neque provideri hac via possit, recurrendum ad Congregationem Concilii, cujus erit, re mature perpensa, applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere ad Festos tantum dies reducere: Quarto, Ubi plures dicuntur Missæ Conventuales quotidie: Prima sit pro Benefactoribus in genere. Secunda etiam, & tertia, si sponte pro iisdem applicetur, laudabile est; si ex vi consuetudinis in tali Ecclesia vigentis, imperandum, ut in ea consuetudine perseveretur: ubi vero id usu receptum non invenitur, libera sit celebrantibus applicatio secundæ, ac tertiæ Missæ Conventualis, dummodo in Commemoratione pro defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur. Demum simplicem Assistentiam in Choro sine divinæ psalmodiæ cantu reprobat: sic enim Assistentes, inquit, nisi Apostolicum privilegium legitimum, ac vigens præsto sit, verendum, ne Præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, dum ita se gerunt.

Quæres secundo, Quo die celebrari possit?

Respondeo, per se loquendo, Posse licite celebrari quotidie, *Salva tamen honestate sua, & debita devotione*, ut dicitur cap. *Significatum*, *de Præb.* Dixi, *per se loquendo*, quia sub gravi prohibetur die Veneris Sancti; in quo ex declar. Cardin. apud Dian. contra Hurt. nec licet communicare, nisi pro Viatico; quod nec tunc potest confici, nisi forte secus infirmus moriturus esset in peccato; quinimo, si nulla relicta sit hostia pro eo die, debet;

bet Parochus potius omittere omnia; nisi forte habeat particulam consecratam; quam si nec habeat, Gob. putat, ad vitandum populi scandalum, posse mane celebrare privatim Missam de Passione, & consecrare duas hostias absque ablutione; vel curare, id & fieri per alium Sacerdotem, si adsit: v. Croix num. 233. At die Jovis Sancti, & Sabbato Sancto, quamvis consueta sit praxis abstinere à Missa privata in signum mœroris, &c. tamen licite posse à quovis id fieri; etiam in publico templo, saltem ante inceptam Missam solemnem die Jovis, & saltem incepta Missa solemni Sabbato Sancto, communiter docent Doctores ibidem, quia de primo nulla adest prohibitio, & quæ affertur à Persic. apud Tambur. nondum constat authentice: de secundo autem, si qua fuit, est abrogata usu etiam Timoratorum; tamen Avers. apud Croix recte dicit, consultum non esse, & apud eundem num. 2055. & 295. est hodie prohibitum, ex decr. S. C. 1690. ideoque, si his diebus incidat Festum, possunt plures Missæ celebrari ad commoditatem audientium, &c. Cæterum qui tenetur quotidie celebrare, potest dictis diebus abstinere, conformando se praxi, & aliorum opinioni.

Nota hic ex March. apud Tambur, n. 3. prohibitam esse à S. Congr. Missam solemnem in Oratoriis Confraternitatum his diebus, ut & Sacramentum in sepulcro, &c. absque licentia Episcopi. Item nota ex Senny, apud Croix n. 507. non prohiberi his diebus Missam solemnem de *Requiem* præsente cadavere; non tamen Missas privatas ejusmodi, ex S. Congr. apud eundem.

Quæres tertio, Quoties quis eodem die celebrare possit?

Respondeo, Olim toties, quoties voluisset, & quidem novies in die aliquando id feciisse S. Leon. III. refert Gob. apud Croix n. 235. Nunc vero ex universali consuetudine semel tantum est licitum, excepto privilegio, vel causa necessitatis, ex cap. *Consuluisti de Celebr. Miss.*

I. Itaque unum privilegium est in Natali Domini, in quo potest Sacerdos (non tamen tenetur) ter celebrare, modo sit usque ad tertiam jejunus. At non potest bis celebrare, & semel communicare more laico; ideoque nec potest Cardinalis Diaconus Sacerdos, quia ea nocte communicat in Missa Papæ, dein celebrare; quia privile-

gium

gium est solum de ter celebrando: Lug. apud Tambur. Potest tamen Episcopus ea die ordinatus communicare in Missa, in qua ordinatur, & postea bis celebrare; quia in prima fuit etiam Sacrificans: Gob. apud Croix n. 242. qui etiam n. 240. ait, Sacerdotem, qui præest duabus Parochiis (ideoque potest eodem die binare juxta dicenda num. seq.) posse in Natali Domini dicere sex Missas, dummodo sit jejunus usque ad ultimam, quia fruitur privilegio duorum Parochorum: & n. 241. ait, qui in uno loco, ubi est novum Calendarium ter dicto die celebravit, si eodem anno veniat ad locum, ubi est Calendarium vetus, posse iterum ter celebrare, applicando sibi præsens privilegium loci. Alterum privilegium est in Regno Valentiæ, ubi die omnium defunctorum potest Sacerdos Secularis bis celebrare; & Religiosus ter ibidem, & in pluribus aliis Regnis Hispaniæ: idemque possunt Dominicani Conventus Pampilonensis, S. Jacobi, & Trinitarii, ex Leandr. apud Croix n. 235.

II. Causa necessitatis est communiter, Primo, Si quis præest duabus Parochiis, & nisi bis eodem die ibi celebret, alteruter populus careret Missa; quod fieri posse non solum die festo, sed etiam feriali, docent, Suarez, Lugo, & alii, ne scilicet alteruter populus privetur potestate offerendi Sacrificium; additque Suarez, Parochum tunc impeditum posse rogare alium Sacerdotem ad similiter binandum, & Tambur. ex Fagun. ait, quemlibet Sacerdotem, ubi est horum raritas, posse in dicta necessitate pluries in die celebrare, etiam nulla petita licentia ab Episcopo forte vicino, quia *Jus commune c. cit.* absolute facultatem concedit; debet tamen usque ad ultimam Missam esse jejunus: Doctores communiter. Secundo, Necessitas binandi esse potest, si aliter quis decederet sine Viatico, modo etiam binans sit jejunus, ut concedunt Doctores communiter, qui tamen casus, ut notat Tamb. solum haberet locum, si Sacerdos accepto calice ante ablutionem sciret, aliquem esse moribundum; si enim antea sciat, debet servare de sua hostia: aliqui tamen cum Zanard. Zamb. Philiar. putant, in tali casu Sacerdotem etiam non jejunum posse binare: quorum sententiam Suarez, Fill. Lugo, Dicast. vocant probabilem, & Layman. concedit, si aliud Sacramentum non possit sumere infirmus: v. Croix n. 611. Illud certum, si post consecrationem etiam unius speciei deficiat celebrans, posse alium, etsi celebraverit, non jejunum suppl-

plere

plere reliquum Missæ; sed id non est binare, sed alterius sacrificium complere.

Præter dictas duas necessitates, alii apud Croix n. 236. admittunt, posse etiam binari, si superveniat Princeps, vel Episcopus volens audire Missam, nec sit alius Sacerdos: item, si superveniat multitudo peregrinorum: item, si superveniat defunctus, ubi sine Missa sepeliri non solet: item, si benedicendæ sint nuptiæ: item quacunque alia simili necessitate arbitrio prudentis, &c. Verum oppositum communius dicendum, tum ex cap. *Te referente, de Celebr. Miss.* ubi Episcopo Sipontino mandatur, ut in die Cœnæ Domini in Ecclesia Sipontina tantum celebret ad conficiendum Chrisma, & non binet etiam in Garganica ob peregrinos, &c.; tum etiam ex S. Congr. 1. Sept. 1657. prohibente, Episcopo Paraquarienfi celebrare diluculo pro nobilibus impotentibus deinde decenter adesse, & deinde pro populo: v. Croix ibid.

§. II.

Qua Hora?

Hora celebrandi est ab aurora ad meridiem, ex Pio V. in *Rubr. Miss.* Videndum nunc Primo, An liceat ante auroram. Secundo, An liceat post meridiem? Tertio, An liceat ante recitatas Horas Canonicas? Quarto, An liceat Missam abrumpere? Quinto, An liceat interrumpere? Itaque

Quæres primo, An liceat celebrare ante auroram?

Respondeo negative, Excepto die Nativitatis Domini, privilegio, ac necessitate: Doctores communiter ex Trid. præcipiente, ne aliis, quam debitis horis celebretur, & ex consuetudine approbata à Pio V. & censura Prælatorum punientium delinquentes. Nota hic, ex S. Congr. apud Gav. auroræ tempus sumendum, non mathematice, sed moraliter; ideoque nihil peccare, qui Missam finit tum, cum incipit aurora, quæ quidem incipit apud nos hora cum dimidio, antequam videatur oculis ipsum corpus solare: Suarez, Tambur. & alii apud Croix n. 226. ideoque potes licite incipere duabus plus minus horis ante, quia sic finis Missæ coincidet cum initio auroræ; si amplius anticipes, ita ut finias duabus circiter horis ante solem, peccas venialiter, & cum causa nihil peccas;

cas; ita colligo ex Tamb. l. 1. *Miss.* c. 6. §. 4. n. 19. & aliis: si plus anticipes, peccas mortaliter: Doctores communiter.

Excipe primo Natalem Domini; tunc enim immediate post mediam noctem possunt, non solum una, sed ex probabilissima opinione omnes tres solitæ Missæ à quovis Sacerdote celebrari: Suarez, Vasquez, Lug. & alii contra Fagun. & Nug. ap. Tambur. n. 5. quibus favet S. Congr.

Excipe secundo, Religiosos communicantes in privilegio Societatis Jesu, quo à Gregor. XIII. conceditur, ut possint causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti celebrare per horam ante auroram; adeoque incipere tribus horis ante ortum solis, ut infert Tambur. ex dictis, quod communicatum est omnibus Superioribus, & quibus ipsi commiserint; ut in *Comp. Priv. Soc. J.* Extant apud eundem tria alia Privilegia: Primum Alex. VI. Bullatum Benedictinis, ut possint ob multitudinem confluentium celebrare duabus horis immediate post mediam noctem in propriis Ecclesiis; adeoque etiam claustris, ut probabiliter addit Rodr. contra Lug. Secundum, Leon. X. *viv. voc. orac.* concessum Minoribus, celebrandi de licentia Superiorum illico post Matutinum; & Tertium Greg. XIII. concessum Monachis S. Justinæ, etiam *viv. voc. orac.* ut, dum sunt in itinere, celebrare possint inter mediam noctem, & auroram; quæ tria, etsi revocata non esse dicant Pellizar. Tambur. & alii, tamen nondum esse nobis communicata à Generali asserunt.

Excipe tertio, Casum necessitatis, ut scilicet morituro detur Viaticum; potes enim tunc à media nocte celebrare absque licentia: Doctores communiter. Item anticipari potest horam integram, occasione itineris, secundum Henr. sed communitatis, vel tui, si aliqui deberes solus ire, ut limitat Layman. Similiter, si alicubi sit consuetudo anticipandi, ut scilicet opifices, & famuli possint summo mane audire Sacrum, antequam eant ad opera, &c. Layman. & alii. Item, si ex rationabili causa dispenset per horam Episcopus sive secum, sive cum aliis; quia, etsi nequeant Episcopi concedere privilegium generale, possunt tamen in particulari casu ex causa: idemque est de Superioribus Regularium: Suar. Rodr. Tamb. & alii: justa autem causa est quodlibet impedimentum alicujus momenti prudenter superfuturum.

Quæres secundo, An liceat celebrare post meridiem?

Respondeo negative, Excepto pariter privilegio, aut necessitate, atque hic etiam meridies accipitur moraliter, & satis est incipere in ipso meridie, etsi finias postea. Si autem absque causa incipias tertia parte horæ pomeridianæ secundum Azor. media hora secundum Layman. tribus quadrantibus secundum Bonac. una hora secundum Sylv. peccas venialiter propter parvitatem materiæ; & cum causa nihil peccas: Tambur. ex Lugo. Ulterius autem differre est mortale: Doctores communiter contra Nav. putantem, licite differri posse usque ad horam tertiam pomeridianam, cui certe repugnat universalis consuetudo.

Excipe primo, Privilegium Greg. XIII. datum Religiosis Soc. Jesu celebrandi intra horam post meridiem ex rationabili causa, & licentia Superioris, qui proinde ex dictis etiam incipere possunt immediate post horam. Extat etiam privilegium Bull. Eugen. IV. concessum Monach. S. Justinæ celebrandi ex justa causa usque ad nonam *inclusive*, hoc est tribus circiter horis post meridiem, quod, etsi non revocatum dicat Tambur. non tamen nobis à Generali communicatum asserit.

Excipe secundo Casum necessitatis, ad dandum scilicet Viaticum, pro quo celebrare poterit quivis etiam hora post meridiem, imo etiam tertia hora, sequendo opinionem Navarr. non autem postea. Item inter causas postponendi est secundum Suarez, & alios etiam solemnitas; si scilicet Missa solemnis, & concio diu durant, post quam dici potest alia Missa privata ob commoditatem populi etiam post horam; imo ex Quarti etiam post tertiam, sed quoad hoc attendenda est consuetudo locorum; ideoque, etsi Nav. Gob. & alii putent, Sacerdotem posse incipere hora tertia, ut sic Festo die ipsemet præcepto satisfaciat, tamen Suarez, & alii melius negant, quia negant, quia non videtur esse tanti, ut unus privatus Missæ præcepto satisfaciat: Croix n. 228. solum ergo id concedi potest intra horam pomeridianam, sive fuerint itinere, sive alio notabili impedimento antea occupatus. Dico *Notabili*; non enim sat est, ut commodius celebres, ut tardius è lecto per segnitiem exsurrexeris, ut stipem sine indigentia lucreris, &c. bene tamen infirma valetudo, studium necessa-

rium,

rium, negotium alicujus momenti, multitudo Confessionum, vel confessio longa, vel indigentia stipis ad victum, &c. Denique dispensare tum secum, tum cum aliis potest in hoc Episcopus una hora, &c. ut eruitur ex dictis.

Quæres tertio, An liceat celebrare ante recitatas Horas Canonicas?

Respondeo, Inter Missæ defectus numerari in Rubr. Miss. §. 10. si celebrans Matutinum saltem cum Laudibus non dixerit. Hinc antiquiores communiter, quibus accedunt Azor. Bellarm. Regin. aliique dicunt, esse mortale antea celebrare, tum quia est vetus consuetudo, tum quia Pius V. *Bull. in Princip. Missal.* districte id præcipit. Negant alii communius cum Sylv. Suar. &c. quia nec apparet, consuetudinem esse sub mortali acceptam, nec Pius V. tulit præceptum, nisi observandi ritum Missæ, & recitatio Matutini non est ejus ritus, sed quid præsuppositum, ut not. Pal. ideo Tambur. & alii dicunt, nullum per se loquendo esse peccatum, sed tantum consilium, seu congruum; sed communiter est veniale, utpote contra Rubr. cit. si fiat sine causa, à quo liberaris per causam quamcunque rationabilem: Croix n. 230. Cæterum ex concessione Jul. III. possunt PP. Societatis Jesu cum facultate Generalis jam data sine scrupulo postponere *justis de causis;* & sufficit quævis causa, etiam dubie sufficiens; aliter non esset speciale privilegium. Missa autem Conventualis dicenda est ex universali consuetudine post matutinum in Cathedr. Collegiat., &c.

Quæres quarto, An liceat Missam abrumpere, seu relinquere imperfectam?

Respondeo negative, ex cap. *Nihil.* 7. *q.* 1. ubi, *Si quis hæc temere præsumpserit, Excommunicationis sententiam sustinebit:* si quis autem in fine parvam partem omittat, est veniale tantum ob parvitatem materiæ: at si missam parva etiam parte inceptam deserat, secundum Pasqual. apud Croix n. 244. peccat mortaliter, incurritque suspensionem; quamvis hoc aliis videatur durum. Cum causa vero distinguendum est. Si nondum cœperis Canonem, debes interrumpere, si assistat excommunicatus vitandus, qui expelli nequeat, vel publice polluatur Ecclesia, aut execretur Altare: idemque est, si recorderis, te esse excommunicatum, vel suspensum, vel non

jejunum, vel in peccato, vel cœpisse Missam multo ante auroram, aut multo post meridiem, &c. modo tamen id fieri possit absque scandalo, & infamia; etsi Sotus putet, posse pergere, si recorderis peccati, modo sis jejunus, nec censuratus: si autem cœptus sit canon, pergendum est, nisi urgeat gravis necessitas, sive corporalis, sive spiritualis, tua, vel proximi, sed inde redeundum juxta dicenda quæsit. sequ. Dubium nunc est, an aliquando possis consecrata una tantum specie abrumpere, seu relinquere omnino Missam imperfectam. Negat Pal. etsi intentetur mors, quia esset positiva irreverentia vitam tuam præferre essentiæ Sacrificii: sed distinguendum cum Tambur. & negandum quidem, si ante inceptionem Missæ intentetur mors, nisi consecres solum panem; sic enim directe intenditur sacrificium imperfectum, quod in nullo casu licet, etiamsi ad conficiendum Viaticum; at, si consecrato pane ingruunt hostes, incendium, terræmotus, &c. potes eo statim absumpto, vel tecum ablato abrumpere, si ad consecrandum calicem sine evidenti mortis periculo progredi non possis: Layman. & alii; idque à fortiori, si ingruant hæretici ad inferendam injuriam Sacramento. Contra vero potes, si quis intentet tibi mortem, nisi abrumpas, quia talis metus intentatur in contemptum, & ita intelligo Pal. Eadem dic de abrumpenda Missa inter consecrationem, & sumptionem, quia hæc saltem est perfectio integralis Sacrificii.

Quæres quinto, An liceat aliquando interrumpere Missam?

Respondeo, Absque gravi causa esse mortalem quamcunque interruptionem notabilem, hoc est ultra mediam horam: Croix n. 246. & noto, ad interrumpendum immediate post Evangelium sufficere concionem, processionem expediendam, &c. graviorem vero requiri causam post oblationem, graviorem post inceptum Canonem, & à fortiori à consecratione usque ad consumptionem. Hinc, si ante oblationem danda est Extrema Unctio moribundo jam confesso, & communicato per Viaticum, probabilius non est interrumpenda, quia non videtur tanta necessitas, qua vincatur irreverentia debita Missæ: Tambur. contra Layman. Si autem sit dandum Viaticum moribundo jam confesso, potes interrumpere etiam post consecrationem, si sit intra eandem Ecclesiam; secus vero, si eundum sit foras sine vestibus sacris; tunc

tunc enim non potes, si facta sit oblatio (ea enim nondum facta probabiliter potes) ob eandem rationem: si demum sit danda absolutio moribundo, vel aliud Sacramentum, quo credatur ponendus in gratia, debes interrumpere etiam inter consecrationem utriusque speciei, quia est necessitas extrema vincens irreverentiam: Tambur. l. 2, *Miss.* c. 8. §. 7.

Dum autem reverteris post interruptionem ad Missam finiendam; tunc, si consecraveras vel tantum speciem, pergendum, ubi desieras; si nihil dum consecraveras, tunc, si mora fuit intra horam, poteris pariter pergere, ubi desieras; si plus, quam una hora, poteris à principio Missam inchoare, vel etiam omittere, si non sis aliunde obligatus: Suarez apud Tambur. c. 8. Denique, si superveniat Princeps, vel Prælatus, vel Processio, vel similes, audituri die Festo tuam Missam, quæ sit ibi unica, & tu nondum perveneris ad oblationem, Laym. & alii putant, posse interrumpere, & iterum inchoare; sed negat Tambur. quia non est tanta hæc necessitas, cum nec illi tunc teneantur ad audiendam integram Missam.

§. III.

Quo die, sive designetur, sive non designetur, sive designetur quotidie?

Obligatur quandoque Sacerdos, legato, stipendio, voto, &c. ad unam, vel plures Missas; sed aliquando die, vel tempore designato, aliquando non, aliquando quotidie. Qua in re

Quæres primo, An possit Sacerdos anticipate sacrificare pro obligatione jam contracta celebrandi v. g. 15. Missas singulis mensibus?

Respondeo cum Lugo, Pelliz. n. 129. Bonac. & aliis affirmative, regulariter loquendo; quia anticipata solutio non præjudicat, sed prodest creditori: si ergo hoc mense celebret 30. Missas, potest toto sequenti vacare, aut celebrare pro alio, inquit Lugo. Dixi *Regulariter loquendo;* nam non potest, si mens obligantis intenderit illam distributionem menstruam ob aliquam specialem causam, v. g. ad honorem, ad decorem suæ Capellæ, ob memoriam menstruam Fundatoris, &c. Similiter, in-

quit Pelliz. ex Joan. Lugo, si pro defunctis hujus populi, vel communitatis; siquidem ex ea anticipatione fit, ut, qui moritur altero mense, fraudetur subsidio, cum Fundator intenderit subvenire omnibus successive. Porro, an poterit Sacerdos anticipato stipendio sacrificare pro illo, qui primus offerret stipendium? v. de Missæ stipend. l. supra cit.

Quæres secundo, An tenearis statim ab initio cujusque anni, & sine interpellatione celebrare numerum Missarum, ad quem de licentia Sedis Apostolicæ redactum est onus Missæ quotidianæ, v. g. ad 200. quotannis?

Respondeo, quod, quamvis probabilius ita dicendum, cum legata pia debeantur initio anni ex Tiraquel. Ricc. & aliis; probabile tamen etiam videtur, posse absolvi numerum illum in fine cujuslibet anni; quia talis est usus, & ad suffragia plures, & plures anni solent assignari, ideoque similes moræ tacite concedi solent: Pelliz. num. 74.

Quæres tertio, An, & quando teneatur celebrare Sacerdos tres illas Missas, quæ ei injunguntur ab Episcopo ordinante?

Respondeo, Ex Rit. Rom. Episcopum ita loqui Sacerdotibus, dum ordinantur: *Post primam vestram Missam tres alias Missas, scilicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de B. M. tertiam de fidelibus defunctis dicite, & etiam pro me orate.* Hinc peccant omittendo; venialiter tamen secundum Sotum, Val. & alios contra Suarez, Azor. Lessius, & alios, quia imperative injunguntur ab Episcopo, qui sub veniali obligare potest ad materiam gravem; & quamvis posset sub mortali, tamen, cum hactenus Episcopi non declaraverint, benignius interpretandi sunt. Cæterum, cum de Jure communi non sit determinatum tempus, quo debeant celebrari, diu differri possunt; nec dicendæ sunt diebus impeditis: denique nec præscribitur, ut applicent pro intentione Episcopi, sed tantum, ut pro eo orent; ideoque applicari possunt aliis, etiam cum stipendio: v. Croix de Ordin. n. 2318.

Quæres quarto, An celebrans aliis, quam designatis diebus, satisfaciat?

Respon-

Respondeo cum distinctione: si designati sint dies propter specialem cultum, seu devotionem, puta Feria sexta ob Domini Passionem, Sabbatum ob B. V. non satisfacit, si celebret Feria 5. aut Dominica sequenti; satisfacit vero, si designati sint propter fructum missæ, quia tunc servatur saltem quoad substantiam mens designantis; & parva illa variatio temporis, cum non sit in præjudicium, ad summum erit veniale, & ex rationabili causa nullum Tambur. l. 3. *Miss.* c. 3. §. 3. addens n. 2. etiam in priori casu vix illa modicam varietatem posse accedere ad mortale, nisi designatio diei esset in commoditatem audientium, qui proinde die Festo Missam non possent audire.

CAPUT V.

De cæteris Requisitis ad Sacrificium, & de Ritu in eo servando.

§. I.

De cæteris Requisitis ad Sacrificium.

Præter dicta Superioribus capitibus requiritur juxta communem, & probabiliorem sententiam, teste Croix n. 318. tantum sub veniali Crux cum Crucifixo, & probabiliter in necessitate sufficit sola Crux: Croix cit. Unde inferunt Vasq. Gob. Pasp. Spor. melius esse etiam ex sola devotione celebrare sine omni Cruce, quam Missam ex Crucis defectu omittere. Sufficit autem Crucifixus etiam depictus vel pro Icone Altaris, vel in Tabernaculo. Si Venerabile sit expositum, non opus esse Cruce, docent multi apud Croix n. 321. sed aliqui referunt hanc declarationem S. Congr. 14. Maji 1707. *Quando super Altare expositum est Venerabile debet etiam in eo collocari crux cum imagine Crucifixi.*

Secundo Mappa ex lino, vel cannabe, vel gossipio, & quidem triplex, ex Missali; at sufficere duas docent Henr. Suarez, Layman. Bonac. Gob. & alii plures contra Gavant. & Jordan. sic habet usus, & pro tertia servit Corporale. Una tamen longa potest servire pro pluribus, si duplicetur, vel triplicetur saltem quoad illam

partem, in qua est lapis consecratus, vel si totum altare sit consecratum, ubi reponitur Calix cum Patena: Croix ex Pasq. n. 324. Non est omnino necessarium, ut sit benedicta: quare in necessitate adhiberi potest vulgaris, & deinde aliis usibus reddi: Busemb. Laym. Sylv. Azor. Suarez, Tann. Tambur. Spor. Sine necessitate celebrare sine ulla mappa est mortale; in gravi autem necessitate nullum est peccatum: Croix n. 325. ex Pasq.

Tertio, Vestes sacræ, nimirum Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Manipulus, & Casula: Item Corporale lineum, saltem in ea parte, qua debet tangere Hostiam, & Calicem, & Palla item linea saltem ex ea parte Superiore, & Corporale in extremitatibus possunt esse ex auro, aut serico elaborata: Palla deficiente potest ejus loco adhiberi aliud Corporale, vel Purificatorium, vel Bursa: Croix num. 332. Item Purificatorium, sine quo tamen celebrare, quando facile haberi non potest, non esse mortale dicit Gob. & cum non requirat benedictionem, potest adhiberi strophiolum mundum non applicandum deinde usibus profanis, & abluendum in prima lotione à persona sacra, hoc est saltem ab habente primam tonsuram, ut dicunt Pasq. & Suarez, ap. Croix n. 331. quod valet etiam de corporalibus. Color paramentorum non est præcepti, sed directionis: Busemb. Homob. Dian. Suarez, Avers. Quart. At juxta Gob. apud Croix n. 340. mortale esset, si in Paschate celebraretur in nigris. Color autem aureus, sive croceus æquivalet omni colori: ita Quarti.

Prædicta indumenta, & ornamenta debent esse benedicta vel ab Episcopo, vel à Sacerdote habente privilegium, ut habent Superiores Mendicantium pro suis tantum Ecclesiis, non pro extraneis, ut habet Aversa apud Croix num. 353. ex quibusdam declarationibus S. Congreg. Tambur. tamen apud Croix citat. docet, Superiores Ordinum mendicantium adhuc posse etiam pro extraneis, ubi est usus, & Sporer testatur, Superiores sui Ordinis Seraphici bona fide id passim facere: sæpius etiam id factum per Rectores Societatis testatur Croix citat. qui addit, hoc ipsum absolute docere Tambur. Pasq. & Gob. Nomine autem Rectoris venit etiam Rector Seminarii habens sub se personas Societatis. Amittunt autem benedictionem, quando ita franguntur, aut lacerantur, ut non sint amplius apta

ad

ad usum, ad quem sunt benedicta: Aversa. Gob. ap. Croix n. 356., ut si anterior pars casulæ à posteriori separetur, vel si ex alba detrahatur manica, etiamsi alia assuatur: excipit Aversa, nisi ab initio ita essent aptatæ manicæ, ut funiculis possint alligari, & solvi, quia tunc se haberet, ut Calix habens juncturam tornatilem inter cuppam, & pedem, qui certe non amittit consecrationem per hoc, quod cuppa separetur à pede.

Grave sacrilegium est celebrare sine vestibus sacris, hoc est benedictis: Vasq. Navar. Suar. Con. Bon. Busemb., Pal. p. 10. n. 8., ita ut, regulariter loquendo, nec in gravi necessitate liceat, & in earum defectu cessaret obligatio vel audiendi, vel celebrandi Missam. Laym. tamen, & Dian. docent in gravi necessitate licitum esse celebrare sine Stola, vel Manipulo, vel uti cingulo non benedicto, vel si fractum sit, rursus connectere. Item, si Parochus nullam haberet albam benedictam, posset die festivo celebrare in non benedicta: Gob. apud Croix n. 328. & secundum Pasq. apud eund. num. 325. est tantum veniale non adhibere amictum in illis, qui non ad caput tegendum, sed tantum in humeris ferunt, est tamen mortale nullum adhibere corporale: aut non benedictum, nisi excusaret gravis necessitas. Idem Suar. Sa, Azor. apud Pal. cit. docent, posse Sacerdotem uti Stola pro Manipulo, vel Manipulo pro Stola, si habeat longitudinem sufficientem ad tegendos humeros, quia videntur plus, minusve esse ejusdem formæ, quæ est essentia harum vestium: quæ, si duplices sint, ex parte nimirum interiori, & exteriori, singulæ remanent benedictæ, si separentur. Si paramenta non sint enormiter immunda, erit tantum veniale in illis celebrare: etiamsi esset ipsum corporale: March.; imo adhibere vestes, & paramenta non munda, quando munda haberi non possunt, non est peccatum: Suar. Gob. apud Croix num. 336. Detritæ non sunt applicandæ usibus profanis, sed vel exurendæ, vel è majoribus faciendæ minores, ut è stola manipuli, ex albis amictus, quæ in tali casu probabilius ex Gob. ap. Croix num. 357. indigent nova benedictione: quamvis ex eodem Auctore probabile sit etiam oppositum. Vestibus autem sacris uti ad comœdiam vix vacat culpa mortali: Suar. Gob. apud Croix num. 337. At non est prohibitum, tales vestes conficere ex profanis, e. g. planetam ex veste muliebri: Suar. Pal. Tamb Demum probabi-

lius excusatur à peccato Sacerdos celebrans sine vestibus sacris ex metu mortis, dummodo absit contemptus Fidei, vel Religionis: Azor. Vasq. Val. Bec. Bonac. Dian. Pasq. Gob. Reques. Spor. apud Croix n. 339. contra Cajet. Nugn. Suar. Pal. Fill. putantes, id esse intrinsece malum. Notat tamen Avers. casum vix habere locum in praxi, quia vix aberit contemptus Fidei, vel Religionis, qui certe est intrinsece malus.

Quarto sub mortali etiam requiritur Calix, & Patena consecrata ab Episcopo, vel aliis habentibus talem facultatem, ut habent Abbates Pontificalia exercentes, etiam Regulares; sin minus de jure communi, saltem vel ex privilegio, ut innuit Avers., vel ex consuetudine, ut habent Zabar. Mend, Less. apud Croix n. 354. & quidem etiam pro extraneis Ecclesiis, ut ait Avers. apud Croix n. 353. ex Tamb. Bordon. Gavant. dicentibus, non fuisse per declarationes S. Congr. revocatam hanc facultatem pro Ecclesiis extraneis, quoad vasa Sacra, quamvis revocata fuerit, quoad Sacra indumenta. Putant aliqui cum Dian. & Pasq. apud Croix num. 352. vasa, & paramenta sacra per usum etiam mala fide factum in Sacrificio consecrari, & benedici substantialiter, ita ut alius iis utens non peccet: sed melius contradicunt Lug. Dicast. Tamb. & alii: vid. Croix l. c. Materia tum Calicis saltem quoad cuppam, tum Patenæ debet esse aurum, vel argentum; at potest esse stannum urgente paupertate: v. Croix à num. 345. Notat Gob. apud eund. num. 346. Theologos in magna paupertate nec repudiare plumbeum: & Lug. admittit etiam ex ære, vel auricalco, dummodo cuppa sit inaurata. Si Calix in cuppa sit argenteus, vel etiam stanneus, ne sub veniali quidem requirunt in ejus parte interiori inaurationem Tamb. Gob. Spor. & alii communiter, teste Croix l. c. quamvis Rubrica præscribat: unde licitum est celebrare in Calice, & Patena argenteis ex diuturno usu jam deauratis, seu in quibus aurum jam est corrosum; nec enim in tali casu consecrationem amittunt, quam unice amittunt, quando non sunt amplius apta ad usum, cui sunt destinata: unde, si denuo inaurentur, probabiliter non indigent nova consecratione, cum sit idem Calix, & eadem Patena: Pyxis verò, & Sphæra, seu lunula tangens immediate Sacramentum non sunt consecrandæ: Gav. Pasq. apud Croix num. 348., imo probabiliter neque de necessitate benedicendæ: Sylv. Sot, Vasq.

Vasq. Bonac. Pasq. & alii multi cum Spor. valde tamen conveniens est, ut benedicantur, ut fert etiam usus: possuntque benedicere etiam Superiores Mendicantium, ut & cætera paramenta, in quibus non adhibenda est sacri chrismatis unctio: Laym. apud Croix num. 348.

Quinto, Missale, Lumen, & Minister inserviens: Missale sub gravi peccato requiritur Canonem saltem continens, ex Bonac. & aliis communiter ap. Busemb. non est tamen necesse, ut sit benedictum. & in necessitate sufficit Missa descripta in charta: Tambur. Gob. vel quod Sacerdos dicat ex memoria: Layman. Gob. Spor. contra Tann. Qui visu careat ad legendum, si videat sufficienter Hostiam, & Calicem, ita ut absit periculum amittendi particulas, vel irreverenter tractandi Sacramentum potest dicere Missam, quam scit memoriter: ad vitandum tamen scandalum debet omnia peragere cum Missali, ac si legeret: Croix n. 364. ex Gob. Candela accensa debet esse duplex, & cerea, & quidem sub mortali juxta Fag. Regin. Vasq. & alios contra Nugnum, & Marchinum: in necessitate tamen sufficit una etiam ex sebo, vel lucerna, aut lampas ex oleo: Dian. Layman. Azor. Sine omni lumine nunquam licet celebrare secundum Lug.; ita ut extingueretur ante consecrationem, & aliud haberi non posset, Missa esset relinquenda, etiamsi dandum esset Viaticum moribundo, juxta Fag. & Quintanad.; quamvis contradicant Leand. Gob. & Spor. apud Croix n. 393. qui probabile esse dicit ex Pasq. in gravi necessitate licitum esse celebrare sine lumine, quia hoc requiritur ex præcepto Ecclesiæ, à quo excusat gravis necessitas. Demum Minister inserviens Sacerdoti, & quidem masculus etiam sub mortali requiritur juxta Navar. Fag. & Zenob. Verum, si adsit gravis necessitas vel Missæ audiendæ die Festo, vel viatici dandi juxta Suar. Lug. Con. Sylv. Averss. Sa, Bonac. Dian., imo juxta aliquos apud Henao, teste Croix num. 385., etiamsi alias multis diebus ferialibus deberet Sacerdos omittere Sacrificium, potest celebrare sine Ministro, & sibi ipsi respondere, ut etiam tempore pestis ad vitandum periculum contagionis, si celebrando debeat se alere: Croix num. 286. ex Pasq. qui cum Gob. aliisque communius apud Croix num. 388. dicit, melius esse sine Ministro celebrare, quam permittere, ut femina ministret

stret ad Altare, in quo gravem culpam agnoscunt contra Sylv. & Nugn., putantes, peccari tantum venialiter. Dixi *Ad Altare*, nam possunt licite moniales respondere Celebranti è Choro, ut passim fit, aliis ministrantibus ad Altare. Filii ante ordinationem patris legitime nati possunt patri jam ordinato ministrare: secus vero illegitimi, nisi essent occulti, quia tunc cessat indecentia: Croix n. 389. ex Pasq.

Velum Calicis, manutergium, pulvinar pro libro, candelabra, antipendium, bursa pro corporali requiruntur ob decentiam tantum, nec indigent benedictione: quare si aliquid ex his desit, potest ex profanis congruenter mundis accipi, & deinde suis usibus reddi.

Denique Sacerdos debet celebrare calceatus, ex Rubr. non esset tamen mortale nudis pedibus celebrare: Bonac. Avers. contra Sylv., imo nec veniale, urgente necessitate, vel rationabili causa, Pasq. Gob. Spor. ap. Croix num. 390. qui addit, sufficere crepidas. Item debet esse capite nudus, *cap. Nullus Episcopus, de Consecr. dist.* 1. Ledesm. tamen putat, non esse mortale legere tecto capite, quod admittunt Dian. & Spor. aliquali causa subsistente; Sylv. autem dicit, ex rationabili causa esse licitum: at plures Doctores ad celebrandum tecto capite, etiam solum usque ad consecrationem, requirunt licentiam Episcopi, vel Prælati, quam licentiam alii dicunt non posse dare, nisi Papam, v. Croix num. 400.

§. II.

De Ritu servando in sacrificio.

Ritus in Missæ celebratione servandus præscribitur in Rubricis Missalis Romani, quæ sunt quædam ordinationes, vel directiones Ecclesiæ, secundum quas aliqua sunt agenda. Notandum tamen hic, S. Pium V. permisisse aliquos ritus peculiares in aliqua Ecclesia particulari, quos per ducentos saltem annos observare consueverat; iisdemque Ecclesiis permisit, ut de consensu Prælati, ac totius Capituli possunt amplecti Ritum Missalis Romani. Has rubricas convenienter adhiberi, de Fide tenendum est ex Suar., cum pertineant

ad

ad religiosum cultum, & reverentiam tanti Sacramenti, & Apostolorum traditioni sint conformes, in Trid. *sess.* 22. c. 5. An autem dictæ Rubricæ obligent sub gravi, variant Doctores, Azor. Suar. Bonac. & alii apud Dian. p. 1. tr. 14. res. 55. docent, obligare sub gravi: nisi parvitas materiæ excuset, probantque ex eo, quod Pius V. in Constitutione initio Missalis apposita omnibus, & singulis præcipiat *In virtute S. Obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent, ac legant.* At Tambur. Lug. Gav. & alii distinguunt duplex genus rubricarum, præceptivarum alterum, alterum directivarum. Præceptivas dicunt illas, quæ continent aliquid, quod ex jure, vel legitima consuetudine graviter jubetur, ut sunt ordinationes Ecclesiæ de jejunio servando ante celebrationem Missæ, de integritate Sacrificii, de loco, ara, vasibus, vestibus sacris, de materia Sacramenti, ut de azymo in Ecclesia Latina, & generaliter omnes Rubricas circa aliquod requisitum ad valorem Sacramenti. Directivas dicunt reliquas, de quibus non constat apud Doctores, quod graviter præcipiantur: quare sine onere peccati mortalis dicunt præscribi, ut ante, & post Missam oretur, ut recitetur certus numerus Orationum, &c., dummodo in omissione hujusmodi Rubricarum absit scandalum, & gravis contemptus observationis Rubricæ, quia levis est, seu contemptus levitatis cæremoniæ, quem venialem culpam dicunt Sot. Laym. Tamb. Gobat. apud Croix num. 411.; sed qualis esset contemptus Potestatis Ecclesiasticæ, vel Papæ, vel alterius Superioris hoc disponentis, qui semper continet culpam gravem: Croix ib.

Quæres primo, An, & quale peccatum sit omittere aliquam partem Missæ?

Respondeo primo, Dictum esse tom. 1. tr. 2. d. 1. q. 4. c. 5. §. 1. quomodo peccetur per omissionem hujus, vel illius partis in Missa audienda ex obligatione, quæ multo magis valent de omissione partis in Missa legenda. Aliqua tamen sunt hic addenda: quare

Respondeo secundo: Partes Missæ dividi in ordinarias, & non ordinarias. Ordinariæ sunt, quæ semper dicuntur, ut Confessio, Oratio, Epistola, Evangelium, Præfatio, Canon, *Pater noster, Agnus Dei:* non ordinariæ sunt, quæ non semper dicuntur, ut *Gloria*, Orationes

secun-

secundariæ, pluralitas epistolarum, *Credo*, diversitas præfationum, vel quorundam intra Canonem. Jam vero omittere partem ordinariam per se loquendo est mortale, nisi excuset parvitas materiæ, vel si non sit ritus ob speciale mysterium notabilis: econtra veniale tantum est omittere unam ex partibus non ordinariis. Hinc sequitur, esse mortale omittere Epistolam, Evangelium, aut partem notabilem Canonis, oblationem Hostiæ, vel Calicis, & ex Suar. & Gob. apud Croix num. 419. fractionem Hostiæ, aut illius cum calice mixtionem, aut signa multa, quæ fieri debent super oblata: item *Pater noster*, vel *Agnus Dei*, ex Pasq. apud Croix cit. qui in hoc illum damnat nimii rigoris, vel omittere partem notabilem eorum, quæ sunt propria Missæ solemnis, licet non cantetur ex obligatione: Pasq. apud Croix num. 425. & ex Franc. Lug. omittere omnia, quæ cantantur à Choro, & Ministris, quamvis Card. Lug. & Avers. putent, hoc esse veniale; imo Tambur. Pelliz. Quarti nullum, si Sacerdos attendat ad ea omnia, dum canuntur. Contra vero nonnisi veniale est omittere *Gloria*, vel *Credo*, vel *Lauda Sion*, vel *Victimæ paschali*, vel *Veni Sancte Spiritus*, vel *Dies iræ:* imo ex Quarti, & Pasq. apud Croix num. 420. veniale est: & rationabili causa nullum juxta Pasq. etiam multas partes hujusmodi non ordinarias omittere, quamvis facerent magnam quantitatem, v. g. in 4. temporibus omittere omnia *Flectamus genua*, cum omnibus secundariis orationibus secretis, & postcommunionibus, & cum secundariis epistolis. Item veniale est omittere specialem præfationem, vel in Canone speciale *Communicantes*, vel *Hanc igitur*, dummodo legantur ordinaria, seu communia. Veniale pariter est omittere aliquas benedictiones, cruces, deosculationes altaris, inclinationes, genuflexiones, dummodo non conflent partem notabilem Missæ; vel ea nimis celeriter facere: item omittere Evangelium S. Joannis, vel aliud legendum post Missam, quia in rigore non est pars Missæ, ex qua ratione veniale ad summum est (quamvis juxta Lohn. ap. Croix num. 413. nullum) omittere lotionem manuum ante Missam, & Orationes inter induendum dicendas, juxta communem sententiam, teste Croix n. 415. contra Navar. Azor. Gav. putantes, esse mortale.

Quæres secundo, An, & quale peccatum sit addere, commutare, vel invertere aliquid in Missa?

Respon-

Respondeo primo, Mortale esse addere notabiliter multum ad Missam: Spor. apud Croix n. 429. addere tamen unam collectam vix erit peccatum secundum Pasq. & Gob. ibid.; facile enim non excusat aliqua causa, aut devotio. Dicere *Gloria*, vel *Credo*, quando est omittendum, est veniale: Suar. Gob. ib. Excipit Aversa, nisi fieret cum magna deformitate, ut si alterutrum diceretur in Missa de *Requie*. Non est peccatum sub longo cantu ad *Gloria*, vel *Credo* orare vocaliter, seu recitare parvas horas memoriter; quod à fortiori valet de Diacono, & Subdiacono in Missa solemni: Cajet. Tan. Gob. apud Croix num. 430. contra Tamb. Lohn. putantes, esse veniale in Celebrante. Similiter nullum peccatum est intermiscere etiam cum aliqua interruptione meditationem, seu considerationem circa ea, quæ in Missa geruntur, quia non deest continuatio moralis, quando mens manet applicata Missæ: Nav. Quarti, Croix num. 431.

Respondeo secundo, esse peccaminosam juxta quantitatem materiæ voluntariam mutationem precum in alias preces non approbatas ab Ecclesia; ita ut in materia notabili sit mortale: veniale vero tantum esse, si mutatio fiat in alias Preces approbatas in Missali, ut esset mutatio unius Epistolæ in aliam, &c. nisi afferat magnam deformitatem, ut si Evangelium Paschatis conjungeretur cum Epistola Defunctorum, aut alio simili modo: Croix num. 432. Mutatio in verba synonyma est culpa venialis, nisi materia sit notabilis; tunc enim erit mortalis juxta Pasq. apud Croix num. 433. In Canone vero quælibet mutatio, ut etiam omissio mutans sensum, est culpa gravis: levis vero, si non mutat sensum, etiamsi plura verba omittantur, e. g. plura nomina Sanctorum: Fill. Dian. Aversa. apud Croix num. 418. Quod si verba in Canone sint detrita, nec sciantur memoriter, & nonnisi post longum tempus haberi posset aliud Missale, omittens excusatur: Pasq. Verric. apud Croix ib. Si quis loco Episcopi nominandi in Canone nominet Generalem sui Ordinis, Dian. p. 2. t. 14. res. 4. dicit à Papa & à S. Congreg. damnari mortalis: sed Rodr. Bordon. Tamb. Spor. apud Croix num. 463. dicunt, non constare de tali declaratione, adeoque non esse mortale, nisi fiat animo inducendi novum ritum, vel in contemptum Episcopi. Mutare imperfecte actiones, e. g. breviorem Crucem facere, vel inclinare os ad altare, & non formare osculum est veniale juxta Suar. &

Quarti.

Quarti, contradicente Pasq. qui nullum in eo peccatum agnoscit.

Respondeo tertio, Inversionem partium ejusdem rationis esse culpam venialem tantum, ut recitare unam Orationem, vel unam Epistolam ante aliam, quando plures sunt dicendæ; si vero partes sint dissimiles, ex proposito eas invertere erit mortale, ut legere Evangelium ante Epistolam; in his enim est magna deformitas.

Quæres tertio, Quænam expressio verborum requiratur in Missa?

Respondeo, non sufficere solam expressionem mentalem, sed requiri sub gravi vocalem, & talem, ut absolute loquendo, & secluso omni impedimento, sit audibilis: oratio enim vocalis, ut distincta à mentali, debet habere sonum: omnis autem sonus est audibilis, cum sit objectum auditus: quare, si quis notabilem partem verborum Missæ ita formaret intra labia, & dentes, ut, secluso omni impedimento se ipsum audire non posset, peccaret mortaliter: Croix num. 438. ex communiori sententia contra Azor. Tamb. Caram. Quar. & alios apud Dian. p. 2. tr. 12. res. 9. putantes, sufficere, quod verba formentur per motum oris, & linguæ; sic enim, inquiunt, oratio non est pure mentalis; ergo vocalis: quam sententiam Gob. videtur admittere ut probabilem; notantque Nav. & Fill. posse servire scrupulosis. Legere submisse, quæ alte dicenda sunt, veniale esse, docet Sanch. in *Consil.* l. 7. c. 2. dub. 8. num. 6. cum aliis, & Tamb. ex Lugo dicit; id passim fieri à timoratis: probabilius vero nullum esse peccatum dicit Pasq., si celebrans ita alte exprimat verba, ut hæc excedant terminos orationis secretæ, v. Croix num. 430. Recitare alte partem notabilem eorum, quæ submisse dicenda sunt, damnant mortalis Gav. Quart. Pasq. ap. Croix num. 440. Communiter tamen Doctores dicunt, esse veniale ita alte proferre verba consecrationis, ut audiantur ad sex, vel octo passus; mortale vero, si audiantur ad 40. passus. Mutilare ob nimiam accelerationem ultimas syllabas, vel ob syncopen intermedias, salvo sensu, & significatione, & secluso scandalo, est veniale tantum, &, si fiat ex defectu naturali, nullum erit peccatum: Quart. Pasq. ap. Croix n. 442.

Quæres quarto: An, & quale peccatum sit voluntaria distractio in legenda Missa?

Respon-

Respondeo, Distractionem, quamvis longam extra Canonem, & Sumptionem, esse tantum venialem culpam: Tamb. *de Sacram.* l. 2. c. 3. num. 8.; diuturnam vero sub Canone esse mortalem; saltem ob periculum committendi in eo errores: Tamb. Gob. apud Croix num. 443. cui sententiæ videntur non adhærere: Dian. & Bard. apud Croix num. 443 Idem dicit Tamb. ibid. de distractione voluntaria sub Communione, sed Gob. merito dubitat de tanto rigore, qui certe non admittitur in laico communicante. Probabile tamen est, quamcunque internam distractionem etiam sub consecratione, vel Communione fore culpam venialem, cum probabile sit ex dictis tom. 1. tr, 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 3. quæs. 7. quod attentio interna opposita distractioni non præcipiatur sub gravi, & quod essentia Orationis de se, & objective religiosæ sufficienter constituatur per attentionem externam, & illam attentionem internam, quæ implicite continetur in intentione orandi virtualiter perseverante: v. Croix loc. cit.

DISPUTATIO V.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento extremæ Unctionis.

Hoc Sacramentum à Christo Domino institutum, à B. Jacobo Apostolo 5. 14. promulgatum est his verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quæ verba innuunt Materiam, & Formam, Ministrum, Subjectum, & Effectum hujus Sacramenti, de quibus hic nobis agendum.

CAPUT I.

De Materia, & Forma Extremæ Unctionis.

Materia hujus Sacramenti alia est remota, alia proxima. Materia remota est oleum olivarum: Doctores communissime ex text. cit. Hinc opinio illorum,

qui dicunt, sufficere etiam Chrisma, non est practice probabilis, ex propos. 1. damnata ab Innoc. XI. alibi cit. si tamen deesset oleum, liceret uti Chrismate in casu necessitatis; at si postea haberi possit oleum, aut si per errorem inunxeris Chrismate, repetendum est Sacramentum sub conditione: Illsf. ex D. Carol. Borr. & aliis contra Laym.: idemque est, si per errorem usus fueris Oleo Catechumenorum: Croix n. 2090. ex Sanch. Colon.

Quæres primo, An oleum debeat esse benedictum?

Respondeo affirmative, ex D. Th. & aliis communissime: hinc non est practice probabilis opinio dicentium apud Aversf., benedictionem olei non pertinere ad valorem hujus Sacramenti: quia exponeretur Sacramentum periculo nullitatis extra necessitatem: addit tamen Aversf., non exponi; si fiat aliqua benedictio ordinata ad effectum hujus Sacramenti, quamvis non servetur illa, quæ in Pontificali præscribitur: v. Croix n. 2091.

Quæres secundo, A quo sit benedicendum hoc oleum?

Respondeo, Ab Episcopo saltem pro Ecclesia latina, qui nec potest alteri committere, cum sit actus ordinis: at pro Ecclesia græca certum est, benedici à Presbyteris græcis, ut constat ex Const. Clem. XIII. die 31. August. 1595. Hinc, quamvis D. Th. Bell. & alii communissime dicant, ex præcepto Christi requiri benedictionem Episcopi, tamen multi docent, eam posse à Papa committi etiam simplici Sacerdoti; quæ sententia est ad summum speculative probabilis: v. Croix num. 2092. Cæterum Episcopus quotannis in Cœna Domini benedicit novum oleum, ex quo accipere debent Parochi, & Regulares, veteri exusto; si tamen novum haberi non possit, licet uti antiquo: Laym.

Quæres tertio, An liceat cum oleo sancto miscere aliud non benedictum?

Respondeo, Si illud non sufficiat, posse in necessitate addi aliud non benedictum; in minore tamen quantitate, quam sit illud; Doctores communiter, quia major pars trahit ad se minorem. Cæterum, si oleo benedicto per decursum anni successive addatur non benedictum, & hujus quantitas, spectatis omnibus ejus partibus, superet illius quantitatem, multi dicunt, amitti benedictionem, sed Carden. apud Croix num. 2093. responsum habuit à S. Congr. 23. Sept. 1682. licere; & consequenter tum ex sententia Doctorum, tum ex praxi plurium

plurium Ecclesiarum, tum ex Rit. Roman. esse practice certum, non amitti benedictionem, dummodo pars, quæ successive additur, semper minor sit quantitate præsupposita, ut de aqua benedicta docent communiter.

Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio. quæ esse debet certarum partium corporis infirmi. Et quidem Græci ungunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus ex utraque parte, & pedes: latini vero quinque sensus, oculos, aures, nares, os, manus, item pedes, & renes, ex Flor. *post. sess. ult. in Decr. Eug. IV. ad Armen,* apud Croix l. 6. p. 2. n. 2087., atque hæ unctiones moraliter continuari debent, ita ut, si quadrante horæ distet una ab altera, Nugn. & Averss. putent, Sacramentum fore nullum; &, si Sacerdos post unam deficiat, licet multi putent, alterum debere pergere, tamen Mærat. putat, repetendam sub conditione, cum non sit certum, eam sic cum reliquis conjungi: v. Croix n. 2008.

Cæterum pedes, aut renes inungere non est essentiale; imo quoad renes non est decens in feminis, ideoque omittendum ex Rit. Rom.; item in viris Religiosis omitti solere, inquit Busemb. ex Henr. Sa, Tol. Suar. Bellar.; sed Rit. Roman. tantum dicit in viris omitti, quando sine periculo moribundi adhiberi nequit: Multi apud Averss. putant, de valore non esse. ut ungatur ullus sensus, satisque esse ungi aliam partem corporis; item aliqui apud Dicast. putant, opus non esse explicite, & directe significari ullum sensum in particulari, sed neutrum est practice probabile extra necessitatem. Denique D. Thom. & alii putant, hoc Sacramentum non existere, nec ullam causare gratiam ante' ultimam unctionem; sed valde probabiliter Suarez, & alii multi tenent, singulorum sensuum unctionem causare suam specialem gratiam: ut singuli ordines sunt Sacramentum inadæquatum Ordinis: Croix 2104.

Quæres quarto, Quomodo fieri debeat unctio?

Respondeo, Fieri debere pollice Sacerdotis proferentis formam; & quidem unctio oculorum incipit ab oculo dextero, & similiter ab aure dextera, manu, pede, &c. nec tota forma est enuncianda, priusquam uterque oculus ungatur; satis est autem, unctionem fieri in palpebra, in labiis, &c.; item ex Rit. Roman. manus exterius unguntur Presbyteris, reliquis interius: pedes autem unguntur in planta; quia hac præcipue

ambulamus: Croix n. 2117. Cæterum non est de valore, ut ungatur uterque oculus, utraque auris, &c. sed satis est ungi unum ex illis organis: item nec est de valore, ut dicto ordine ungantur, aut in formam crucis. Qui tamen aliquid horum negligeret, peccaret etiam graviter pro qualitate transgressionis. Nota demum, quod, quamvis Suarez, & Fill. dicant, ad valorem non sufficere allini una gutta olei, uti nec ad baptismum una gutta aquæ; tamen rectius contradicunt Avers. & alii, quia ibi adhuc diceris ungere, hic non diceris abluere non fluente aqua: v. Croix n. 2094.

Quæres quinto, Quomodo fieri possit unctio in casibus periculosis?

Respondeo: Primo, Si periculum sit, ne infirmus decedat, antequam fiant omnes Unctiones, cito ungantur sensus, puta unus oculus, auris, &c. dicendo, *Per istas Sanctas Unctiones, &c. quidquid per visum, auditum, &c. deliquisti, amen;* si deinde supervivat, repetantur unctiones singulorum sensuum, & addantur orationes prætermissæ: si vero, dum inungitur, decedat, ultra non procedatur; si vero dubitetur, an vivat, pergendum sub conditione *Si vivis, &c.* Croix n. 2121. ex Rit. Roman. Secundo, In periculo pestis, & simili necessitate nonnulli putant, sufficere unum tantum organum magis obvium, vel potius caput, in quo sensus maxime vigent, inungere, dicendo, *Per istam, &c. quidquid per visum, auditum, &c.* quam sententiam Layman. dicit non omnino improbabilem: Tanner. probabilem omnino, & in praxi usitatam; Dian. in praxi tutam; sed communius dicendum, ut in priori casu: vide Busemb. Tertio, Si ungendæ sint partes corporis peste infecti, potes ungere mediante virga oblonga oleo tincta, quam postea comburas: Quarto, si sensus sint mutilati, ungendæ sunt partes viciniores: ita Busemb. & alii.

Quod autem attinet ad formam Extremæ Unctionis, illa est: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per* (nominando organum sensus) *deliquisti, amen,* ut in Rit. Roman. Itaque per talem formam necessario significari debet: Primo, Actio ungendi: Doctores communiter apud Avers. Secundo, Modus deprecatorius: Doctores communius, & probabilius post D. Thom.

post D. Thom. ex verbis D. Jacob. *Orent ungentes*, con- Alb. M. Ricc. Bec. putantes, sufficere modum indicativum, *Ungo te in indulgentiam peccatorum, &c.* Si autem dicatur *Ungo te, ut Deus tibi indulgeat, &c.* Suarez, Laym. Dian. & alii contra Bonac. & alios dicunt valere, cum maneat sensus deprecatorius: Tertio, Deprecatio pro remissione peccati commissi per sensum inunctum; quamvis enim Bosc. putet, non opus esse exprimere peccatum, sive *Quidquid deliquisti*, tamen non est practice probabile: v. Croix n. 2095. Item si dixeris *dereliquisti*, pro *deliquisti*, iterari debet: Gob. Croix n. 2097. Cæterum, si ommittas ly *Sanctam*, etsi peccas, valet; quia Flor. & Trident. hanc vocem non addunt: si omittas *Et suam piissimam Misericordiam:* vel nomen sensus, qui inungitur, etiam peccas graviter, & Nugn. cum Bellarm. & aliis communiter dicunt, non valere, quamvis alii cum Dian. putent. valere, cum sit mutatio accidentalis notabilis: si omittas *amen*, veniale est: v. Croix l. 6. p. 1. n. 43. Denique extra necessitatem omittere reliquas preces in Rit. præscriptas mortale non est; supplendæ tamen, si dein sit tempus: ita Busemb.

CAPUT II.

De Ministro Extremæ Unctionis.

Est solus Sacerdos *ex verb. cit. S. Jacob.* Licet ergo Waldensis putaverit, posse inferiorem clericum, aut etiam laicum in necessitate ministrare; tamen omnes alii pro certo docent, id fieri valide non posse, neque ex dispensatione Papæ, quod probat saltem praxis Ecclesiæ, quæ nunquam dispensat: v. Croix n. 2099. Cæterum, quamvis græci adhibeant septem, aut saltem tres Presbyteros, eo quod in text. cit. dicitur *Presbyteros*; tamen practice certum est, sufficere unum; &, quamvis adessent plures, tamen est abusus apud Græcos, quod singuli ungant partem, repetita toties forma: v. Croix n. 2100.

Quæres primo, An Minister hujus Sacramenti debeat esse Sacerdos proprius, seu Pastor?

Respondeo affirmative, ex *Sacr. Can.* Hinc, si sine ejus licentia, & extra necessitatem alius Sacerdos ministret, validum quidem est, sed graviter peccat: Sylv. Sot.

Con. & alii: & Sacerdos Religioſus incurrit excommunicationem Papalem: Suarez Regin. & alii; poſſunt tamen Regulares ex licentia ſuorum Superiorum illud miniſtrare ſuis familiaribus, etiam ſecularibus, ex Conſtitutione Clem. X. Cæterum in neceſſitate, ſi Paſtor abſit, vel dare nolit, licite miniſtrat quivis Sacerdos non excommunicatus, aut ſuſpenſus; etiamſi ſit Regularis, ut contra Gav. docent Henr. Præp. Gran. Dian. & alii communiter; cenſetur enim tunc Papa dare licentiam; imo etiam excommunicatus, aut ſuſpenſus, ſi non ſit alius, inquit Suarez, quia infirmi neceſſitas excuſat.

Quæres ſecundo, An poſſit hoc Sacramentum miniſtrare Sacerdos ſine alio Miniſtro?

Reſpondeo affirmative in neceſſitate; tunc enim nec adhibenda eſt femina, quod ſi tamen fiat, veniale eſſe, docet Quintan. apud Buſemb. ubi etiam addit, non eſſe mortale, ſi in neceſſitate fiat ſine lumine, ſuperpelliceo, vel ſtola; & Dian. excuſat ab omni peccato, ſi infirmus non ſit capax alterius Sacramenti, & iſta haberi non poſſint, contra Suarez, Regin. & alios.

Quæres tertio, An teneatur Sacerdos ſub mortali hoc Sacramentum miniſtrare?

Reſpondeo affirmative, *Si ſit Sacerdos proprius, & petatur ab infirmo*; quia in re gravi non præſtat id, ad quod tenetur ex juſtitia. Dixi primo, ſi ſit *Proprius*; nam, ſi ſit alius Sacerdos, tenetur tantum ex charitate, & quidem ſub veniali tantum: niſi vero ægrotus valde indigeret, v. g. ſi alioqui ſine omnibus Sacramentis eſſet moriturus; tunc enim quidam graviorem obligationem agnoſcere videntur: vide Dian. p. 8. tr. 1. reſ. 170. Dixi ſecundo, *Si petatur ab infirmo*; quia tunc maxime tenetur ex officio, quod in ſe ſumpſit, & jure petentis; ideoque etiam eſt mortale, ſi differat cum probabili periculo: ſi autem non petatur, etiam tenetur ſub gravi, ſi æger non poſſit recipere aliud Sacramentum; imo etiam, ſi receperit tantum Pœnitentiam & non Euchariſtiam; quamvis enim tunc non ſit extrema, eſt tamen etiam gravis neceſſitas; in qua etiam tenetur ſubdito ſubvenire Parochus: v. Croix l. 3. p. 1. num. 755. Hinc tempore peſtis, tenetur Parochus ſub mortali miniſtrare per ſe, vel per alium iis,

iis, qui petunt, modo possit absque periculo vitæ; cum eo enim non teneri, saltem si sint confessi, docent Tan. Dian. p. 5. t. 3. r. 93. & alii: si autem non possint aliud Sacramentum recipere, tenetur etiam cum periculo vitæ, ex Croix n. 2112. & aliis.

Quæres quarto, An in necessitate possint pures simul Sacerdotes hoc Sacramentum ministrare?

Respondeo affirmative, ita tamen, ut unus unam, alius aliam partem corporis inungat, pronunciando tantum formam illi unctioni respondentem; non tamen potest unus unum oculum, alter alterum: v. Dian. p. 9. t. 7. r. 56. Item, si unus Sacerdos non possit progredi, supplenda erunt per alium, quæ restant: Tann. Præp. & alii; notat tamen Dian. p. 5. tr. 3. r. 87. licere tunc etjam repetere unctiones ab initio, perinde ac si prior nullam earum inchoasset: v. Bus.

CAPUT III.

De Subjecto Extremæ Unctionis.

Solus periculose infirmus est subjectum hujus Sacramenti; adeo, ut incapax sit quivis alius, qui non est ob infirmitatem in mortis periculo: Suarez, Pal. Gran. & alii communiter ex verbis cit. & traditione Ecclesiæ, Hinc, quamvis plures Græci putent, etiam non ægros esse capaces ob immaturam mortem, quæ sæpe contingit; tamen latini omnes negant cum D. Th. & Arcud. dicit, id esse merum eorum abusum: quod autem fertur de S. Hedwige ante morbum petente Extremam Unctionem, fuit extraordinarium ex instinctu Divino & quod de SS. Viris hoc oleo ungentibus frontes Energumenorum, vel etiam loca affecta hominis non ægri, non fuit factum per modum Sacramenti: vide Croix l. 6. p. 2. n. 2101. Denique, quamvis Less. Quintan. & alii probabile putent, valide etiam conferri hoc Sacramentum infirmo non gravi, tamen addunt illicite, & reiterandum, quando periculose laborare cœperit: v. Dian. p. 9. t. 6. res. 65.

Quæres primo, Quid veniat hic nomine periculose infirmi?

Respondeo, Venire illum dumtaxat, qui ob ægritudinem ortam ex morbo, vulnere, partu, vel senectute,

est morti propinquus: Suar., & alii communiter. Quandocunque ergo quis æger censetur periculose laborare cœpisse, ungendus est; neque expectandum, donec sensibus careat, vel omnino sit desperatus; expectare enim sensuum defectum esse mortale, docet Quintan. t. 5. s. 6.; ideoque in dubio de periculo inungi potest sub conditione: Laym., & alii. Hinc ungendus est etiam senex deficiens per extinctionem caloris; quia senectus ipsa morbus est: Rit. Roman., item puerpera, si fœtus sit extrahendus, vel mors ei ob specialem rationem timeatur in hoc partu: Nav., Sylv., & alii: item qui est in mortis periculo, eo quod sisti nequeat sanguis per nares effluens: Croix num. 2108. Contra vero inungi non potest reus decapitandus, vel suspendendus, nec qui iturus est prælium, vel periculosam navigationem, aut quid simile, quia hi non dicuntur infirmi. Cæterum reus, qui sumpto veneno expectat mortem, est inungendus; quia venenum reddit eum periculose infirmum: Avers., & alii: item reum rotæ affixum, etsi non teneatur Parochus inungere, cum non sit consuetudo, tamen potest, si ille ferventer petat, quia periculose infirmatur ex divulsione membrorum: Lohn., Gob., & alii. Si autem alicui abscinditur pes, vel manus, Quintan., & Gob. putant, inungendum, quia timeri potest, ne deficiat, sed probabilius negat Lohn., quia experientia docet, ordinarie non deficere: secus etiam qui secatur pro calculo, vel ruptura, esset inungendus.

Quæres secundo, An quivis periculose infirmus inungi possit?

Respondeo affirmative, Dummodo sit baptizatus, capax peccati, ne constet velle decedere in peccato: Doctores communiter. Hinc inungi potest etiam ille æger, qui in articulo mortis baptizatur; &, quamvis Sylv., Suar., Henr., & alii dicant sub conditione, si post baptismum peccaverit, tamen Avers., Rayn., & alii cum Croix num. 2111. dicunt etiam absolute, quia hoc Sacramentum non est tantum institutum ad tollenda peccata, eorumque pœnam; verum etiam principaliter, ne æger in agone tentationibus succumbat: similiter, quamvis inungi nequeant pueri ante usum rationis, nec perpetuo amentes, qui illis æquiparantur, nec surdus, mutus, & cœcus, qui nunquam habuit usum rationis, cum nec peccarint,

nec

nec peccare possint; tamen inungi possunt pueri omnes septennium vix ingressi, nec expectanda est ætas communioni præfinita, ut contra Sot. docent communiter; & in dubio, an puer, vel quivis alius æger unquam usus sit ratione, inungi debet sub conditione: item si in confessione noveris puerum, vel quemvis alium, nunquam actualiter peccasse. ut contra Nugn. docet Suar.

Similiter, quamvis inungi nequeat æger, quem constat velle decedere in peccato; tamen inungendus est etiam delirans, phreneticus, furiosus, amens. si habuerit aliquando usum rationis, ebrius deficiens, vulneratus in duello, &c.; quia ad hoc Sacramentum, uti etiam ad Pœnitentiam, Confirmationem, & Eucharistiam, ex dictis sufficit etiam in adultis intentio interpretativa, & quivis Christianus, etsi nec petierit, nec ullo signo tunc utatur, vult Ecclesiæ Sacramentis juvari debito tempore, voluntate saltem interpretativa, qua scilicet petiturus esset, si cogitaret, de qua D. Aug. *l. de Adult. Conjug. c. ult.* ait: *Multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, non apparet: attamen credibilius est eum, si posset, velle se potius dicturum fuisse.* Hinc, quamvis Sot., & alii cum D. Th. dicant, non esse inungendum furiosum, aut amentem, nisi in lucido intervallo, tamen non esse id expectandum, docent communiter ex Rit. Rom., modo absit periculum irreverentiæ: imo ligandum esse, vel fortiter tenendum phreneticum, si unctioni resistat, docent graves Doctores apud Dian., & Barb. dicentes, esse necessarium, si is non potest aliud Sacramentum suscipere.

Quæres tertio, An periculose infirmus teneatur sub mortali hoc Sacramentum suscipere?

Respondeo affirmative, Si Pœnitentiam, & Eucharistiam non susceperit; si vero susceperit, D. Th., Aversa., Rayn., & alii communiter docent, non esse gravem obligationem illud suscipiendi; affirmant vero Sot., Tur. Syn. autem Col. vult, ut nolens suscipere careat Ecclesiastica sepultura: Illsc. concludit, quod, quamvis non constet præceptum suscipiendi, tamen vix potest omitti sine veniali ob aliquam saltem negligentiam; ideoque etiam venialiter peccant domestici, si id ei non procurent. Si autem adsit scandalum, vel contemptus, certe est mortale; notat tamen Tann., non censeri contemnere,

qui sciens omittit tempore apto, & oblata commoditate; quamvis contradicat Tol.; præsertim si probabiliter deinceps non sit futura commoditas. v. Bus. & Croix num. 2113.

CAPUT IV.

De Effectibus Extremæ-Unctionis.

PRIMUS, & principalis effectus est roborare animam contra dæmonis tentationes in morte, ex verbis illis, *Alleviabit eum Dominus;* & Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *Ægroti animam alleviat, & confirmat, &c.* Secundarii effectus sunt, Primo, *Delere reliquias peccatorum*, ex Trid. cit., per quas multi apud Avers. putant, intelligi sola venialia; sed improbabiliter, inquit Bellar., cum S. Jacob. dicat, *Si in peccatis sit*, simpliciter; & forma ait, *Quidquid deliquisti;* ideoque dicendum cum D. Th., & aliis communiter, intelligi etiam mortalia inculpabiliter non remissa per priora Sacramenta, vel commissa post illa, si nunc ignorentur; quamvis ergo hoc sit Sacramentum vivorum, certum tamen moraliter est, esse posse per accidens in hoc casu etiam mortuorum: Secundo, *Remittere pœnas restantes*, quæ etiam dicuntur reliquiæ peccatorum: Tertio demum, *Aliquando etiam sanitatem corporis conferre, si expediat:* D. Th. & alii.

Infers primo, Si sciatur, quod æger nunquam actualiter peccasset, Suar., Henr., Con., & alii multi apud Croix n. 2102. contra Nugn., Sylv., Sanch., Arriag., docent, quod posset inungi, quia fines hujus Sacramenti sunt alii præter ablationem peccati, & reliquiarum ejus, & ideo diximus, pueros septennium vix ingressos inungi posse: item in dubio, an puer, vel quicunque alius æger unquam sit usus ratione, ne scilicet tentationibus succumbat, & ut, si ita expedit, sanitati restituatur: Dian., Avers., & alii apud Croix n. 2111. Item dari debet in omni alio dubio, an scilicet sit in mortali, an adsit verum periculum mortis, &c.. quia in extrema necessitate præsumendum est in favorem hominis, pro quo instituta sunt Sacramenta: Lohn., & alii ibidem.

Infers secundo, Dari non posse pueris ante usum rationis, nec perpetuo amentibus, qui pueris comparantur;

tur; quia nec peccarunt, nec peccare possunt; ideoque sunt ejus incapaces; nec juvat, quod possit eis sanitatem conferre, quia hic effectus non est absolutus, sed conditionatus, si scilicet expedit; & effectus Sacramenti debet esse absolutus. Putarunt multi apud Dicastil.. B. V. suscepisse Extremam-Unctionem, quia satis est, quod quis potuit peccare, quod libertate utatur, & capax sit spiritualis auxilii ad tentationes diaboli in agone vitandas. Sed hi supponere debent, eam ex infirmitate aliqua decessisse; ideoque merito cum aliis contradicit Illsf. ap. Croix 2102.

Infers tertio, Hoc Sacramentum esse iterabile ex Trid. c. 3., quia nec imprimit characterem, & potest ægritudo periculosa redire. Hinc D. Th., & alii apud Croix n. 2103. docent, si in eadem infirmitate diu durante v. g. hydropisi, phthisi, &c. notabiliter varietur morbi status, ita, ut æger evadat è periculo proximo mortis, quamvis non è morbo, & relabatur in tale periculum, posse Sacramentum reiterari: iteratum autem in eodem morbo, & periculo est irritum: Averss., & alii apud eundem.

Infers quarto, Quod, quamvis Rit. Rom. dicat, ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum esse, & forte sit obligatio (sub veniali tantum inquit Aversa) ut, si tempus, & infirmi conditio permittit, Pœnitentia, & Eucharistia ante Unctionem suscipiatur; tamen de hoc nullum est præceptum, & exempla multa de suscepto post Unctionem Viatico refert Rayn., & saltem, si infirmus aliquo tempore supervivat, & iterum petat Viaticum, debet eo refici, &, quoties voluerit, est pro confessione audiendus, & absolvendus: v. Croix num. 2120.

Rogabis, An Parocho timenti, ne noctu vocetur ad ægrum, liceat retinere domi Sacrum Oleum, ut vocatus possit venire expeditius?

Respondeo, Quintan. non audere excusare à mortali, si semper domi retineret; si autem hic & nunc pro casu particulari, venialem culpam agnoscit Barbos. ex Possev. Arriag. tamen cum Gob. dicit licere, quod intellige, si alias foret periculum, ne forte sero veniret v. Croix num. 2114. Denique Rit. Rom. habet, Vas, in quo asservatur hoc oleum, debere esse argenteum, vel stanneum; item si oleum deportetur ad infirmum, ob effusionis

sionis periculum posse deferri in lana bombycina : Croix num. 2121.

DISPUTATIO VI.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Ordinis.

ORDO est *Signum sensibile, quo tribuitur Spiritualis Potestas circa Eucharistiam.* Etsi autem plures numerentur Ordines, unum tamen sunt Sacramentum ob unum eorum finem, quod est Eucharistiæ Sacrificium. Ex Trid. autem sunt septem : quatuor scilicet minores, *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus ;* tres vero Majores, & Sacri, *Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus ;* & quidem Presbyteratus dicitur minor, si sit simplex Sacerdotium ; dicitur major, si sit Episcopatus essentialiter includens Sacerdotium, cujus est extensio ; ita ut nulliter conferatur non Sacerdoti. cum Sacerdotium valide conferatur non Diacono, & Diaconatus non Subdiacono, &c. Archiepiscopatus, Patriarchatus, Primatus, Papatus, non sunt Ordines diversi ab Episcopatu : Cardinalatus est tantum dignitas : item Chorepiscopatus hoc est Vicariatus Episcopi absentis : Prima autem Tonsura est tantum dispositio ad Ordines. Cæterum de fide est, Presbyteratum esse Sacramentum, imprimere characterem, & conferre gratiam, &c. De Diaconatu est communissima sententia contra Durandum : De Subdiaconatu est etiam communior sententia contra Cajetanum : De Ordin. min. est communis sententia contra Vasq. Qui ergo indigne confert, vel suscipit Presbyteratum, certissime peccat mortaliter sacrilege : non ita certissime de reliquis : Lean. apud Tamb. *de Ord.* Agendum nunc I. De natura Sacramenti Ordinis : II. De Ministro Ordinum : III. De eorum Subjecto : IV. De Circumstantiis Ordinationis ; V. Demum de titulo Ordinandorum.

CAPUT I.

De natura Sacramenti Ordinis.

AD dignoscendam naturam Sacramenti Ordinis, videnda est I. Eorum Materia : II. Forma : III. Inten-

tentio: IV. Munera, & Onera: V. Pœnæ male Ordinati: VI. Pœnæ male Ordinantis.

§. I.

Quæ sit Materia cujuscunque Ordinis?

I. PRIMA Tonsura (*Quæ est deputatio ad obsequium Ecclesiæ*) cum non sit ordo, habet tantum quasi materiam capillos abscissos ab Episcopo. Dixi *Quasi*, quia valide quis etiam deputaretur ad illud obsequium, si quocunque alio modo ad id addiceretur ab Episcopo: March. ap. Tamb. Est igitur Tonsura disponens ad Ordines, non secus ac habitus ad Religiosum statum; dum ergo Clericatus dicitur ordo, sensus est, quod sit nota, per quam quis ex ordine laicorum evehitur ad ordinem, seu statum Clericorum; ergo nec imprimit characterem, nec per se confert gratiam.

II. Ostiariatus (*Per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam*) habet materiam remotam claves Ecclesiæ, proximam earum traditionem. Illis autem aperire, & claudere, uti etiam traditio campanulæ, &c., sunt cæremoniæ.

III. Lectoratus (*Quo conceditur potestas legendi Prophetias, & Scripturas in Ecclesia*) habet materiam remotam, librum continentem sacras lectiones, id est, Epistolas, & Prophetias; proximam, ejusdem libri traditionem.

IV. Exorcistatus (*Quo datur Potestas fugandi dæmones ab energumenis*) habet materiam remotam, librum Exorcismorum: proximam, ejusdem libri traditionem.

V. Acolythatus (*Quo datur Potestas accendendi lumina, & porrigendi Subdiacono urceolos*) habet materiam remotam, candelabrum cum cereo extincto, & urceolos vacuos; proximam, eorundem traditionem. Avers. aliique docent, utramque materiam remotam requiri essentialiter ad hunc ordinem: Angel. & alii affirmant, sufficere priorem: D. Th. & alii, posteriorem: utrique probabiliter apud Tamb. & sane speculative loquendo: practice tamen utraque est adhibenda.

VI. Subdiaconatus (*Quo datur Potestas assistendi Celebranti, eique ministrandi Calicem cum Vino, & Patenam cum Hostia, ac legendi Epistolas in Missa*) habet materiam remotam Calicem cum Patena, sine Vino, & Hostia, & librum Epistolarum; proximam eorum traditionem.

Vasq.

Vasq. & alii docent tanquam commune, & certum, sufficere priorem materiam remotam: Aversˇ. Med. & alii, docent, requiri utramque simul: Sanch. Bonac. & alii communiter docent, sufficere Calicem, & Patenam, etsi non consecrata, vel consecrationem amiserint; negant Sylv. Pal. Dicast. & alii. Sylv. putat, sufficere Calicem sine Patena, vel e contra; negant Marchin. Lean. aliique. Practice autem tutior sententia est sequenda; &, si aliter fiat, peccatur, & ordinatio sub conditione est reiteranda: v. Croix.

VII. Diaconatus (*Quo datur Potestas proxime ministrandi Celebranti, legendique Evangelium in Missa*) habet materiam remotam librum Evangeliorum; proximam ejusdem traditionem: item alteram materiam remotam, manum dexteram Episcopi; proximam ejusdem impositionem super caput ordinandi. Vasq. Sot. Pal. & alii putant, priorem materiam sufficere ad Diaconatum. Marchant. & alii putant, posteriorem. Bellarm. & alii communius docent, requiri essentialiter utramque in Ecclesia Latina; atque id est practice tenendum; &, si secus factum fuerit, reiterandum, seu supplendum, quod deerat. Dixi, *In Ecclesia Latina;* Nam in Græca licite, & valide ordinatur Diaconus per solam impositionem manuum. Qua in re nota cum Bellarm., & aliis apud Croix l. 6. p. 2. n. 2135. Christum Dominum determinasse tantum in genere materiam, & formam Ordinum, volendo fieri per signa, & verba repræsentantia potestatem conferendam; & reliquisse ulteriorem determinationem auctoritati Ecclesiæ; quæ proinde pro Græcis determinavit solam impositionem manuum cum sua forma: pro Latinis saltem posterioribus temporibus etiam traditionem libri Evangeliorum, &c. Hinc. si Græci ordinarentur per traditionem libri, & Latini per solam impositionem manuum, quamvis Suar. & alii putent, valide ordinari: tamen Arriag. & alii probabilius negant; quia ista signa per legem, & consuetudinem contrariam respective ad diversas particulares Ecclesias amiserunt vim significandi potestatem, quæ confertur: quod, si universalis Ecclesia decerneret, ut ubique promiscue usurparetur hoc, vel illud signum, aut etiam aliud tertium; Amic. & alii putant, fore materiam sufficientem; Dur., & alii dicunt, Ecclesiam nunc adultam non posse amplius mutare: utrumque est incertum, etsi prius probabilius: v. Croix l. 6. p. 1. n. 16.

VIII.

VIII. Presbyteratus (*Quo datur Potestas conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, & remittendi fidelibus peccata*) habet materiam remotam etiam duplicem in Ecclesi Latina; alteram scilicet Calicem cum Vino, Patenamque cum Hostia, quorum traditio est materia proxima; alteram (quæ sola est apud Græcos) impositionem manuum Episcopi super caput Presbyterandi, quæ impositio apud Latinos fit etiam dupliciter, tum scilicet ante traditionem Calicis, &c. nihil proferendo; tum post eam traditionem, proferendo *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Itaque in Ecclesia Græca per solam impositionem manuum accipitur complete Sacerdotium, hoc est duplex ejus potestas, tum in Corpus Christi verum, tum in Corpus ejus mysticum: at in Ecclesia Latina per traditionem Calicis, &c. accipitur prior protestas; per impositionem manuum posterior potestas; si ergo latinus ordinetur per solam traditionem, supplenda deinde est impositio; si ordinetur per solam impositionem, tota ordinatio iteranda est; quia in priori casu est inadæquate Sacerdos, secus in casu posteriori, cum potestas in Corpus mysticum essentialiter supponat potestatem in Corpus Christi verum, non econverso.

Si autem Presbyteratus collatus sit apud latinos sine prima impositione manuum, D. Th. & alii communiter docent, esse validum, quia hæc censetur cæremonia tantum accidentalis, cum nec habeat formam verborum specialem, & simul fiat etiam per Sacerdotes assistentes ordinationi; quæ sententia communiter etiam dicitur moraliter certa. D. Bonav. docet, per primam impositionem imprimi characterem, imo in ea sola videtur constituere materiam Presbyteratus; quam sententiam etsi Tann. vocet falsam, improbabilem, & erroneam; tamen March. vocat talem censuram parum molestam; nisi vero tantum censuret exclusionem traditionis Calicis, ideoque putat utramque impositionem manuum essentialem, quod Bosco dicit, defendi posse cum aliqua probabilitate, & Arriag. non audet improbabilitatis arguere, & Averss. pro hac sententia citat. Sot., Becan., & Arcud, unde Croix l. 6. p. 2. n. 2145. cum aliis tribus Doctoribus concludit, licite repeti sub conditione ejusmodi ordinationem factam sine prima impositione manuum: plura vide ibidem: de differentia autem Ecclesiæ Græcæ à Latina vide supra n. antecedenti, quæ omnia etiam hic militant.

Deni-

Denique nota: Si Calix, & Patena, quæ tradantur pro Sacerdotio, non ſint conſecrata, vel ſint execrata, Ledeſ. Sot. & alii communiter putant, Sacerdotium fore validum, quod Tambur. putat moraliter certum, addens etiam fore validum, ſi panis, & vinum immediate traderentur: ſed probabiliter contradicunt Sylv. Forn. Dicaſt. apud Croix n. 2150. idque in praxi tenendum. Si tradatur ſolus Calix cum Patena, vel loco vini fuerit aqua tantum in Calice, vel defuerit panis, Leſſ., Henr. Dian. & alii putant, Sacerdotium fore validum; quia traditio Calicis cum Patena ſufficienter verificat formam: Sed Gob. & alii dicunt, ordinationem ſub conditione repetendam, cum merito dubium ſit de valore: Croix n. 2151.

IX. Epiſcopatus (*Quo datur Poteſtas Confirmandi, & Ordinandi*) habet materiam remotam Baculum Paſtoralem, Annulum, & librum Evangeliorum; proximam vero eorundem traditionem: item impoſitionem manuum Papæ, vel Epiſcopi cum aſſiſtentia aliorum duorum Epiſcoporum, aut duorum Sacerdotum ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ. Si autem Papa diſpenſarit etiam tali Sacerdotum aſſiſtentiæ, quamvis Dicaſt. putet, fieri poſſe, tamen non eſt certum; & minus certum, ſi fiat abſque tali diſpenſatione; ideoque ſub conditione repetendum: Croix n. 2147.

Quæres primo, An ad valorem ordinationis requiratur contactus phyſicus?

Reſpondeo affirmative cum communi poſt D. Thom. contra Henr. Valſq. Reginal. quia ſic verificatur forma, *Accipe, &c.* ideoque requiritur, ut, & Epiſcopus ipſe immediate tangat tradens, & ordinandus immediate tangat accipiens inſtrumenta, &c. Hinc, utut probabilis ſit ſententia oppoſita, non tamen practice; ſecus enim reiterari debet ordinatio ſub conditione. Addit tamen Croix l. 6. p. 2. n. 2157. ex Gob. & aliis, certo valere ordinationem Sacerdotis, ſi Epiſcopus imponat manus tectas Chirotecis, tum quia moraliter, & in communi æſtimatione ille dicitur tangere aliquem; tum quia Græci imponunt manus interjecto pallio; tum quia in Pontificali Epiſcopus tunc jubetur chirothecas deponere, cum debet inungere; ideoque etiam Pal. ibid. pro certo tenet valere, ſi ordinandus tangat Calicem medio aliquo panno, velo, &c. Addit ſecundo num. 2155. quod ſi ordinan-

ordinandus una tantum manu, vel uno tantum digito tangat, certo valet, quia ſimpliciter dicitur tangere; imo etiamſi ſolo ungue, inquit Lugo; contactus autem utraque manu eſt ex præcepto ad ſcrupulum tollendum: Fill. & alii; contra vero, ſi Epiſcopus in ſecunda impoſitione unicam tantum manum imponat; nam Pontificale Rom. utramque expreſſe requirit, & Doctores contra Platel. ſupponunt eſſe neceſſariam; nec obſtat, Græcos unicam tantum manum imponere, quia ab illis ad latinos non valet argumentatio: Croix n. 2156.

Quæres ſecundo, An ad valorem ordinationis requiratur contactus phyſicus, & realis cujusvis materiæ?

Reſpondeo, Primo. Certo valere ordinationem, ſi Presbyterandus tangat Calicem, & Patenam, ſed non Hoſtiam; tum quia Pont. Rom. aſſignans neceſſaria tantum dicit de *Cuppa Calicis, & Patena;* tum quia ſicut tacto Calice cenſetur tangi Vinum, ita, &c., ideoque hunc non debere reordinari ſub conditione dicit Sanch. & alii contra Bernal. & Fabr.; ex præcepto autem ad tollendum ſcrupulum tangitur & hoſtia; quamvis Leand. ap. Tambur. non putet ſub mortali: Croix num. 2152. Secundo, Si tangas Calicem, & Hoſtiam, non autem Patenam; Tambur. dicit, moraliter certum, eſſe validam; & Vaſq. Con. Bon. Pal. & alii communiter dicunt, eſſe certum; & Gob. addit, oppoſitum carere probabilitate; quia tactus Patenæ eſt propter Hoſtiam; & Patena adhibetur tantum ad decentiam, &c. Contradicunt aliqui apud Croix, qui ideo concludit num. 2153. valde conſultum, Ordinationem ſub conditione iterandam. Tertio, Si tangas ſolum Calicem, cui Patena cum Hoſtia eſt ſuperpoſita, Præp. Boſc. & alii dicunt, certam eſſe ordinationem, quia per modum unius traditur illud aggregatum. Sed Dian. Pal. & alii negant, eſſe certum; ideoque Dicaſt. dicit in praxi reordinandum ſub conditione; & ita tenendum: Croix n. 2154.

§. II.

Quæ ſit forma Ordinationis?

I. Forma Oſtiariatus ſunt illa Epiſcopi verba: *Sic age, quaſi rationem, &c.* II. Forma Lectoratus,

Accipe, & esto, &c. III. Forma Exorcistatus, *Accipe, & Commenda, &c.* IV. Forma Acolythatus, *Accipe Ceroferarium, &c.* V. Forma Subdiaconatus ex verbis illis monitoriis componitur, *Videte, cujus ministerium, &c.* in traditione Calicis: in traditione vero libri, &c. *Accipe librum, &c.* VI. Forma Diaconatus, *Accipe potestatem, &c.* in traditione libri Evangeliorum: in impositione vero manuum, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* VII. Forma Presbyteratus, *Accipe potestatem offerendi, &c.* in traditione Calicis, &c. in ultima vero impositione manuum, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* VIII. Forma Episcopatus, *Accipe potestatem, &c.* in impositione manuum; & in traditione baculi, annuli, &c. *Accipe, &c.*

Quæres primo, An forma Ordinationis debeat esse necessario verbalis, & immutabilis?

Respondeo, Ad valorem requiri necessario formam verbalem ore prolatam: quia id pertinet ad substantiam omnium Sacramentorum, excepto matrimonio, ex traditione Ecclesiæ. v. Croix l. 6. p. 1. à n. 9. ubi additur, quod, quamvis in quinque primis Sacramentis verba formæ determinata sint à Christo Domino ad speciem, tamen in ordine determinata sunt tantum ad genus, ad speciem vero ab Ecclesia; qua posita quævis mutatio substantialis (non autem accidentalis) invalidat ordinationem. Hinc Latinus valide ordinatur per formam græce prolatam (etsi invalide per materiam græcam, quæ sit sola manuum impositio) Croix n. 15. Econtra, si loco formæ vocalis substituatur scriptio, nutus, aliave signa, invalida est ordinatio, &c. Croix à n. 37.

Quæres secundo, An valida sit ordinatio, si forma proferatur ante, vel post materiam proximam?

Respondeo affirmative, si paulo ante, vel paulo post proferatur; quia, si distantia est valde exigua, adhuc verum moraliter est, quod, dum Episcopus profert formam, fiat traditio, tactus, impositio, &c. Secus vero dicendum, si distantia sit talis, ut in communi æstimatione non censeatur moraliter. Addit Lugo. *Respon. Moral.* l. 1. d. 3. eum, qui non tetigit Calicem, & Patenam, dum actu proferebatur forma, sed modo dicto paulo post, posse quidem ad majorem sui animi quietem sub conditione reordinari, sed non esse necessarium.

Notat

Notat hic Croix ex Bardi, & Gob. raro esse prudens dubium de valore susceptι ordinis: & speciatim quoad illos, qui postea scrupulose timent, ne forte non bene, ne nimis cito, vel nimis sero tetigerit; eo quod non sciant, nec possint recordari, aut imaginari, an, quando, & quorsum ista fuerint? Nam ista omnia non sunt prudentia motiva dubitandi, cum non teneamur, nec possimus recordari omnium, quæ agimus, aut egimus. Hoc ergo ipso, quod tu e. g. sciveris, quid faciendum esset, & quidem sub mortali; suppone, te feciſſe, quandiu non scis, te non feciſſe.

Notat insuper n. 2158. Quoties Sacerdos tenetur rebaptizari ob certitudinem, probabilitatem, aut dubium de nullitate baptismi, toties etiam tenetur reordinari ordine Presbyteratus, si velit in eo ministrare, ob periculum irreverentiæ Sacramento, & salutis fidelium. Dixi primo, *Si velit*, quia, si nolit, non potest cogi ad reordinationem, modo certum fuerit, non fuisse antea baptizatum: potest vero cogi, si tantum probabile, vel dubium fuerit; quia sic Ecclesia potest præsumere fuisse baptizatum, adeoque valide ordinatum. Dixi secundo, *Ordine Presbyteratus:* quia, si probabile tantum, vel dubium erat, non fuisse baptizatum, satis erit hæc tantum ordinatio, quia probabile est, reliquos ordines intermedios fuisse validos, nec dicta pericula aderunt, quamvis essent invalidi; at, si certum erat, non fuisse valide baptizatum, deberent omnia reiterari, cum certo non fuerint valida: Gob. ib.

Notat demum Tamb. c. 5. in fine, iterationem, quæ ob dictos, aut similes casus est sub conditione exhibenda, fieri posse quolibet anni tempore, à quocunque Episcopo, etiam in Oratorio privato, absque cæteris cæremoniis, sed supplendo solum id, in quo est dubium. Ratio est, quia solemnitates, cæteraque requisita sunt instituta pro ordinatione absoluta, non pro conditionata; sic enim non est ordinationem celebrare, sed quod imperfecte præstitum est, supplere: secus vero, si prior ordinatio fuerit certo invalida. Si autem unus Episcopus conferret potestatem consecrandi, & deinde eo deficiente alter Episcopus conferret potestatem absolvendi, valeret ordinatio, quia sunt duæ potestates distinctæ materiis, & formis: ita Croix. l. 6. p. 1. n. 33.

§. III.

Quæ Intentio sit requisita ad Ordinationem?

CERTUM est I. Ad valorem Ordinationis non sufficere in Ordinante intentionem interpretativam, nec habitualem, sed requiri formalem, vel saltem virtualem ex dictis in Tract. de Sacramentis in genere q. 3. c. 1. Certum II. Neque ex parte Ordinantis sufficere intentionem indirectam ex ibid. dictis q. 2. c. 2. Hic quoad Ordinandum

Quæres primo, Quænam intentio requiratur ex parte Ordinandi ad valorem ordinationis?

Respondeo, Si sit infans, vel amens à nativitate, sufficere intentionem interpretativam: Si sit adultus, sufficere intentionem saltem habitualem. Ratio primæ partis est, quia ordo collatus infanti est validus, ut certo docent Doctores contra Durand. ex *c. un. de Cler. per salt. promot.*; In eo autem nulla esse potuit intentio præter interpretativam; quivis enim ordo ei collatus nullum fert onus absolute, sed erit ei liberum, cum ad usum rationis pervenerit, eligere statum, quem volet: ideoque bonum absolute confert absque malo; & consequenter in eo infante est voluntas interpretativa illius. Ratio secundæ partis est, quia, cum ordo in adulto sit immutatio status, afferatque ei gravia onera absolute, & aliunde non sit necessarius ad salutem, ideo non sufficit intentio interpretativa: sufficit autem habitualis, quia suscipiens Ordinem non est Minister agens, sed subjectum veluti patiens; ideoque non requirit indispensabiliter intentionem actualem, vel virtualem; requirit tamen saltem habitualem, utpote qui non est subjectum pure physicum, & mortuo modo, sed voluntarium, cum debeat admittere onera Ordinum; ideoque merito requiritur aliquis ejus consensus, vel formalis, vel virtualis, vel saltem habitualis: Croix n. 175.

Hinc, quamvis in suscipiente non sufficiat consensus pure indirectus (ut si quis velit somnum, prævidens in eo ordinandum) eo quod talis consensus potest stare cum directa nolitione Ordinis; tamen valeret talis ordinatio, si cum volitione dormiendi adfuisset etiam voluntas ordinationis prævisæ, ex cap. *Majores, de Bapt.*

Simi-

Similiter valet Ordinatio collata phrenetico, ebrio, amenti, &c. licet tum dicat, se nolle; si, quando erat rationis compos, eam voluit, nec voluntatem hanc retractavit; quia ea revocatio non est actus humanus, ideoque prior voluntas permanet habitualiter. Similiter, si quis ratione utens ore tantum renuat, corde tamen consentiat in ordinationem, valide ordinatur; quia in suscipiente Sacramenta (excepta Pœnitentia, & Matrimonio) non requiritur signum externum interni consensus: vide Croix num. 169. Denique addit Gob. Contra Con. ap. Croix n. 173. validum fore Presbyteratum illius, qui admisit Parochiam volens eam retinere, si postea in somno ordinetur Presbyter, quia, etsi non habuit voluntatem explicitam Presbyteratus, at habuit implicitam in voluntate Parochiæ retinendæ. Ex dictis infers, non sufficere intentionem pure indirectam: sufficere tamen probabiliter etiam implicitam.

Quæres secundo, An præter intentionem suscipiendi Subdiaconatum requiratur ad ejus valorem intentio, seu votum etiam Castitatis?

Respondeo negative, Nam, si quis ordinatus sit in Subdiaconum ante rationis usum, non requiritur ne interpretativa quidem ejusmodi intentio; cum nec deinde obligetur ad castitatem, nec subeat impedimentum dirimens matrimonium, nisi libére velit manere in statu Sacro, qua electione posita obligabitur: Doctores communiter. Si autem ordinetur adultus, valide etiam ordinatur, etiamsi ejusmodi intentionem, seu votum expresse non habeat; imo, etiamsi expresse nolit votum emittere; quia intentio suscipiendi Subdiaconatum est distincta ab intentione servandi castitatem, & hæc non jure Divino, sed tantum Ecclesiastico, est Sacris Ordinibus adnexa: Doctores communiter ap. Croix n. 2190. Cæterum, si adultus, sive ignorans, sive non advertens ad tale votum, intendit suscipere Subdiaconatum, jam implicite vovet castitatem, quia implicite vult onera adnexa. Si vero sciens positive nolit vovere, etsi valide, sacrilege tamen suscipit Subdiaconatum, utpote inobediens præcepto Ecclesiæ præcipientis tale votum ex motivo Religionis, & ex eodem motivo prohibentis ei quemcunque actum contra castitatem; ideoque is semper tenebitur emittere tale votum; &, si nunquam velit, quivis ejus actus contra castitatem adhuc erit sa-

crilegus, &, si ineat matrimonium, adhuc erit irritum. An autem talis obligatio sit immediate ex præcepto, an ex voto, an ex utroque simul, disputant Doctores. Vide Croix num. 2191. Unum hinc infero, quod Pontifex, qui in suscipiendis Sacris Ordinibus votum castitatis sive implicite, sive explicite emiserat, si matrimonium contraheret, non solum peccaret graviter ratione scandali, ut innuimus suo loco in Tract. de Legibus d. 2. q. 3. c. 1. sed etiam graviter peccaret contra votum, in quo nequit secum dispensare, cum hujusmodi dispensationis esse omnino non possit causa legitima.

Quæres tertio, Qua animi dispositione accedere quis debet ad statum Ecclesiasticum?

Respondeo, Si tonsuram suscipias tantum, ut subterfugias judicium sæculare, secundum Barb. Bann. Arag. Led. Marchin. Pasq. peccas mortaliter, quia Trident. *sess.* 23. *c.* 4. prohibet, talem initiari. At secundum Nav. Sanch. Laym. Pal. non peccas mortaliter, quia Trid. non utitur verbis præceptivis, & quia, quamdiu vis servire Deo, potes gaudere juribus servorum Dei: peccas igitur tantum venialiter: Si cum animo non perseverandi, secundum Avers. tantum venialiter, quia, quamdiu vis servire Deo, potes gaudere, &c. Si cum animo experiendi, seu faciendi postea, quod magis expedire videbitur, nullatenus peccas ex Avers. quivis enim uti potest sua libertate ad eligendum statum. Si ingrediaris Religionem sine animo manendi, decipis in re gravi Religionem, quæ merito invita est ad illos sumptus, & molestias, & ad patefacienda sua secreta. Si initiaris ob beneficium, tanquam finem principalem, & primarium, secundum March. peccas mortaliter, sed intellige, si ob talem finem vis legem Dei graviter negligere, ut eo lucro potiaris. Tamb. Si sine causa uxorem duxeris; secundum Azor. non peccas; secundum Sanch. communiter peccas saltem venialiter.

Quæres quarto, An valeat ordinatio facta ex metu gravi injuste incusso?

Respondeo affirmative; Sive ordinans, sive ordinandus sive uterque sit metum passus; modo habuerint intentionem requisitam ad ordinationem; quæ erit voluntaria simpliciter etsi secundum quid involuntaria; cum nulla-

nulla sit, nec esse possit lex humana irritans talem ordinationem. An autem adultus per ejusmodi metum inductus ad ordinem majorem teneatur ad Castitatem, ad impedimentum dirimens matrimonium, & ad Horas? Affirmant D. Antonin. Sot. Pal. & alii, quia adest voluntarium, quantum sufficit ad votum, &c. nec adest jus positivum illud irritans. Negant Sanch. & alii plusquam 20. apud Croix n. 2163, quia Deus non acceptat tale votum, neque Ecclesia censetur velle obligare sic inductum. Distinguit Perez, & negat, si is positive nolit vovere, ad quod nec tunc obligatur ab Ecclesia, nec cogi potest à metu, cum sit actus mere internus; affirmat vero, si expresse, vel saltem implicite vovit.

§. IV.

Quæ sint munera, & onera Ordinatorum?

Munus, seu officium tonsurati est canere in Ecclesia, ideoque etiam vocatur Psalmista, & fit capax beneficii & ordinum. Ostiarii munus est claudere, & custodire Ecclesiam, advocare, & admittere dignos excludendo indignos, pulsare campanas (tempore Sacrificii, ex Hurt.) custodire supellectilem sacram, & aperire librum prædicaturo. Lectoris munus est legere Prophetias, & sacras Scripturas, & Evangelium, sed extra Missam; item instruere Catechumenos. Exorcistæ munus est imponere manus super Energumenos, & exorcismos legere. Acolythi munus est præparare lumina ad Sacrificium, ferre cereum ad Evangelium, & Subdiacono, ac Diacono inservire; potestque (ut & cæteri Ministri quovis ordine insigniti) tangere vasa sacra, ubi non sit Eucharistia. Subdiaconi munera sunt ministrare Diacono. & Sacerdoti, Crucem in supplicationibus gestare, Epistolam canere, & abluere Pallas, & Corporalia. Diaconi munera sunt ministrare immediate Sacerdoti, legere in Missa Evangelium, urgente necessitate ministrare Eucharistiam ex præscripto Sacerdotis, prædicare verbum Dei, assistere lotioni Sacrorum, potestque deferre Pyxidem de uno Altari in alterum: Tamb. & alii. Sacerdotis munera sunt sacrificare, absolvere, prædicare, &c. Episcopi demum munera sunt ordinare, consecrare, &c.

II. Onera Tonſurati ſunt deferre habitum, & tonſuram, adſcribi alicui Eccleſiæ, &c. Si ergo Clericus deferre negligat per tempus notabile, Sot. Bon. & alii putant, peccare mortaliter, quod Vaſq. Hurt. & alii communiter dicunt de ſolis Beneficiatis, aut in Sacris conſtitutis; quamvis Pal. Cajet. & alii negent univerſaliter, niſi adſit temeritas contumacia, & contemptus: vide Tamb. Denique ei imponitur à Tonſurante, ut ſemel recitet ſeptem Pſalm. Pœnitentiales cum Litaniis, &c. ſub gravi putant aliqui, ſub conſilio tantum putant Navar. Tambur. & alii, ſub levi Croix, & alii melius, nec tenetur communicare, dum tonſuratur, quia rubrica id diſponens non indicat præceptum, ſed conſilium: Tambur. Hactenus dicta procedunt pariter de Ordinatis in minoribus, Onera Subdiaconi, præter dicta, ſunt duo, ſervare Caſtitatem, & recitare Horas Canonicas; ſub levi item tenetur ſemel recitare nocturnum impoſitum ab Epiſcopo, nec videtur obligatus communicare in ordinatione, juxta dicta; veſtis autem ejus eſt Manipulus. Onera Diaconi ſunt eadem: veſtis vero eſt ſtola tranſverſa. Onera Sacerdotis ſunt pariter eadem, veſtis eſt ſtola è collo utrinque dependens; item ſub levi tenetur ex alibi dictis dicere tres Miſſas impoſitas ab Epiſcopo. Sub gravi autem tenetur communicare in ſui ordinatione, quia, ut conſacrificans, omnino debet participare de Sacrificio: Quint. & alii. Onus demum Epiſcopi, propter dicta, eſt eſſe in ſtatu perfectionis.

§. V.

Quæ ſint pœnæ male Ordinati?

I. Suspensio ab ordine ſuſcepto reſervata Papæ, ſi ſcienter ordineris in Sacris ab Epiſcopo, qui cum acceptatione Papæ renunciavit Epiſcopatui, ex cap. *Requiſivit, de Ordin. ad Epiſc. &c.*

II. Eadem ſuſpenſio, ſi ordineris etiam in Minoribus ab Epiſcopo vitando Excommunicato, Suſpenſo, Interdicto, Schiſmatico, Hæretico, ex c. 1. & 2. *de Schiſm. & Ordin. ab eo.*

III. Eadem ſuſpenſio, ſed relaxanda à proprio Epiſcopo, ſi culpabiliter ordineris etiam in Minoribus ab alieno Epiſcopo, ſine licentia, ſine dimiſſoriis, aut commen-

mendatitiis proprii Episcopi, ex Trid. *sess. 23. c. 8. Ref.* Eadem suspensio, sed Papalis, si natus extra suscipias vel primam tonsuram intra Italiam cum dimissoriis proprii Episcopi, sed non subscriptis à Nuntio originis, recognitisque à Vicario Romano, Urb. VIII. *Secret*, 1624. 11. Dec.

IV. Eadem suspensio, sed relaxanda à Diœcesano, si ordineris in Minoribus à proprio Episcopo: at in aliena Diœcesi sine Diœcesani licentia: Trid. *sess, 6. c. 2. ref.*

V. Eadem suspensio (præter Excomm. etiam papalem, de qua v. in Tract. de Simonia c. 4.) papalis, si ordineris simoniace, ex Bull. Sixt. V. Item, si excommunicatus ob Clerici percussionem ordineris, si is Clericus secularis; si regularis, absolvi poteris à tuo Superiore, modo factum non fuerit notabile, ex cap. *Illorum, de Sent. Exc.* Item, si in Matrimonio ordineris in Sacris, Extrav., *Antiquæ.* Item, si eodem die plures Ordines Sacros susceperis, ib. Item, si Apostata à Religione ordineris in Sacris, cap. ult. *de Apostat.* Item, si absque dispensatione ordineris extra tempora, ex Bull. Pii II. *Cum, &c.* Item, si ordineris in Sacris absque titulo, ex cap. *Præter, de Sim.*

VI. Eadem suspensio, sed non Papalis, si ordineris per saltum. Item, si ordineris in Sacris cum dimissoriis Capituli intra annum Sedis Vacantis absque coarctatione beneficii; absolvendus enim es à successore ex Trident. *sess. 7. c. 10. de Refor.* Item, si ordineris in Sacris ante legitimam ætatem, ex Bull. Pii II.

VII. Qui ordinatur furtive, est etiam irregularis, ex cap. *Veniens, de eo, qui furtive*, vel si eodem die plures ordines majores suscipiat ex *Eodem cap.* ap. Avil. contra Nav. vel minores cum majori, *ibid.* vel si uxoratus, &c. ex cit. Extr. *Antiquæ:* v. Tamb. c. 12. Reliqua latius addemus in Tract. de Censuris.

§. VI.

Quæ sint pœnæ male Ordinantis?

I. Episcopus conferens in mortali Sacerdotium certissime sacrilegium grave committit; quamvis non ita sit certum de collatione ordinum inferiorum, juxta jam dicta. Item sit irregularis, si censura aliqua ligatus conferat vel primam tonsuram, cum exerceat proprium actum ordinis Episcopalis.

II. Ordinans per simoniam realem suspenditur à Collatione Ordinum, à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ, ex Bull. Sixt. V. confirmata ab Urb. VIII.

III. Conferens tonsuram infanti cum præsumptione suspenditur ab ea conferenda per annum, ex cap. *Nullus, de Temp. Ordin.*

IV. Injuste ordinans invitum suspenditur, seu potius prohibetur à celebratione Missæ per annum, ex c. *Ep. d.* 74.

V. Conferens Sacerdotium indigno suspenditur à collatione ordinis Sacerdotalis, ex cap. *Si qui Episcopi* 1. *q.* 1. sed est ferendæ sententiæ: v. Bon.

VI. Conferens tonsuram illiterato suspenditur ab ejus collatione per annum, ex cap. *Nullus de temp. Ord.* Sa tamen dicit, hanc suspensionem non esse in usu.

VII. Conferens cum præsumptione tonsuram conjugato eandem suspensionem incurrit; nisi vero conjugatus Religionem legitime velit ingredi, aut Sacros Ordines recipere juxta Canonum dispositionem, ex eod. *c. Nullus.*

VIII. Conferens ordines Clerico bigamo, aut pœnitenti publico suspenditur, seu potius prohibetur à celebratione Missæ per annum, ex cap. *Nullus d.* 55.

IX. Conferens tonsuram, vel ordines non subdito absque licentia sui Ordinarii, suspenditur per annum ibi à collatione tonsuræ, hic à collatione ordinum, ex cap. *Nullus*, & cap. *Eos, qui de temp. Ord.*

X. Conferens duos Sacros Ordines eodem die, aut duobus diebus continuato jejunio, suspenditur à collatione utriusque ordinis, nec relaxandus, nisi à Papa, ex c. *Litteras, de temp. Ord.*

XI. Conferens Sacros Ordines sine titulo cum pacto, ut ordinatus nihil ab eo petat in defectum beneficii, vel patrimonii, suspenditur à collatione ordinum per triennium; & similiter præsentans suspenditur ab executione ordinum per triennium, ex cap. *Si quis, de Sim.*

XII. Conferens Sacros Ordines Novitio ante professionem, aut vota simplicia Societatis Jesu, suspenditur à collatione ordinum, quos contulit, ex Bull. Pii V. *Romanus:* v. Tamb. c. 12. & alios.

Quæres hic, An liceat Episcopo aliquid accipere pro collatione ordinum?

Respon-

Respondeo, cap. 1. *de Simonia* hæc habentur: *Pro ordinatione, eum, qui ordinatur, omnino aliquid dare prohibemus.* Cap. *Sicut Episcopum* 1. *q.* 2. hæc habentur: *Is, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas, & pallium, aliquid cuilibet ex Clero, gratiæ tantummodo causa, dare voluerit, hoc accipi, nullo modo prohibemus, quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.* Ubi ly *Ex placito* significat, ex pacto, juxta Glos. Trid. *sess.* 21. *c.* 1. *de Reform.* ita præcipit: *Nihil pro collatione quorumcunque Ordinum ... etiam sponte oblatum, Episcopi ... accipiant, & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant.* His positis, Thom. Sanch. *in Consil. Moral.* l. 2. c. 3. dub. 19. docet primo ex D. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 4. non esse simoniam juris naturalis, & divini, si in collatione ordinum aliquid detur, non in pretium ordinis, sed ad Episcopi sustentationem, quia in administratione aliorum Sacramentorum nulla est simonia aliquid recipere in propriam sustentationem: ergo nec in hoc, cum non sit magis spirituale, quam reliqua. Docet secundo, esse tamen simoniam juris Ecclesiastici, si Episcopus tale stipendium pro ordinum collatione recipiat; quia in reverentiam talis rei spiritualis, scilicet ordinum, id prohibuit Episcopis Trid. loc. cit. & cap. 1. *de Simonia.* Ita etiam Armil. v. *Simonia* n. 32. Rosel. vid. *Simonia* 1, 2. 28. Ang. v. *Simonia* 1. n. 28. Tabien. v. *Simonia* q. 33. n. 34. & ibi Sylvest. q. 7. dict. 3. Docet tandem tertio, posse Episcopum, post collatum ordinem, aliquid recipere sponte oblatum; quia, quamvis in Trid. cit. expresse prohibeatur, etiam sponte oblatum recipere; tamen id expresse conceditur cit cap. *Sicut Episcopum* 1. *q.* 2. si fiat post collationem ordinis: ita tenent Turrecr. Hug. Archid. Innoc. & Hostien. in c. cit. & post Trident. videntur expresse tenere Navar. *sum. lat.* c. 23. n. 102. vers. 11. & Ludov. Lop. 1. p. *instit. novi n.* 391. *fol.* 924. pag. 2. *in fine*, ubi dicunt, id non esse in foro conscientiæ simoniam. Et idem Nav. c. 25. *Hisp.* n. 68. *lat. n.* 68. *vers.* 2. & Salzed. *pract. Bernardi Diaz. c.* 91. incipient. *Simoniaci*, *vers.* 6. dicunt, quod ad hoc, ut sit locus pœnæ Trident. citat. oportet, ut datio præcedat ordinum collationem: ergo clare sentiunt nobiscum: sic etiam tenet expresse Capua l. 2. *decis.* c. 95. n. 59.

C A-

CAPUT II.

De Ministro Ordinum.

SOLUS Episcopus consecratus est ordinarius Minister etiam ordinis Episcopalis, etsi ad hunc conferendum indigeat assistentia aliorum, saltem duorum Episcoporum, vel Presbyterorum ex dispensatione Papæ: ut autem Episcopus licite conferat ordines, aut etiam primam tonsuram, requiritur insuper, ut sit proprius ordinandi, ratione scilicet domicilii, vel originis, vel beneficii, aut ab his habeat dimissorias, vel etiam testimoniales, & de his hic agendum.

§. I.

De Episcopo Domicilii.

DICITUR Episcopus proprius ratione domicilii, in cujus Diœcesi habet, qui vult ordinari, fixum domicilium cum animo manendi ibi perpetuo. Qua in re Constit. Inn. XII. *Speculatores* ita statuit: *Subditus ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censetur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis, superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius in utroque casu se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmat.* Requiritur ergo vel decennalis habitatio, vel per tempus considerabile cum instructis ædibus, & translatione majoris partis bonorum, & pro utroque casu juramentum de animo vere ibi perpetuo manendi. Hinc Studiosi, &c. qui etiam per decem, aut plures annos student in eadem Academia non acquirunt domicilium ad effectum suscipiendi ordines, quia non habent animum perpetuo ibi manendi, seu figendi domicilium, ut requirit Const. cit. Item impuberes, ubicunque diu morentur, non possunt ibi domicilium acquirere, sed patris domicilium semper retinent usque ad pubertatem. Quod si paternum domicilium ignoretur, domicilium matris habetur pro suo; Barb. & alii apud Croix n. 2182.

Cæte-

Cæterum non impedit animum perpetuo alicubi habitandi, quod quis ita sit animo comparatus, aut alio migraret, si promotio, officium, casus improvisus, aut necessitas familiæ eo vocaret, ut cum communi docet Sanch. l. 4. *Decal.* c. 39. num. 20. Si tamen prudenter prævidit, se ex tali causa alio abiturum, tunc animus non acquievit hic, sed fuit veluti suspensus; ideoque jurare non potest, se vere, & realiter habere animum perpetuo hic permanendi. In dubio autem communissima sententia cum Barb. docet, post decennium præsumi posse talem animum, &c. Croix num. 2184.

Denique, si quis habeat duo domicilia æqualiter in diversis Diœcesibus, Sanch., Barb., Ricc., & alii apud Croix num. 2180. notant, ab utroque Episcopo posse ordinari; nam debet posse ab uno, nec est major ratio de uno, quam de altero. Addunt Averss., Gob., Barb. & alii apud eundem, Nobiles habentes plura feuda in diversis Diœcesibus, quamvis ibi non habitent, censeri esse ibi subditos, idque decisum esse à S. Congr. Idem dicunt Barb. Rebuf., Gob. & alii apud eundem de Officialibus, qui in diversis Diœcesibus habent perpetua officia, quamvis non fiant illarum cives; & id extendunt etiam ad eorum filios; sed non credo, ista ultima esse de mente Constit. cit., ut concludit Croix ibid.

Quæ dicta sunt de Episcopo domicilii, dic proportionaliter de Abbate Regulari benedicto, etsi non consecrato, qui non quidem potestate ordinaria, sed concessione Papæ conferre potest tonsuram, & ordines minores tantum Regularibus sibi subditis, qui proinde habent ibi domicilium. Qua in re S. Congr. approbante Clem. VIII. apud Croix n. 2190. statuit, *Abbates Regulares benedictos non posse dictam primam tonsuram, & minores ordines conferre Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel Instituti, etiamsi habeant literas dimissorias suorum Superiorum Regularium, & consensum Ordinariorum, & multo minus personis secularibus etiam habentibus literas dimissorias à suis Ordinariis.* Si ergo his conferant, illicite conferunt; &, si sine dimissoriis, etiam invalide, quia carent potestate ordinaria Episcopali, nec aliunde est ipsis commissa ad tales: si cum dimissoriis, Laym., Gob., & alii putant valide, quia Trid. *sess.* 23. *c.* 10. *de Refor.* tantum dicit *Non liceat*, & pro hoc referunt Declar. S. Congr. apud Pal.; sed

Suar.

Suar., Pignat., & alii negant, quia excedunt commissionem Papæ, & in dicta Declar. dicitur *Non posse*: v. Croix num. 2191. An autem conferre possint tonsuram, & minores ordines suis novitiis? Affirmant Sanch. Pal. Delb. & alii, quia hi in loco Novitiatus statim acquirunt domicilium cum animo, quantum in se est, perpetuo ibi manendi, &c. Negant Suar. Henr. Barbos. & alii, quia ingressi sunt animo tantum experiendi Religionem, &c. Utraque sententia est probabilis apud Croix n. 2199. Ad quem autem Episcopum mitti debeant Religiosi, ut ordinentur, dicam §. 4.

§. II.

De Episcopo Originis.

Constit. Inn. XII. *Speculatores* hæc statuit: *Subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda, &c.*

Is ergo censetur huic Episcopo subditus ratione originis, seu, ut dicitur, originarius, qui natus est in patris domicilio existente in hac Diœcesi; licet ergo aliqui Juristæ dicant, originem adoptati etiam sumi ex domicilio patris adoptantis, negandum id tamen est quoad tonsuram, & ordines; quia Canones loquuntur de patre naturali. Similiter, quamvis multi apud Gob. dicant, originem avi tui etiam hic posse censeri tuam, tamen Bard. Gob. & alii melius negant, quia Constit. cit. remittit præcise ad propriam originem patris. Item per baptismum in aliena Diœcesi non habetur titulus originis, quia baptismus est origo tantum spiritualis: excipiunt tamen aliqui cum Gob., nisi fuisset Turca, Judæus, aut alius Infidelis, eo quod tales nulli Episcopo erant ante subjecti; ideoque videntur sortiri primum locum originis respective, ubi regenerantur. Illegitimi autem, cum sequantur ventrem censentur habere originem, ubi habitat mater, quæ solet etiam esse notior. Quod si patris, & matris domicilium ignoretur,

illam

illam habere censentur in loco, ubi fuerunt inventi, seu expositi : v. Croix à n. 2180.

Qui ex accidenti natus est in aliqua Diœcesi, quamvis non subdatur titulo originis, nisi Episcopo originis naturalis paternæ, quæ consequenter censenda est etiam sua, ut statuitur in Constit. cit. tamen additur ibidem primo, quod si tanto temporis spatio ibi fuerit, ut ibi potuerit contrahere aliquod impedimentum Canonicum, indiget Testimonialibus Episcopi illius Diœcesis, ut possit licite ordinari à proprio Episcopo : additur secundo, quod, si pater ibi, ubi ex accidenti natus est filius, tamdiu, & eo animo permanserit, ut vere domicilium de jure ibi contraxerit, tunc non origo patris, sed tale domicilium pro ordinatione filii attendi debet.

Si pater in diversis Diœcesibus habeat duo domicilia, in quibus æqualitet habitet; quamvis possit ipse ab alterutro Episcopo ordinari ratione domicilii, juxta dicta §. 1., tamen ejus filius ab illo tantum ordinari potest titulo originis, in cujus Diœcesi natus est; quia illud tantum domicilium paternum sortitus est origine : nisi vero ipse etiam post pubertatem utrobique æqualiter habitet. At, si fortuito extra utriusque Diœcesim natus est, ab utrovis potest ordinari titulo originis; qui uterque censetur ejus Episcopus originis, cum non sit potior ratio de uno, quam de altero : Præp., Dian. p. 8. t. 2. r. 14. apud Busemb.

Denique, si, postquam filius natus est in patris domicilio existente in hac Diœcesi, pater in aliam Diœcesim domicilium transferat, non ideo filius amittit jus originis jam acquisitum; ideoque potest etiam ordinari ab hoc Episcopo originis, etsi indigeat Testimonialibus Episcopi illius Diœcesis, si ibi potuerit aliquod impedimentum canonicum contrahere. De vagis, & filiis vagorum nihil hactenus inveni apud Doctores, puto tamen, sortiri originem, ubi nascuntur, quamvis multis Testimonialibus indigeant, ut ibi ordinentur.

§. III.

De Episcopo Beneficii.

CONSTIT. cit. ita statuit, Primo: *Nulli Episcopo, etiamsi Cardinali, liceat externum, ac sibi ratione origi-*

originis, seu domicilii non subditum ad Clericalem tonsuram promovere prætextu cujusvis Beneficii Ecclesiastici ei statim conferendi, seu ad quod is à patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit; etiamsi dictum Beneficium de novo fundatum sit ea lege, ut quis immediate post tonsuram ad illud instituatur. Itaque hic talis tonsurari tantum potest ab Episcopo propriæ originis, seu domicilii: an autem, ut sic tonsuretur, sufficiat præcise tale beneficium nondum possessum, dicetur de Titulo Ordin. §. 1. quæsit. 1.

Eadem Constit. cit. statuit secundo: *Licet Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subjici dicatur Jurisdictioni illius Episcopi; non tamen ad effectum suscipiendi ordines, nisi tale beneficium per se sufficiat, &c. & pacifice possideatur, sublata facultate supplendi adjectione patrimonii, &c.* Itaque, si talis Clericus pacifice possideat dictum Beneficium in aliena Diœcesi, quod sit de se sufficiens, &c., tunc solum poterit licite promoveri ab illo Episcopo, allatis tamen Testimonialibus Episcopi sui domicilii, quæ simul cum tali Beneficio sufficienti exprimendæ sunt in attestatione collatorum ordinum ab Episcopo Beneficii, ex cit. Constit.

Statuit tertio: *Clericum à proprio Episcopo tonsuratum, seu etiam ad ordines minores promotum non posse ab Episcopo Beneficii ad ulteriores ordines promoveri, nisi Testimoniales proprii Episcopi tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita obtinuerit, & exhibuerit.* Idemque est, si post Subdiaconatum, vel etiam Diaconatum obtinuerit beneficium, cujus titulo promoveri velit ab Episcopo illius Beneficii. Contra vero, si Clericus habeat in aliena Diœcesi patrimonium, etiamsi pro hoc titulo sufficiente sit approbatus, nullatenus potest promoveri ab eo Episcopo absque dimissoriis Episcopi proprii originis, seu domicilii, juxta dicenda §. 5. Idem est, si habeat ibi Missas fundatas, quamvis proventus sufficiant ad honestam sustentationem. Idem, si habeat ibi præbendam temporalem, vel mensæ Episcopalis, vel spiritualis exercitii ibi exhibendi, &c., quia non sunt revera Beneficia: v. Croix n. 2178.

Quæres primo, An Ordinatus uno ordine ab Episcopo originis possit sine dimissoriis alium ordinem susci-

pere

scipere ab Episcopo domicilii, & alium ab Episcopo Beneficii?

Respondeo affirmative cum Henr., Averss., Præp., Pignat., & aliis contra Barb., & alios apud Croix num. 2185.; quia respective ad ordines suscipiendos est verus subditus singulorum, & nemo indiget dimissoriis ad suum Episcopum; neque id improbat cit. Constit., quæ, quantum attinet ad Episcopum Beneficii. ad summum vult, afferri Testimoniales à proprio Episcopo. Addo tamen, quod, si quis ab Episcopo originis sit prohibitus promoveri ad ulteriores Ordines, vel suspensus, non potest ab alio Episcopo petere alium ordinem, nisi prior Episcopus consenserit, vel Papa rehabilitarit post cognitam causam, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 1. *de Reform.*

Quæres secundo, An Ordinatus uno Ordine ab Episcopo Beneficii, si illud hoc anno resignet, possit alium ordinem suscipere ab eodem Episcopo?

Respondeo negative, quia amisit jam subjectionem requisitam: similiter, si Neapolitanus simul cum patre fixit domicilium Capuæ, ex quo ibi tonsuretur, & postea dimissa Capua fixerit iterum domicilium Neapoli, non potest petere ulteriores ordines Capuæ; quia amisit ibi subjectionem requisitam ad susceptionem ordinum; quidquid sit, an dicendus tunc sit Clericus Ecclesiæ Capuanæ, an Neapolitanæ: Croix n. 2186.

Quæres tertio, An, qui plura habet Beneficia in diversis Diœcesibus, possit in singulis ordinari?

Respondeo affirmative, quia ratione beneficiorum fit subditus in singulis: Sanch., Barb., & alii apud Croix n. 2179., ubi etiam addunt, quod, si Beneficium, quod possides, quoad Jura Episcopalia sit subjectum uni Episcopo, quamvis quoad præsentationem, & institutionem subjiciatur alteri Episcopo, potes in priori Diœcesi ordinari.

§. IV.

De Episcopo alieno.

DICITUR alienus Episcopus, qui non est proprius ordinandi, nec ratione originis, nec ratione domicilii, nec ratione beneficii: si ergo absque licentia, seu dimissoriis illum ordinet, etiamsi ad primam tonsu-

ram, illicite ordinat, & uterque graviter peccat contra grave præceptum Sacr. Can., præsertim Trid. *sess.* 23. *c.* 8. *de Ref.* & *sess.* 14. *c.* 2., ubi ex dictis statuitur etiam pœna suspensionis, & quidem ordinanti per annum à collatione ordinum, ordinato vero ab exercitio ordinis sic suscepti, quamdiu proprio Ordinario videbitur. Nec ad vitandum tale peccatum sufficit ratihabitio de futuro proprii Episcopi, ut docent Doctores cum Sanch. l. 7. *Consil. dub.* 20. num. 13. contra Glos., D. Th, & alios, quia aliter daretur ansa Episcopis, ut hoc quæsito colore alienos ordinent; & Trid. *sess.* 14. *c.* 3. *de Ref.* cavet, ne Episcopi titulares aliquem ordinent absque expresso sui Episcopi consensu.

An autem talis ordinatio sit etiam invalida? Affirmandum, si fiat ab Abbate etiam benedicto, juxta dicta §. 1.; negandum, si ab Episcopo, utpote habente potestatem ordinariam vi characteris, quæ stat sine jurisdictione: Croix num. 2192. Neque obstat c. 1. & 3. d. 71. dicens, esse irritam; intelligitur enim communiter, quoad executionem tantum; ideoque sic Tonsuratus non gaudet privilegio Clericali, nec potest valide obtinere Beneficia: est demum suspensus ab actu cujusvis ordinis sic suscepti: Sanch. num. 14.

Quæres, An alienus Episcopus possit in aliquo casu aliquem ordinare sine licentia proprii Episcopi?

Respondeo affirmative: Sunt enim duo casus hujusmodi: Primo, Quando Episcopus proprius est manifeste suspensus, non quomodocunque, sed eo præcise, quod ordinavit Clericos alienos absque licentia proprii Episcopi: tum enim possunt Clerici ejus subditi sine licentia ordinari à vicinis Episcopis, ex c. 2. *de Temp. ordin. in* 6. Debet ergo dicta suspensio esse notoria facto, vel jure; & tunc ejus tantum Clerici, non vero laici, possunt ordinari ab alieno Episcopo, & quidem tantum vicino; quia per talem potest melius sciri de eorum vita, & moribus; ideoque ab eo ordinari licite possunt in ejus Diœcesi; & similiter ab Archiepiscopo vicino, ut probabiliter docent Sanch. n. 19., & alii contra Francol., & alios. Quod enim Archiepiscopus non possit sine licentia suffraganei ordinare ejus subditum, ne tempore quidem visitationis, & in loco exempto, est extra hunc casum.

Alter casus est, Si Episcopus alienus per integrum, & completum triennium (ut statuitur in cit. Constit.) sub-

subditum alterius Episcopi secum in suo actuali servitio retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; tunc enim titulo Familiaritatis potest illum tonsurare, ordinare, &c. absque licentia proprii Episcopi, sed nonnisi cum ejus Testimonialibus, & providendo illi de Beneficio sufficienti intra mensem absque ulla fraude, ex *cit. Constit.* Nomine autem Episcopi alieni non venit hic Episcopus nullatensis, seu ordinatus titulo Ecclesiæ in partibus infidelium: Croix n. 2187. ex Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *de Reform.*; multoque minus venit Abbas Regularis, cui tantum commissa est facultas relate ad suos subditos regulares, juxta dicta §. 1. Nomine autem familiaris probabiliter venit etiam ejus famulus, quia & hic est etiam familiaris Episcopi, si reliqua adsint, quæ cit. Const. requirit: Croix ex Sanch. n. 2187. Denique, si familiaris non possideat actu patrimonium, &c. neque in hoc casu potest tonsurari, quia nec Beneficium actu possidet, juxta dicenda de tit. Ordin. contra Vasq.

De Mand. Clem. VIII. S. Congreg. 15. Mart. 1596. Regulares *quarumcunque Religionum* ordinari debent ab Episcopo Diœcesano; nisi is abfuerit, vel non habeat ordinationes, vel Sedes vacet; tunc enim à quovis alio Episcopo (modo non fiat in fraudem) ordinari possunt cum dimissoriis suorum Superiorum id exprimentibus. Si autem Monasterium sit in loco nullatensi, dimissoriæ sint ad Episcopum viciniorem sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ, aliisque arbitrariis. Excipe Soc. Jes. ex Paul. V. Gregor. XIV., & Inn. XII. ap. Croix num. 2144. & 2236., ubi Sanch., Laym., Pal., Gob. excipiunt etiam Religiosos exemptos contra Aversa.

§. V.

De Litteris Dimissorialibus.

LITTERÆ dimissoriales, seu, ut dicunt, reverendæ sunt, *Quibus datur licentia accipiendi tonsuram, vel ordinem ab alieno Episcopo.* Atque has dare potest

I. Papa pro tota Ecclesia. Ubi etiam nota primo, Ordinatos in Diaconos, vel Subdiaconos à Papa non posse sine ejus licentia ab alio Episcopo ad superiores ordines promoveri: Sanch. n. 18. ex cap. *Cum in distribuendis, de Temp. Ordin.* Idem dicunt aliqui apud Sanch. n. 28.,

quando Papa providet alicui in curia de Titulo Beneficii; sed melius ipse cum aliis sentit oppositum. Nota secundo, Licentiam, quam dat Papa Episcopo consecrandi Episcopum, esse, ut Assistentibus etiam duobus aliis Episcopis ad minus, ex *Decr. S. Anacl.*, tamen potest Papa dispensare, ut loco Episcoporum assistentium assistant duo Sacerdotes, ex praxi S. Gregor. III., & S. Pii V. An autem possit Papa dispensare, ut nullo assistente Presbytero est dubium, ideoque talis consecratio est reiteranda.

II. Legatus à latere, seu Nuntius Apostolicus pro sua Provincia, in qua & potest ipse ordinare, cum sit Ordinarius: Croix n. 2264.; & alii contra Pignatel., & alios. Debet tamen Ordinandus habere Testimoniales à proprio Episcopo, & Sede vacante à Capitulo juxta dicenda §. 6. Rursus si proprius Episcopus nolit subditum ordinare, potest Nuntius Apostolicus committere viciniori, ut dimissorias ei concedat, &c., Sanch. num. 27. Denique nota, Ultramontanos, omnesque natos extra Italiam, si velint tonsurari, seu ordinari intra Italiam; debere sub pœna suspensionis, aliisque inflictis Decr. Urb. VIII. *Secretis* 11. Dec. 1624., dimissorias propriorum Episcoporum ostendere Nuntiis, seu Collectoribus Apostolicis commorantibus in loco, unde discesserunt, & deinde Vicario Generali Urbis Romæ.

III. Episcopus proprius, sive originis, sive domicilii, sive beneficii; quia hi potestate ordinaria possunt talem ordinare. Idque, etiamsi talis Episcopus nondum sit consecratus; quia dimittere non est actus ordinis, sed jurisdictionis, quod Gob., & alii apud Croix num. 2233. extendunt etiam ad Episcopum electum, licet nondum confirmatum, in locis tamen multum remotis à finibus Italiæ; nemo autem extendit ad Vicarium Generalem Episcopi, nisi ex speciali hujus commissione, aut hoc in remotis agente: Croix num. 2234. ex cap. *Cum nullus de Temp. Ordin. in* 6. Sede autem Episcopali vacante, Trid. *sess.* 7. *c.* 10., & *sess.* 23. *c.* 10. *de Refor.* vetat, ne Capitulum intra annum à die vacationis det dimissorias alicui, nisi beneficii recepti, vel recipiendi occasione *artiatus* fuerit, sub pœna interdicti ipsi Capitulo, & suspensionis per annum ab officio, & beneficio ipsi concedenti; & privationis privilegii Clericalis ipsi fic ordi-

ordinato, si sit in minoribus; suspensionis vero ab ordinibus usque ad beneplacitum futuri Episcopi, si sit in majoribus: v. plura in hanc rem apud Croix num. 2257, ubi dicitur, *Arctatum* Beneficio recipiendo esse illum, qui habet jus, seu est vocatus ad aliquod beneficium vacans, aut ad Capellaniam requirentem actu certum ordinem, quo ille caret; vel qui est præsentatus ad Beneficium, necdum est tonsuratus: non vero is, cui aliquis vult resignare Beneficium, quia hoc est mere voluntarium. At post annum à vacatione potest ex jure communi Capitulum dare cuique subdito dimissorias, sed ex novo Decr. S. Congreg. sub Clem. XI. vetatur in Regno Neapolitano, in quo proinde requirendæ sunt dimissoriæ à Sede Apostolica, & Testimoniales à Capitulo, seu ejus Vicario. Nota demum, Vicarium Papæ, Sede Apostolica vacante, posse efficere, ut ordinentur sui, aut eis etiam non *Arctatis* dare dimissorias; quia Trident. cit. non restringit jurisdictionem Sedis Apostolicæ vacantis: Henr., Averss., & alii; idemque dicunt Graff., & alii apud Croix num. 2263. de Vicariis Episcoporum deputatis per Papam, quos vocat Apostolicos.

IV. Abbates Regulares (non vero Seculares, ex Trid. *sess.* 23. *c.* 10.) & Superiores etiam Regulares dare possunt dimissorias suis subditis Regularibus, ex Trid. apud Fagn. & Croix n. 2236., & probabiliter etiam suis Novitiis, ut certum est de Novitiis Societatis Jesu apud Croix num. 2237. ubi probabile est, etiam post Decret. S. Congr. jussu Urb. VIII., tales dimissorias dari posse ad quemcunque Episcopum, modo sint Religiosi exempti; nam hoc privilegium, & consuetudo eximunt eos ab iis, quæ in cit. Decr. statuuntur: v. Croix n. 2236. Nota tamen in Societate Jesu id posse tantum Provinciales: in aliis Religionibus aliquando etiam Superiores locales juxta sua cujusque Religionis statuta.

Quæres primo, Quomodo intelligenda sit facultas data in Dimissorialibus?

Respondeo: Primo, Si dimissus sis ad Episcopum pro prima tonsura, poteris etiam ab eo confirmari; & similiter, si pro Subdiaconatu, poteris ab eo tonsurari; quia, cui conceditur majus, conceditur etiam minus: contra vero, si concedat Minores, vel Ordines tantum, non intelligitur de majoribus, ex cap. 1. *de Temp. Ordin.*

Ordin., ideoque oportet exprimere *Sacros*, vel *Majores:* Croix num. 2239. Secundo, Episcopus dimittens subditum ad alienum Episcopum, non hoc ipso ei dat licentiam dispensandi in quocunque impedimento; quia privilegium non extenditur ultra casum expressum, & à disparatis non fit illatio: Navarr., Sanch., Castr., Dian., & alii contra Gob. apud Croix num. 2240., afferentem Regul. Juris, quod *Concesso uno videtur concedi id, sine quo illud concessum non potest subsistere:* Tertio, Dimissus à tuo Episcopo ad determinatum Episcopum peccas adeundo alium Episcopum: nisi vero dimittens non habuerit specialem causam, sed quia ille erat tibi vicinior, aut tu illum petiisti, quia sic in gratiam tui erat designatus, &, quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, ex *Reg. Jur.* Croix num. 2241., & alii: item, si Papa dispensat, ut ordineris extra tempora *A tuo Ordinario tantum*, potes cum hujus dimissoriis ordinari ab alio, quia ly *tantum* indicat, ne ei præjudicetur: Croix num. 2242. Quarto, Dimissus, ut ordineris *A quovis Episcopo in propria Diœcesi residente, seu ordinante*, secundum Sanch., Rodr. & alios, nequis ordinari ab Episcopo in aliena Diœcesi cum licentia ordinantis; sed secundum Ledesm., Dian., & alios potes; quia tantum intenditur, ne absque licentia fiat in aliena Diœcesi, &, quod fit ex licentia residentis, censetur fieri à residente: Croix num. 2246.

Quæres secundo, Quid aliud notandum sit circa dimissorias?

Respondeo: Primo, Si sint indefinitæ quoad tempus, non expirare Sede Vacante, quia sunt gratia facta; durant ergo, donec Successor expresse revocet; in dubio enim non censentur revocatæ, quia talis mutatio, seu correctio est odiosa: Croix num. 2247. addens, quod si dimittens postea curet dici tibi, ne te facias ordinari ab alio, non ideo revocat, sed tantum indicat, non esse necesse: Secundo, Quamvis dimissoriæ exprimant, te esse examinatum, & approbatum, potest tamen Ordinans te adhuc examinare, ut ex Trid., & Decl. S. Congr. probant Bon., Barb., & alii apud Croix n. 2245. Tertio, Episcopus invitatus ad ordinandos subditos alienos, & in aliena Diœcesi potest alios etiam aliunde generaliter dimissos hic ordinare sine speciali licentia: Sanch., & alii ex Decl. S. Congr. & idem est de Subditis Episcopi invitati, qui non indigent dimissorialibus ad ipsum:

Croix

Croix n. 2188. Quarto, In dimissoriis apponenda est causa, cur dimittaris, alias non suffragantur, ex Trid. *sess.* 23. *c.* 3. & *c.* 11. *de Reform.* Quinto, Concedi non debent ante legitimum examen, & approbationem, ex Trid. *sess.* 23. *c.* 3. *de Reform.* qua in re consulenda est consuetudo locorum: Sexto, Concedi possunt etiam sine scriptura, modo saltem constent per testes, ex cap. *Ut circa, de Elect. in* 6.; si tamen Clericus Ultramontanus ordinetur ab Episcopo Italiæ, requiritur scriptura, ex cap. 1. *de Temp. Ord. in* 6. & quidem ab ejus Nuntio, seu Collectore recognita, juxta jam dicta: Septimo demum, Concedendæ sunt gratis, ex Trdi. *sess.* 21. *c.* 1. *de Ref.* alibi cit.

§. VI.

De Litteris Testimonialibus.

Testimoniales, seu Commendatitiæ Litteræ dicuntur, *Quæ testantur de natalibus, ætate, moribus, & vita Ordinandi.* Trid. *sess.* 23. *c.* 5. *de Reform.* statuit, Primo, ut Tonsurandus habeat bonum testimonium à Parocho, & Magistro scholæ, in qua educatur: Secundo, ut Promovendus ad singulos majores ordines prius per mensem ab Episcopo committendus sit Parocho, aut cui magis videbitur, qui ex publica notitia testimoniales de natalibus, ætate, moribus, & vita reddat Episcopo: Tertio, ex *cap.* 8. Promovendum ab Episcopo alieno afferre debere testimoniales probitatis, & morum à suo Ordinario; secus ordinans suspensus sit à collatione ordinum per annum, & Ordinatus à susceptorum executione, quousque proprio Ordinario videbitur ex dictis c. 1. §. 5. & 6. Hinc

I. Tonsuratus à proprio Episcopo non potest ab Episcopo Beneficii promoveri sine testimonialibus proprii Episcopi tam originis, quam domicilii, ex Constit. cit. Inn. XII. Convenit autem, ut Episcopus originis testetur de natalibus, & ætate; Episcopus domicilii, si sit diversus, de moribus, & vita: Croix n. 2251. addens Decl. Cong., quod, si quis fuerit absens per plures annos ab Ordinario, informatio de vita, & moribus habenda est ex loco, in quo fuit versatus. Si autem neuter Episcopus testetur de ætate ordinandi, aliqui dicunt sufficere testimonium Parochi, quia cessat periculum

fraudis, & Episcopi omittentes præsumuntur, se remittere certitudini alienæ. Alii vero negant ob Const. cit. requirentem tale testimonium determinate ab Episcopo: v. Croix n. 2252. Si quis vero afferat dimissorias ab Episcopo originis, non indiget testimonialibus; quia sic dimittens censet aptum, &c. indiget tamen dimittens testimonio ab Episcopo domicilii, si sit diversus. Si Titius certus sit, se fuisse tonsuratum, nec possit juridice probare, sufficit, si juret. ut admitti possit ad ordines, quia, ubi non potest haberi probatio plena, potest admitti privilegiata; potest tamen hæc etiam rejici, utpote non juridica: Croix à n. 2251.

II. Capitulum, Sede vacante, potest etiam primo anno vacationis dare testimoniales suis subditis habentibus aliunde dimissorias, quia id nullatenus prohibetur à Trid. & similiter potest dare licentiam Episcopo extraordinario, etiam nullatensi, exercendi ibi Pontificalia Sede Vacante; ideoque possunt tunc ibi ordinari, quotquot habent dimissorias sufficientes à suis ordinariis; & multo magis Religiosi etiam primo anno in loco Sedis Vacantis afferentes dimissorias, & testimoniales ab eis, ad quos spectat: v. Croix n. 2260.

III. Pro Regularibus dat testimoniales, non Episcopus, sed Superior Regularis: Barb. apud Croix n. 2255. cujus ratio valet etiam pro Novitiis; nam de aptitudine, vita, & moribus Novitii melius rescit Superior Regularis, quam Episcopus. Quoad scientiam vero, debet præcedere examen Episcopi etiam quoad Religiosos, ex Trid. *sess.* 23. *c.* 12. *de Refor.* Potest tamen Episcopus se remittere examini Superiorum, vel committere aliis. Quod, si Summus Pontifex alicui Religioni (ut Societati Greg. XIII.) post hoc Trid. decr. concessit, ut ejus Religiosi absque examine promoveantur, certe examinare Episcopus non debet. Nota demum, ex S. Congr. apud Barb. posse Ordinarium committere examen Episcopo, cui committit, & hunc posse etiam à suo examinatum examinare: v. Tamb. *de Ordin. cap.* 6. *in fine.*

CAPUT III.

De Subjecto Ordinum.

SUBJECTUM capax Ordinis debet esse Mas, Baptizatus: & utrumque pertinet ad valorem: ut autem ordine-

dinetur licite, debet esse subditus, habens ætatem, & titulum, de quibus capitib. seq. Item debet esse sine irregularitate, censura, & peccato, de quibus hic pauca.

§. I.

Debet esse Mas, & Baptizatus.

CERTUM est, feminam, & marem non baptizatum esse incapaces cujusvis ordinis, etiam primæ tonsuræ, quia institutio Divina tantum voluit mares, & Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum.

Quæres primo, An Hermaphroditus valide ordinetur?

Respondeo affirmative, Si in eo prævalet sexus virilis; quamvis non esset ordinandus, cum monstrosum sit, hominem, aliquo modo feminam, ordinari: Pal. apud Tamb. Invalide vero ordinatur, si prævalet sexus femininus, cum sic sit simpliciter femina: idemque est, si nullum sexum habet, qualem puerum natum esse testatur Liv. quia vere non est Vir. Si autem uterque sexus æque prævaleat, aliqui affirmant, aliqui negant, valide ordinari, certe illicite, cum sit irregularis: Tamb. Si demum ex viro quis desciscat in mulierem, evadit incapax ordinis, quia secundum præsentem statum femina esse supponitur; quod si antea ordinem susceperit, invalidus fuit, cum revera esset femina latens: contra vero, si ex muliere erumpit in virum: Plura de hoc in Tract. de Irreg. cap. 4.

Quæres secundo, An baptizatus baptismo tantum flaminis, vel sanguinis valide ordinetur?

Respondeo negative, Quia solus baptizatus baptismo fluminis efficitur de corpore Ecclesiæ, eique subjicitur, &c. vid. Croix l. 6. p. 1. n. 165. ex Lug. aliisque communissime docentibus, hunc nullius Sacramenti esse capacem.

Quæres tertio, An baptizatus, sed nondum confirmatus, valide ordinetur?

Respondeo affirmative, Quia jam per baptismum est capax. An autem licite sic ordinetur? Bon. Tamb. Tol. Aversˆ. & alii dicunt, peccat mortaliter, quia Trident. *sess. 23. cap. 4. de Confir.* ait, prima tonsura non initientur, qui Confirmationem non susceperint: Suarez, Val.

Con. Gran. Avil. & alii negant, peccare mortaliter; quia Tridentinum monere potius videtur, quam præcipere: addit Tamb. ne venialiter quidem peccare, sed contradicunt communius, quia est aliqua saltem levis deordinatio.

§. II.

Debet esse sine Irregularitate, Censura, & Peccato.

CERTUM est, peccare graviter sacrilege, si existens in irregularitate suscipias ordinem; imo etiam primam tonsuram, utpote contra grave præceptum Ecclesiæ ex motivo Religionis, sive ea irregularitas erat ex delicto, sive ex defectu: idem est, si suscipias Sacerdotium existens in peccato, vel in excommunicatione. etiamsi occulta, etsi minori, cum sit Sacramentum: idem communissime docent Doctores de Diaconatu: idem communius de Subdiaconatu: idem communiter de Ordinibus Minoribus: utpote Sacramentis (De prima Tonsura videtur venialis; quædam deordinatio eam suscipere, & non in statu gratiæ, cum non sint Sacramentum) Eadem dic de interdicto personali speciali. Si autem cum suspensione suscipias alios ordines, non peccas graviter, nisi ei adnexa sit inhabilitas ad eos suscipiendos; quia suspensio præcise accepta prohibet tantum usum præteritorum. Denique probabile est cum Suar. & aliis contra alios, illum, qui suscipit Sacerdotium in excommunicatione, aliave censura, non incurrere irregularitatem, etsi tunc celebret cum Ordinante; quia non est actus distinctus ab ipsa ordinatione, sed ejus complementum.

Quæres, An valide ordinetur Irregularis, vel Censuratus ignotus Episcopo ordinanti?

Respondeo probabilius affirmative, Quia, etsi Episcopus enunciare faciat, se non intendere ordinare Excommunicatos, Irregulares, furtive accedentes, &c. tamen post hanc protestationem solet absolvere ordinandos ab omni excommunicatione ad solum effectum illos ordines suscipiendi; & eam solum ad terrorem enunciat, & præsumitur (nisi oppositum constet) priorem voluntatem mutare, dum actu ordinat: v. Sanch. l. 7. *de Matr.* 16. 11.

Addit

Addit Sa, verba illa intelligi, *si sciat talem esse*; quare is, quem ordinat, non sciens talem esse, vere est ordinatus: hæc Sa; non tamen omitterem, ait Tambur. conditionatam reordinationem.

CAPUT IV.

De Circumstantiis Ordinationis.

DISCUTIENDA hic sunt: I. Ætas Ordinandorum: II. Tempora Ordinationum: III, Extra tempora: IV. Interstitia: V. Locus, & reliquæ Circumstantiæ ad Ordinationem requisitæ.

§. I.

De Ætate Ordinandorum.

QUAMVIS olim requirebatur major ætas pro singulis ordinibus suscipiendis, hodie tamen standum est dispositioni Trid. *sess.* 23. *c.* 12. *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante* 22. *ad Diaconatus ante* 23. *ad Presbyteratus ante* 25. *ætatis suæ annum promoveatur.* Ad primam Tonsuram vero *Ex jure* præsertim ejusdem Trid. *c.* 4. colligitur, requiri saltem septennium; debet enim habere usum rationis, & scire rudimenta Fidei, & item legere, & scribere: &, licet Gob. & Quintan. putent, posse aliquem præcocis judicii tonsurari ante septennium, tamen standum est juri, & praxi Ecclesiæ: Croix num. 2306. Ad Ordines Minores, etsi multi cum Nav. probabiliter dicant, requiri annum 14. tamen probabilius, & communius apud Leandr. sufficit etiam septennium completum, quia non apparet prohibitio in contrarium: quoniam vero non statim à septennio scit puer, quæ requirit Trid. pro Minoribus, ideo communiter non statim, sed post 12. completum sunt ordinandi. Denique ad Ordinem Episcopalem requiritur annus 30. completus, ex cap. *Cum in cunctis, de Elect.* & Bull. Greg. XIV. *Onus:* quamvis in Regno Galliæ ex concordatis sufficiat annus 27. v. Pal. *de Benef.* d. 4. p. 3. n. 1.

Quæ-

Quæres primo, An dicti ætatis anni debeant esse completi, an vero satis sit, si sint inchoati?

Respondeo, Pro Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu satis esse, si sint inchoati saltem per unum diem, quia Trid. cit. non exprimit completionem, & sumus in odiosis: Doctores communiter. Ætas autem hic non numeratur à die conceptionis, nec necessario à die Baptismi, sed tantum à die nativitatis, & quidem ab hora talis diei usque ad diem, & horam præsentem, ita ut non detur hic parvitas materiæ. Itaque, qui hodie hora 24. complet annum 21. non potest hoc mane ordinari Subdiaconus, quia nondum inchoavit annum 22. poterit tamen etiam medio quadrante post horam 24., quia jam inchoavit, &c. etsi non possit medio quadrante ante, quia parum non debet hic reputari pro nihilo, cum ex eo pendeat impletio totius præcepti, ut dicitur de media nocte jejunii: Sanch. & alii ap. Croix n. 2309. ubi etiam infertur, quod, si scias, te hodie complere annum 21. sed nescias, an ante, vel post meridiem, ordinari non possis Subdiaconus, quia in dubio possidet præceptum: sufficit tamen in dubio attestatio parentum; &, si hi desint, aliæ conjecturæ, & indicia: item aliorum hominum testimonia. Putant hic Pelliz. & alii, posse detrahi dies bissextiles; sed communiter rejiciuntur, utpote contra praxim.

Quæres secundo, An sit valida ordinatio ante legitimam ætatem?

Respondeo affirmative; etiamsi conferatur puero Sacerdotium, aut etiam cum eo Episcopatus (sine Sacerdotio enim est nullus hic Ordo, ut suppono) Ratio est, quia in subjecto etiam puero adest capacitas cujusvis Ordinis, nec deest ex alibi dictis intentio interpretativa. Nec obest, quod Episcopus consecretur in pastorem, ad quod munus puer ratione carens videtur incapax; nam nec videtur capax absolvendi à peccatis, & tamen valide consecraretur Sacerdos: v. Sanch. l. 7. *Consil.* d. 32. Eadem dic de perpetuo amente, utpote qui comparatur puero ante usum rationis. Illud hic notandum, puerum sic ordinatum, adveniente deinde rationis usu, non illico teneri ad onera Ordini adnexa, Castitatem, Horas Canonicas, Impedimentum Matrimonii, &c. sed posse pro libito eligere statum; ita ut, si velit stare ordini recepto,

recepto, mox, & in perpetuum teneatur ad onera ei adnexa; si nolit stare, ad nil tenebitur, poteritque ducere uxorem, &c. proindeque manebit etiam suspensus ab exercitio illius ordinis: Doctores communiter cum Sanchez. *Ex jur.*

Quæres tertio, An sit licita ordinatio ante legitimam ætatem?

Respondeo cum communi negative, præcisa dispensatione. Et quidem peccat mortaliter tum conferens, tum recipiens aliquem ordinem majorem vel uno die ante ætatem. De prima tonsura, & ordinibus minoribus, quamvis negaverit Henr. esse mortale, tamen etiam affirmant communiter cum Sanchez d. 24. n. 16.; quia etiam sic videtur violari lex Ecclesiastica in re gravi, & arguitur etiam ex pœna gravi, qua sic ordinans suspenditur à collatione primæ tonsuræ per annum (ut modo diximus) quæ pœna non infligitur, nisi pro culpa gravi. Ordinatus autem ante ætatem, si bona fide suscepit ordinem, non peccavit quidem, ideoque nec incurrit pœnam suspensionis ab ordine sic suscepto; sub gravi tamen tenetur abstinere ab exercitio talis ordinis, donec ad legitimam ætatem pervenerit; quamvis ea adveniente non indigeat dispensatione, utpote qui erat tantum quasi irregularis ex defectu ætatis, qui per se cessat illius adventu: si autem post talem susceptionem bona fide factam rescius defectum ætatis actum ordinis exerceat, peccat quidem graviter, sed nullam pœnam Ecclesiasticam incurrit. Contra vero, si mala fide suscepit, incurrit ipso facto suspensionem ab ordine sic suscepto; & Tamb. putat; etiam ab aliis ordinibus antea susceptis, quia Bull. Pii II. ait absolute *A suorum Ordinum executione ipso jure suspensus sit.* Itaque absolvi debet à tali censura, &, si cum ea exerceat, &c. sit irregularis, & indiget etiam dispensatione Pontificia, si res sit publica: Episcopali, si sit occulta, juxta dicenda de irreg. Addit Croix 2313. quod ordinatus Sacerdotio uno die ante ætatem, putans nihil distare, quod parum distat, si fuit ignorantia culpabilis, peccavit mortaliter. Et quamvis Nav. Sa, Avil. Barb. & alii putent, non incurrisse suspensionem, utpote impositam contra præsumentes, &c. tamen sub mortali tenetur abstinere à Sacerdotalibus ante ætatem: qua expleta Hurt. Barb. Pal. & alii putant, nec indigere absolutione, &c.

Quæ-

Quæres quarto, Quis possit dispensare in ætate ad ordines requisita?

Respondeo, Solum Papam; quia nec concessione universali, nec consuetudine dispensare potest Episcopus, nec Nuncius Apostolicus, ne ad unum quidem diem: D. Anton. Sylv. Sanchez, & alii apud Croix n. 2314. addentem, nunc tamen ex speciali Privilegio Episcopos dispensare ad certum tempus, saltem pro beneficio curato, ubi est necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. Causæ autem, quæ afferri debent, ut Papa dispenset in ætate ad Presbyterium, sunt, Solatium parentum, dummodo 50. ætatis annos excedant, Doctoratus in Jure Canonico, vel in Sacra Theologia, vel hujus studium triennale: Croix, ex Decr. S. Congr. 1693. 14. Decemb.

§. II.

De temporibus Ordinationum.

Sine dispensatione mortale est ordinare, vel ordinari extra tempora Jure statuta; & sic ordinatus est suspensus, & inhabilis ad alios ordines.

I. Tempora pro ordinibus majoribus sunt sex tantum Sabbata, hoc est quatuor Sabbata quatuor anni temporum, Sabbatum ante Dominicam Passionis, & Sabbatum Sanctum, ex c. *de eo de Temp. Ordin.* Quod si contingat ob multitudinem Ordinandorum, vel aliam gravem causam non posse absolvi in Sabbato ordines, Sanchez, Henr. Sylv. Ros. Tambur. & alii contra Aversam docent, absolvi posse in Dominica sequenti, sed continuandum jejunium ab ordinante, & ordinandis, ut censeatur manere eadem dies; ideoque addit Pal. Episcopum non posse tunc eidem conferre unum ordinem majorem in Sabbato, alterum in Dominica, quia conferetur eodem die: Croix n. 2291. Semper autem conferuntur in celebratione Missæ, ideoque mane; valide tamen, etsi illicite, extra Missam, cum non deessent essentialia: Sanchez d. 4. contra Sylv. Ang. & alios.

II. Pro Episcopatu est quivis Dies Dominicæ, & non alius dies festivus, ex. c. *Quod à Patribus* 7. Sanchez d. 15.

III. Pro

III. Pro Ordin. min. non solum sunt dicta sex Sabbata, verum etiam quivis dies Dominicæ, vel festum de præcepto; etiamsi solum in ea Diœcesi festum celebretur, ut addit Pal. vel etiamsi in sola Civitate, ut addit Tambur.; &, quamvis Alex. III. velit, ut dictis Dominicis, & Festis non conferantur, nisi uni, vel duobus, addit tamen Sanchez, posse etiam pluribus; quia intentio Pontificis est, ut non appareat ordinatio generalis. Nota hic, quod, quamvis Pontificale Romanum dicat, conferri posse *Diebus Dominicis, & Festivis duplicibus*; tamen Urban. VIII. in novo Pontificali apud Lug. l. 1. *Resp. Moral.* d. 34. addit, ultra Dominicam, *Solis diebus festis de præcepto*; hinc probabilius per festum de præcepto intelligitur, non illud, quod opponitur festo ad libitum, sed quod præcipitur celebrari in foro: Pal. apud Croix num. 2293. & notat Tambur., si dies S. Matthiæ incidat in diem cinerum, adhuc posse conferri ordines minores. Ex generali etiam consuetudine conferri possunt in qualibet vigilia quatuor temporum: Pal. apud Tambur.; ubi additur, ex consuetudine conferri posse à prandio, quamvis Pontificale dicat de mane etiam extra Missarum solemnia.

IV. Pro prima Tonsura aptus est quivis dies, & hora ex Pontificali Romano.

§. III.

De Ordinatione extra tempora.

Nec concessione universali, nec consuetudine datum est Episcopis, ut possint dispensare in temporibus, hoc est, ut quis ordinari possit extra tempora jam explicata. Nuncii Apostolici dispensare solent in his, tantum cum *Arctatis Beneficio*, quod in supplica exprimi debet: quare, si quis non esset beneficio, sed aliunde arctatus, v. g. quia in monasterio deessent Sacerdotes, ordinarie Nuncius non dispensaret, quia in ejus facultate utrumque additur, & ut sit sufficienter beneficiatus, & eo arctatus: Gob.

Ad obtinendum autem à Pontifice facultatem conferendi, seu suscipiendi ordines extra tempora, S. Congr. jussu Papæ decrevit, concedi posse ex his causis: Primo, Si arctatus sis beneficio ad Presbyterium, vel per teipsum

teipsum inservire possis beneficio, quod obtines, aut Capellaniæ ad vitam concessæ: Secundo, Ob solatium Patris, vel Matris, dummodo ex dictis excedant 50. ætatis annos, & saltem in Clericatu honeste triennio vixeris; Tertio, Si sis referendarius utriusque signaturæ, familiaris Pontificis, Canonicus Romæ, eorum Coadjutor, Magister, seu etiam Baccalaureus in Theologia, Doctor saltem juris Canonici, seu Licentiatus, dummodo in publica, & approbata Universitate: Quarto, Si saltem per triennium Theologiæ sedulo studueris: Quinto, Si triennio in Clericatu honeste vixeris, & excedas 26. ætatis annum. Tum addit, ejusmodi indulta non danda impeditis ex delicto, nec infra annum sedis Episcopalis vacantis, nisi arctatis beneficio; nec cogi Episcopos ad eorum executionem, sed relinqui eorum arbitrio, & conscientiæ; nec concedi ad titulum Patrimonii, nisi juxta Tridentinum; nec unquam concedi pro festivis diebus continuis, sed semper interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo; nec demum limites facultatis præscriptos cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu transgrediendos: v. Croix num. 2295.

Est demum privilegium concessum à Gregorio XIII. *Pium, & utile,* ut Religiosi Societatis Jesu possint licite ordinari extra tempora à jure statuta, tribus Dominicis, aut aliis festis diebus etiam continuis, privative ad alios Religiosos; non obstantibus, &c. Addit tamen Rodr. & alii multi cum Dian. Pal. apud Croix n. 2304. Religiosis, quibus ante Trident. licuit ordinari extra tempora, etiam nunc licere, cum non censeatur per Tridentinum sublatum hoc eorum privilegium; quam sententiam tutam esse in praxi, dicit Avers. & pro suis Clericis Regularibus Minoribus testatur sæpius, etiam Romæ, in praxi positam: v. Tamb. l. 7. c. 10. in fine.

§. IV.

De Interstitiis.

INTERSTITIA sunt certa temporis intervalla jure statuta inter susceptionem unius, & alterius ordinis; ita ut non solum gradatim ab inferiori ad superiorem, verum etiam interruptim fiat ascensus. Itaque

Quæ-

Quæres primo, An intercedere debeant interſtitia inter Tonſuram, & Oſtiariatum, & inter hunc, & reliquos minores Ordines?

Reſpondeo, Tonſuram, & Oſtiariatum non admittere neceſſario interſtitia, adeoque ſuſcipi poſſe eodem die, cum nullo jure ſit prohibitum: Doctores communiter. Quoad minores ordines inter ſe, Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 11. *de Refor.* requirit *Temporum interſtitia (niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur) ut in unoquoque munere inſtruantur, & exerceantur, &c.* cum ergo non determinetur intervalli ſpatium, addatque, *Niſi aliud, &c.* ideo prudenti Epiſcopi arbitrio remittitur. Hinc, ut prima tonſura, & duo, vel etiam quatuor ordines minores ſimul, & eodem die ſuſcipiantur, poteſt Epiſcopus diſpenſare ex cauſa (& ſufficere hic qualemcunque, dicit Averſ. apud Tambur.) imo, ubi eſt conſuetudo, poſſet ſine cauſa, quia huic conſuetudini non derogavit Tridentinum: Tambur. ib.

Quæres ſecundo, An, & quæ intercedere debeant interſtitia inter ordines minores, & majores, & inter majores inter ſe?

Reſpondeo, Ex Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 11. *cit.* inter minores, & majores debere intercedere annum, *Niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat:* Item annum inter Subdiaconatum, & Diaconatum; *Niſi aliud Epiſcopo videatur*, ex *c.* 13. Item annum integrum inter Diaconatum, & Presbyteratum, *Niſi ob Eccleſiæ utilitatem ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videatur*, ex *c.* 14. Annus hic ex communi ſententia eſt Eccleſiaſticus, v. g. à Sabbato quatuor temporum Quadrageſimæ ad idem Sabbatum Quadrageſimæ ſequentis anni, quamvis non interceſſerint 12. menſes integri: Poteſt etiam intelligi annus naturalis, ideoque, ſi interceſſerint 12. menſes, quamvis annus Eccleſiaſticus non finierit, adhuc poteris ordinari: Paſqual. apud Tamb.; apud quem tamen non probatur, quod ille addit ex quodam Reſponſo Pontificis, ſatis ſcilicet eſſe, ſi interceſſerint quatuor intervalla temporum, ideoque ordinatum Sabbato Sancto poſſe anno ſequenti ordinari Sabbato quatuor Temporum Quadrageſimæ, cujus appendix tantum, & complementum eſt Sabbatum Sanctum. Demum inter Sacerdotium, & Epiſcopatum de jure communi

nulla est necessitas, ut intercedat dies; ideoque Pal, Gob. Sanch. putant, posse suscipi eodem die Dominico; sed melius negant Suar. Barb. Avers. & alii, quia eodem die bis celebraret: Croix n. 2296.

Quæres tertio, Sub qua culpa, & pœna servanda sint interstitia?

Respondeo, Qui (præcisa Dispensatione, Privilegio, vel consuetudine) suscipit ordinem non servatis interstitiis, peccare graviter; quamvis nullam incurrat suspensionem, aut irregularitatem, utpote nullibi statutam: Doctores communiter. Qui autem eodem die susciperet duos ordines majores, est suspensus ipso facto ab exercitio saltem ordinis ultimo suscepti, & reservatur Papæ, ex *cap. Litteras, de Temp. ordin.* imo secundum Pal. etiam utriusque, si faceret inscio ordinante, quia tunc furtive ageret. Quod si seriem non servet, v. g. si fiat Diaconus, antequam sit Subdiaconus, ex dictis manet suspensus; quia per saltum ordinatur: Pal, Croix n. 2302. ex *c. Un. de Cl. prom, per salt.* Denique veniale tantum est suscipere tonsuram, & ordines sine prævia Confirmatione: Croix.

Quæres quarto, Quis dispensare possit in Interstitiis?

Respondeo, Posse Episcopum ex Trid. cit. & quidem Episcopum proprium, sive sit originis, sive beneficii, sive domicilii. De Episcopo familiaris triennalis negat Pal. affirmat Avers. uterque probabiliter; sed hic probabilius apud Tamb. §. 2. Capitulum autem sede vacante tunc solum potest in his dispensare, cum potest dimissorias concedere: Tamb. Qui ergo ab his accepit dimissorias ad alienum, non potest ordinari ab eo non servatis interstitiis, nisi in dimissoriis addatur, *Etiam non servatis interstitiis;* quia ordinat ex commissione, & tanquam delegatus: Sanch. & alii communiter ex declaratione S. Congr. apud Croix n. 2299. Similiter, si hic alter Episcopus haberet facultatem ordinandi suos extra tempora, & non servatis interstitiis, non ideo posset hunc dimissum; quia, quamvis hic ei subjiciatur quantum ad actum ordinationis, non tamen ad alium effectum dispensationis, vel jurisdictionis: Croix ibid. Nuntii Apostolici, & Legati à latere communiter dispensare solent in temporibus, & interstitiis, cum arctatis beneficio; quod in supplica exprimi debet. Nota demum,

mum, solum Papam dispensare, ut eodem die plures ordines majores suscipiantur, ex Trid. *c.* 15.

Quæres quinto, Quæ sint causæ dispensandi in interstitiis, & quomodo intelligenda verba dispensationis?

Respondeo: Primo, Sufficere qualemcunque causam, imo, ubi est consuetudo, etiam nullam, ut tonsura, & ordines minores simul, & eodem die suscipiantur. Secundo, Ut Acolythatus, & Subdiaconatus eodem die conferantur (in quo etiam posse dispensare Episcopum, docent Sanch. d. 55. & 56. & alii) requiritur *Necessitas, aut Ecclesiæ utilitas*, ex Trid. cit. Tertio, Ut duo ordines majores eodem die suscipiantur, Episcopus dispensare nequit, sed tantum in interstitiis annuis, & quidem cum causa, quam certe requirit quævis dispensatio proportionatam; minorem vero inter Subdiaconatum, & Diaconatum; majorem inter Diaconatum, & Sacerdotium, quia ibi Trid. tantum dicit: *Nisi aliud Episcopo videatur;* hic vero *ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem.* Itaque pro dispensatione interstitii inter Diaconatum, & Presbyteratum requiritur copulative necessitas, & utilitas Ecclesiæ, adeoque non sufficit sola utilitas: inter Subdiaconatum, & Diaconatum non requiritur necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, sed sufficit quævis rationabilis causa arbitrio Episcopi; inter Minores, & Subdiaconatum requiritur disjunctive, vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ.

Necessitas autem hic accipitur moraliter, & cum aliqua latitudine, ut si desint Ecclesiæ Ministri; vel si habeas Beneficium, vel Capellaniam, cui debeas inservire, cum minus decens sit officium præstari per interpositam personam. Utilitas autem, si pauci sint boni Ministri, sive in tota Civitate, sive in aliqua peculiari Ecclesia; vel si tibi sint magnæ litteræ, aut virtus insignis; vel præsumeris aptius inservire Ecclesiæ, vel si vaces studiis in aliqua Universitate, ut scilicet media celebratione missarum te ibi sustentare possis: v. Tamb. §. 2. ap. Croix n. 2297. ubi etiam addit; causas sufficientes pro dispensatione extra tempora multo magis sufficere pro dispensatione in solis interstitiis. Nota denique, quod si dispensatio dicat, *Ad tres ordines majores tribus diebus festivis accipiendos non servatis Interstitiis*, intelligendum de tribus diebus festivis, non continuis, sed

interpolatis aliquo die feriali; probabile tamen est, sufficere festum duplex, etsi non celebretur in foro, sed choro tantum, & ad libitum.

Quæres sexto, An Superiores Regulares dispensare cum suis subditis possint in interstitiis; & quinam habeant in his Privilegium Papæ?

Respondeo, Bonac. Vasq. Henr. Lessius & alios cum Dian. negare ex declarat. quadam S. Congr. Econtra vero Suarez, Sanchez, Pasq. & alios affirmare, cum nomine Episcopi in Tridentino cit. veniant etiam, qui habentes jurisdictionem quasi Episcopalem tribuunt dimissorias suis subditis: utrique probabiliter apud Tambur. cit.; etsi moneat Suarez, ex modestia Religiosorum fieri, ut Superiores in suis dimissoriis rogent Episcopos; ut in his dispensent cum suis Religiosis: causam autem dispensandi requirendam à Superioribus, cum ipsi norint necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ suæ, ut addit Tambur. Ex privilegio autem Pontificio Religiosi Societatis Jesu ordinari possunt extra tempora statuta, & non servatis interstitiis, etiam tribus diebus festis continuis. Requiritur tamen licentia Provincialis, ut dispensentur in interstitiis; Generalis vero, ut dispensentur in ordinatione extra tempora; *ex Comp. Privil. v. Ordines.* Cæteri Religiosi suam praxim, & privilegia consulant.

§. V

De Loco, & reliquis Circumstantiis Ordinationis.

Quæres primo, An possit licite Episcopus ordinare extra suam Diœcesim?

Respondeo, Trident. *sess. 6. c. 5. de Ref.* sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium prohibere, *Pontificalia in alterius Diœcesi exercere;* intellige, sine licentia Ordinarii illius diœcesis. Hinc, quamvis Azor. Henr. & alii cum Busemb. putent, posse Episcopum etiam in aliena diœcesi absque speciali licentia conferre suo subdito primam tonsuram, utpote quæ non est ordo; tamen melius contradicunt Barb. Aversa. Sanch. d. 50. quia tonsurare est actio Pontificalis: Croix n. 2305. Similiter nec Abbas potest extra suum monasterium tonsuram suis conferre. Contra vero quivis Episcopus, etiam titularis, si licentiam habeat

habeat ab Ordinario loci exercendi ibi Pontificalia, poteſt ibidem ordinare quoscunque ſive ſuos, ſive non ſuos ad ſe tamen dimiſſos: Croix n. 2188.; qui n. 2246. ex Led. Dian. contra Gutt. Rodr. Sanch. idem probabiliter ait, etiamſi dimiſſoriæ dicant, *A quovis Epiſcopo in ſua diœceſi reſidente, ſeu ordinante*; quia, quod fit ex mandato, vel licentia Reſidentis, cenſetur fieri à Reſidente. Addit demum n. 2189. quod Epiſcopus ex licentia Ordinarii ordinans in aliena diœceſi, ſi ordinet ejus ſubditos, deberet ſequi ejus ſtatuta quoad ordinandos; ſecus vero, ſi ſuos, vel alienos ad ſe dimiſſos, quibus ſufficit, ſi habeant requiſita illius diœceſis, unde ſunt dimiſſi.

Quæres ſecundo, An licite poſſit Epiſcopus ordinare extra Eccleſiam?

Reſpondeo, Tonſuram, & Ordines minores conferre poſſe etiam extra Eccleſiam in quovis loco decenti. Pro aliis ſic ſtatuit Trid. *ſeſſ. 23. c. 8. de Ref. Ordinationes Sacrorum Ordinum in Cathedrali Eccleſia ... publice celebrentur: Si autem in alio Diœceſis loco ... dignior, quantum fieri poteſt, Eccleſia ſemper adeatur.* Itaque nequit Epiſcopus in quavis Eccleſia ſuæ Diœceſis eos conferre, ſed vel in Cathedrali præſentibus Canonicis, vel in Eccleſia digniori alterius loci Diœceſis præſente illius loci Clero: Sanch. dub. 50. n. 3.

Quæres tertio, Quæ ſint reliquæ circumſtantiæ?

Reſpondeo: Primo, Ante ordinationem debent ex Trid. fieri publicæ proclamationes ordinandi, & item hunc alicui Eccleſiæ, aut pio loco adſcribi, ubi ſuis fungatur muneribus; *Et, ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur*, quam pœnam vides eſſe ferendæ ſententiæ, & paſſim ab Epiſcopis diſſimulari: Croix n. 2317. Item ſecundum Pontificale Romanum apparatus ordinandorum eſt hic: Tonſurandus habere debeat ſuum ſuperpelliceum ſuper brachium ſiniſtrum, & candelam in manu dextera: Minorandus indutus ſuperpelliceo cum candela in manu: Subdiaconandus indutus amictu, non tamen ſuper caput, alba, & cingulo, manipulo in manu ſiniſtra cum tunicella in ejus brachio, candela in manu dextera: Diaconandus, amictu alba, cingulo, & manipulo paratus, ſtolam in ſiniſtra manu, candelam in dextera, dalmaticam ſupra brachium

finiſtrum tenet: Presbyterandus, amictu, alba, cingulo, ſtola, & manipulo paratus, tenet planetam ſuper brachium finiſtrum complicatam, & in dextera candelam, inſuper mappam albam pro ligandis manibus: Secundo: In ipſa ordinatione Ordinans, & Ordinandus ante Sacros Ordines debent eſſe jejuni (illo tamen die, non pridie) cum communicare debeant ex dictis c. 1. §. 4. Ad Minores Ordines, & ad Tonſuram non requiritur jejunium, cum ſæpe conferatur poſt prandium. Illud non omittendum, quòd Presbyterandus, cum ex Ritu, & Conſuetudine Eccleſiæ conſecret cum Epiſcopo (ut ex Decr. Inn. III. oſtendit Mendo contra Dur. Sot. & alios) ideo curare debet, ut verba conſecrationis abſolvat ſimul cum Epiſcopo, nec ante, nec poſt; unde habere debet hanc rationem, *Si verba abſolvero ſimul cum Epiſcopo, volo conſecrare, alias non:* Suar. Averſ. & alii: ſufficit etiam, ſi velit facere, quod ibi vult fieri Eccleſia, aut meliori modo, quo poteſt. Docent tamen Gob. & alii contra alios, non eſſe obligationem ſaltem gravem conſecrandi cum Epiſcopo. cum nulla lex graviter obligans oſtendi poſſit: Croix n. 2322., qui addit, quod, etſi poſſit eam miſſam offerre pro alio, non tamen videtur pro ea accipere poſſe ſtipendium, cum ſæpe dubium ſit, an ipſe conſecret. Tertio, de Nocturno dicendo poſt ordinationem, vide dicta c. 1. §. 4. & de Miſſa etiam ab Epiſcopo tunc Sacerdotibus impoſitis, v. ſupra de Miſſæ Sacrif. c. 4. §. 3.

CAPUT V.

De Titulo Ordinandorum.

UT quis licite ordinetur in Sacris, requiritur ex jure communi Titulus, vel Beneficii, vel Patrimonii, ſeu Penſionis, vel Paupertatis Religioſæ: Idque, etiamſi quis ordinetur ab Epiſcopo ratione ſervitutis triennalis, ut docent Barboſ. & alii contra Vaſq. apud Pal. p. 15. n. 6. Imo alteruter ex prioribus titulis in Provincia Neapolitana requiritur etiam ad primam tonſuram, & ordines minores. Si autem modicum deſit ſummæ ad titulum requiſitæ, curandum non eſt, ait Sanch. ap. Croix n. 2276.

§. I.

§. I.

De Titulo Beneficii.

TRIDENT. *sess.* 21. *c.* 2. *de Reform.* statuit: *Ne quis deinceps Clericus Secularis ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.*

Si ergo beneficium non sit sufficiens (deductis oneribus) ad victum honestum, seu congruum qualitati, si minus personæ, certe status sacri, non potes licite ordinari; ita ut nequeat dispensare Episcopus: Croix num. 2287. An autem suppleri possit defectus talis beneficii per adjectionem patrimonii? est distinguendum; nam Ordinarius potest cum suo Subdito facere combinationem tituli ex beneficio, & patrimonio, ut habet praxis apud omnes; at Bull. Inn. XIII. *Speculatores* prohibet, id fieri posse ab Episcopo cum non subdito, nisi ratione talis beneficii in ejus diœcesi acquisiti: Croix num 2280. Hinc, si Neapolitanus origine habeat beneficium tenue in Diœcesi Nolana, & ad conflandum titulum adjiciat partem patrimonii, quod habet in Diœcesi Capuana, hic titulus potest per se loquendo approbari ab Ordinario Neapolitano, vel Nolano, non autem Capuano; praxis tamen habet, ut Capuæ fiat instrumentum de ea parte, & tum Neapoli approbetur in titulum: Croix num. 2281.

Quæres primo, An beneficium, ut sit titulus sufficiens, debeat actu pacifice possideri?

Respondeo affirmative: Ex verbis Trid. cit. Hinc non sufficit, te esse Nominatum, Præsentatum, Postulatum, seu Electum, seu spem certam illius habere, quia non actu possides: Doctores communiter contra Sayr. Majol. & Gloss. quorum sententiam, stante Trident. cit. non censet Pal. posse sustineri; quamvis apud Croix n. 2273. secundum eam procedant communiter Episcopi, si sincere putetur, quod non sit impedienda possessio. Debet insuper talis possessio esse pacifica, ex Trid. cit. alias non haberes titulum certum; quare, si super eo mota sit lis, sive de jure, sive de facto, non poteris ea durante ordinari: nisi vero lis mota sit super aliqua tantum parte fructuum, ita ut reliqua sufficiat

ad honestam sustentationem, ut bene limitat Barb. apud Pal. t. 27. d. 27. p. 10. n. 8. At quid, si lis mota sit non supra proprietatem beneficii, sed supra possessionem? Rebus. Menoch. & alii putant, te posse ordinari, quia sic non censetur beneficium litigiosum; sed negant Barb. Pal. & alii communius, quia pacifica possessio requisita à Trid. non de proprietate, sed de possessione ipsa videtur debere intelligi; & insuper judicium petitorium semper imitatur possessorium, ex *cap. Significaverunt, de Testibus.* Illud certum, beneficium actu pacifice possessum sufficere, etsi primo anno non percipias fructus, vel nonnisi cum ascenderis ad Presbyteratum, ut ex Sacr. Congr. docet Garz. apud Pal. n. 6.

Quæres secundo, Quid veniat hic nomine beneficii?

Respondeo: Venire jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum, ex cap. *Relatum, de Præb.* & quidem debet esse perpetuum, non solum in persona provisa (cujusmodi est etiam pensio. de qua §. 2.) sed etiam in seipso, ita ut nunquam possit extingui, sed tantum vacare. Hinc non potes licite ordinari ad titulum Capellaniæ manualis, vel Vicariæ temporalis, quia removeri potes ad arbitrium dantis: Doctores communiter contra Gonzal. & alios apud Croix num. 2269. putantes, posse, si ab ea nemo soleat removeri, nisi concessa alia provisione; sed immerito imponitur hoc onus patrono: Pal. c. 4. Neque dicas, etiam beneficiatum removeri jure posse à beneficio ob crimen enorme; nam id oritur præcipue ex ejus libertate, qua vult delinquere, & non ex arbitrio alterius: Croix ibid. Item nequis licite ordinari ad titulum coadjutoriæ cum futura successione, quia potest proprietarius supervivere. adeoque spem solam habes, eamque incertam: Doctores communiter contra Nav. Sanch. & alios: quorum sententiam tunc solum approbant Garz. Pal. & alii communiter, cum pars sustentationis tibi in perpetuum titulum sit assignata; sic enim potes ordinari ad titulum pensionis.

Quæres tertio, An beneficium, cujus titulo es ordinatus, possis deinde resignare? &c.

Respondeo Trid. cit. ita statuere: *Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur,*

nisi

nisi constito, quod aliunde vivere commode possit: aliter facta resignatio nulla est. Itaque tunc solum poteris licite & valide resignare, cum adest ea duplex conditio, & quod *mentionem facias, &c.* & quod *aliunde habeas*, &c. Si autem resignes sub pensione sufficienti ad honestam sustentationem, Nav. Rodr. & alii putant, non opus esse *Fieri mentionem*, &c. quia non est plena resignatio, & aliunde satisfacis intentioni Trid. ne scilicet mendicare, cogaris: sed oppositum dicendum cum Pal. num. 10. & aliis communius; quia intentio Tridentini est, ut id, unde vivere commode possis, vinculetur eisdem conditionibus Tituli, ac erat Beneficium, cui non satisfit, si *mentio non fiat, &c.* Croix num. 2286. Idem docent Pal. & alii communiter de permutatione cum alio beneficio: qua in re non censetur legitima opposita decisio S. Congr. ap. Barbos. Idem de hypotheca, seu obligatione fructuum beneficii, vel in subsidium aliorum bonorum, quia hypotheca est quædam virtualis alienatio, Arg. *l. ult. C. de reb. non alienand.*

An autem vacet tibi tale beneficium, si contra dictam Tridentini formam resignaveris? Distinguendum est cum Pal. n. 10. & aliis: & negandum, si aliunde habeas honestam sustentationem, quia nullibi hæc vacatio cauta est in tali casu; affirmandum vero, si aliunde non habeas honestam sustentationem, quia sic Ordinarius resignationem admittens tenetur tibi alimenta præstare, & beneficium illud remanet providendum à Superiore, ex Bull. Pii V. & Decr. S. Congr. ap. Pal. n. 12. Hinc, si post Subdiaconatum contra Trid. formam resignaveris, poteris super eodem titulo promoveri ad Superiores ordines in primo casu: secus vero in secundo: Croix ibid.

§. II.

De Titulo Patrimonii, seu Pensionis.

Trid. cit. addit: *Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum; Eo quoque prospecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint.* Hinc, quamvis Episcopus teneatur ordinare eum, qui habet

titulum beneficii de se sufficientis; non tamen eum, qui accedit cum titulo patrimonii, vel pensionis, etiamsi in supplementum defectus Beneficii insufficientis; nisi necessitati, vel commoditati suarum Ecclesiarum judicaverit expedire: Pal. p. 11. n. 1.

Quæres primo, Qualis debeat esse pensio, ut possit quis eo titulo ordinari?

Respondeo, Debere esse sufficientem ad honestam sustentationem, & insuper perpetuam ad vitam ipsius ordinandi. Hinc non sufficit assignatio mensæ Episcopalis, ex Declar. S. Congr. apud Croix num. 2271. quia onus alendi ordinatum non potest imponi successori; addit tamen Croix, sufficere, si consentiat Capitulum, quod censetur facere, si sciat, & non contradicat; v. ibidem: similiter sufficit titulus alicui erectus à Monasteriis, vel Collegiatis, si adsit consensus Capituli, nec tunc requiritur hypotheca specialis, cum bona Ecclesiarum nequeant regulariter alienari: Engel. apud Croix n. 2270. Contra vero non sufficiunt Pitantiæ, aliave emolumenta, quæ exercitio suorum ordinum habere quis posset, quia per infirmitatem, vel aliam causam involuntariam impediri omnino ab iis posset; idque, etiamsi Episcopus se obliget supplere, quidquid postea defecerit, quia potest præmori ordinato: Pal. p. 10. n. 3. Idem à fortiori dicendum cum communi contra Henr. Avil. & alios de emolumentis ratione Doctoratus, Theologiæ, Scholæ, Musicæ, ex Decr. S. Congr. apud Croix n. 2275.

Quæres secundo, Quale debeat esse patrimonium, ut possit quis eo titulo ordinari?

Respondeo, Debere esse aliquid stabile, puta agros, domus, emptiones super arrendamenta, census, bancos, & similia, juxta constitutiones synodales; ideoque non esse quid Ecclesiasticum, quamvis gaudeat privilegio fori Ecclesiastici, quamdiu est titulus ordinati. Census etiam redimibiles censentur immobiles, si adhibeatur ea cautio, ut, si redimantur, pecunia ex Judicis decerto deponatur apud idoneas personas, ut iterum constituatur census: Pal. p. 11. num. 9. & alii contra Bonac. & alios. Porro titulus patrimonii debet ordinarie assignari cum obligatione reali, & hypotheca, ita ut transeat cum re ad quamcunque personam jure ordinario hypothecæ: Croix num. 2270., ideoque ordinarie cavetur, ne

obligatio

obligatio fiat tantum bonorum in genere, sed fiat in specie, & per instrumentum assignationis cum judicio Episcopi de ejus sufficientia; quare non satis est, si fiat in solis syngraphis, vel instrumentis per notarium tantum, & testes subscriptis: v. Croix num. 2279. Hinc, si Titius accipiens titulum patrimonii à Communitate obligante tantum in communi sua bona, & metuens, ne rejiciatur ab Ordinario, curet in instrumento assignationis exprimi hypothecam, etiam specialem, inscia Communitate, illicite ascendit ad ordines; nisi vero Ordinarius soleat admittere hypothecam tantum generalem: v. Croix num. 2285. præmittit tamen num. 2272. ex Jord. & aliis, mentem Trident. esse, patrimonium constitui debere super aliquid certum, determinatum, & irrevocabile: subdit demum ib. ex Barb., quod, si urgeat penuria Sacerdotum, sufficiat ad titulum, si quis etiam privatus promittat, se subministraturum omnia Ordinando, quia minus videtur hoc damnum, quam illud. Denique pro titulo patrimonii non sufficit, quod filius certo expectet legitimam pinguem à patre, quia eam non actu pacifice possidet. Si tamen pater sit dives, potest filius eum adstringere, ut sibi patrimonium irrevocabiliter assignet pro titulo: Pal. à n. 2. Hoc autem assignatum negant multi debere computari in legitimam, cum sit veluti donatum filio ad sustentationem quotidianam; sed verius affirmant Pal. ib. Mol., Garz., & alii, quia bona talia non alienantur, sed redeunt ad hæredes; ergo censentur esse legitima.

Quæres tertio, An possis alienare patrimonium, seu pensionem, cujus titulo es ordinatus?

Respondeo, Trid. cit. ita subdere: *Atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Hinc absque licentia Episcopi nullatenus potes patrimonium, vel pensionem vendere, permutare, hypothecare, transigere, dividere, dare in solutum, &c., quia hæc omnia alienationes reputantur: Pal. p. 11. num. 9. & alii. An autem sint non solum illicitæ, sed etiam invalidæ ejusmodi alienationes factæ absque licentia Episcopi? Distinguendum est: si enim fiant, antequam habeas, unde stabiliter vivere possis, jure communi probabi-

babilius sunt nullæ; quia, quamvis Trid. non apposuerit hic clausulam expresse irritantem, ut in resignatione beneficii, tamen apposuit illam virtualiter sub illo adverbio *nullatenus* possint. quod omnem potentiam tollit: Pal. & alii communius contra Suar. Ledesm. & alios: si autem fiant ab habente, unde commode vivat, probabilius, & communius sunt validæ jure communi, quia licentia Episcopi requiritur *donec*, &c. ergo, si habeas aliunde, non videtur ex Trid. requiri ad valorem; requiritur tamen, ut actus sit licitus, ad erigendum scilicet novum titulum, & Jure Synod. hujus Provinciæ Neapolitanæ in utroque casu requiritur, ut actus sit validus. Episcopus autem dans hanc licentiam est Ordinarius domicilii, vel loci, ubi patrimonium situm est, vel originis, sicut ad ordines: Pal. num. 13.

Quæres quarto, An, si accepisti patrimonium ad ordines sub pacto, & conditione, ut donanti reddas totum, aut partem, vel eo non utaris, &c. tenearis hanc conditionem implere?

Respondeo, Circa hoc punctum nihil disponere Jus speciale Synod. Neapolitanæ. Loquendo ergo de jure communi, dico cum distinctione: si enim tibi detur patrimonium sub obligatione reddendi, &c., cum beneficium sufficiens fueris adeptus, vel aliunde habeas, unde vivas, teneris conditionem implere; quia in eo casu nulla tibi obligatio imponitur jure communi irrita: Garz. Pal. num. 16. & alii; idemque est de pacto reddendi illud post mortem: Croix num. 2283. Si autem detur tibi patrimonium sub obligatione, &c., tametsi nec beneficium, nec aliud habeas, unde vivas, Nav., Henr., Rodr., Tol., & alii docent, susceptis ordinibus, pactum illud evadere nullum, utpote in præjudicium Episcopi, & Ecclesiæ. Avil., Suar., Sanch., & alii multi docent, esse validum, quia res non fuit absolute donata, sed ad summum accommodata pro aliquo tempore, nec poteras ejus dominium acquirere, nisi pro voluntate donantis. Pal. num. 15. melius distinguit, tripliciter posse constitui tale patrimonium fictum: Primo, Sub pacto, & conditione, ne donatum petas, neve illo utaris; ideoque verbotenus, & absque intentione donandi: Secundo, Sub intentione donandi, sed pro limitato tempore, adeoque proprie commodandi; Tertio, Sub intentione quidem absolute donandi, sed sub

sub onere retrodonandi: Primo, & secundo modo valet secunda sententia: tertio modo valet prima sententia; in foro tamen externo rescindenda est illa retrodonatio in pœnam Donatoris intendentis decipere Episcopum, & Ecclesiam: v. Pal. cit.

§. III.

De Titulo Paupertatis Religiosæ.

Soli Religiosi professi, ex Bul. Pii V. *Romanus*, & Religiosi Societatis Jesu post vota simplicia biennii novitiatus ex Bul. Greg. XIII. *Ascendente*, promoveri possunt ad Sacros Ordines titulo Paupertatis valide jam votæ Deo, & perpetuo ex se duraturæ.

Hinc Novitii non possunt licite ascendere ad Sacros Ordines, nisi titulo beneficii, aut patrimonii, vel pensionis; quia secus ordinarentur absque ullo titulo. Possunt tamen licite suscipere primam tonsuram, & ordines minores; quia ad hæc jure communi non requiritur titulus, & illi gaudent privilegio exemptionis à jure speciali Synodali. Quod autem S. Greg. *l.* 8. *ep.* 23. *de admissis ad Religionem;* dicit: *Nullo modo audeant tonsurare, priusquam biennium in conversione compleant;* sensus est, quod, ubi consuetudo est biennii pro novitiatu, non debeant ante hoc completum admitti ad tonsuram Monachalem: Sanch. l. 6. *Decal.* c. 10. num, 19.

Invalide autem professi ob aliquod impedimentum, &c. Neque possunt licite ascendere ad Sacros Ordines titulo paupertatis, ut docent omnes ex *eadem Bull. Pii V.* Item ejecti, sive erant in Sacris titulo paupertatis, sive quovis alio titulo, manent perpetuo suspensi, & à solo Pontifice relaxandi, ex *Decr. S. Congr.* apud Donat. t. 1. p. 2. Religiosi autem dimissi è Societate, si ordinati erant titulo paupertatis, quamvis possint in suscepto Ordine ministrare, non tamen possunt ad Superiores Ordines ascendere sine novo titulo beneficii, vel patrimonii, seu pensionis; nec Societas tenetur eos alere, &c., uti nec Episcopus tenetur alere Sacerdotem à se ordinatum titulo beneficii, si ob aliquod crimen jure eo privetur: Croix num. 2288.

§. IV.

§. IV.

De pœnis Ordinationis absque titulo.

VIDENDUM primo, De pœnis jure communi: Secundo, De pœnis jure speciali.

Jure communi, in Concil. Calcedon. relato in cap. *Neminem*, & in Concil. Placent. relato in cap. *Sanctorum d.* 70. irrita (hoc est suspensa ab exercitio) erat ordinatio absque titulo. Deinde ab Alex. III. in cap. *Episcopus*, & ab Innoc. III. in cap. *Cum secundum, de Præben.*, sublata hac pœna statutum fuit, ut Episcopus ita ordinans teneatur alere ordinatum, donec ei provideat de beneficio, nisi is habeat, unde commode vivat; quam legem Bonifacius VIII. in cap. *Si Episcopus, de Præb. in* 6., explicans definivit, ut intelligatur de ordinatione per commissionem. ita ut, si Episcopus committens signavit ordinandos, teneatur ipse alere; si vero non signavit, teneatur Episcopus, cui fit commissio. Denique Trid. sæpe hic cit. statuit, quæ jam §§. ant. diximus, in quorum fine addit: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.*

Quæres primo, Quas pœnas incurrat Episcopus culpabiliter ordinans aliquem absque titulo?

Respondeo, Incurrere obligationem providendi ordinato de beneficio sufficienti, & interim omnia necessaria subministrandi, ex cap. *Episc.*, & cap. *Cum secundum* cit. quod aliqui cum Flam. extendunt, etiamsi ordinatus patrem habeat divitem; sed rectius Barb. Pal. pag. 12. num. 1. negant, quia sic absolute non eget, cum jure naturæ debeantur ei alimenta paterna, & bona Ecclesiæ solum debeantur in subsidium egenorum, ex cap. *Clericos* 1. *q.* 2. Si autem inter Ordinantem, & Ordinatum intercesserit pactum, ut is illum non sit molestaturus super beneficio, & alimentis debitis, ordinans suspenditur triennio à collatione ordinum, cap. pen. *de Sim.*

Quæres secundo: Quas pœnas jure communi incurrat ordinatus absque titulo?

Respondeo cum distinctione: Si enim pactus sit cum ordinante, vel præsentante, de non petenda congrua sustentatione sibi debita, suspenditur ab exercitio ordinis

sic

sic suscepti, cap. *Per tuas*, & cap. pen. *de Sim.* Si id pactus non fit, Sa, Tol., Henr., Tamb., & alii putant, non incurrere suspensionem, quia hæc pœna lata jam cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum* cit. sublata fuit cap. *Episcopus*, & cap. *Cum secundum* cit., nec videtur à Trid. cit. restituta, cum ejus expressam mentionem non fecerit: sed rectius contradicunt Suar., Barb. Pal. Bon. & alii; quia Trid. cit. non solum pœnam, sed pœnas antiquorum canonum innovat, & in cap. *Episc.*, & cap. *Cum secundum*, una tantum pœna adversus ordinantem infligitur; ergo dicendum, innovari etiam pœnam adversus ordinatum statutam cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*. Idem docent Suar., Laym., Bonac., Sanch., & alii plures contra Pal., & alios, si ordineris titulo ficto, ita ut solus tu, & non ordinans peccet, quia cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum* cit. imponitur suspensio ordinatis sine titulo, sive scienter, sive ignoranter, cum ergo titulus fictus sit nullus, sequitur, &c.

Quæres tertio, Quas pœnas jure speciali incurrat, qui ordinatur absque titulo, vel titulo ficto?

Respondeo, Novitios, si ordinentur in Sacris titulo paupertatis, incurrere suspensionem; &, si in ordine sic suscepto ministrent, irregularitatem, ex *Bull. Pii V.* cit. Idemque est, si sic ordinetur in Sacris, qui emisit professionem invalidam: item Professus, si ejiciatur è Religione, manet perpetuo suspensus: Secundo, Ultramontani omnes, vel nati extra Italiam, si ordinentur intra Italiam cum patrimonio ficto, suspensionem perpetuam incurrunt, nonnisi à Pontifice relaxandam, ex Bul. Urb. VIII. *Secretis*: Tertio, In Synod. Neapol, statuta est suspensio ipso facto à susceptis contra eos, qui falsum, fictum, aut fiduciarium patrimonium ad ordines suscipiendos subjecerint: item contra eos, qui patrimonium, aut beneficium, cujus titulo sunt ordinati, alienaverint, aut resignaverint, non subrogato alio sufficienti patrimonio, vel beneficio facultate Ordinarii: & in Tabell. additur, ex dicendis infra, reservatio casus cum excomm. in Clericos exhibentes ejusmodi patrimonium, non absolvendos, nisi constituto reali patrimonio, & causa discussa: item contra constituentes, aut consulentes, aut quomodolibet cooperantes ad ejusmodi patrimonium quomodocunque fraudulentum, etiam ad primam tonsuram præsentandum.

Quæ-

Quæres quarto, Quodnam dicatur patrimonium falsum; fictum, aut fiduciarium?

Respondeo, Dici falsum, seu fictum, cum bona assignata revera non sunt, vel non sunt propria ordinandi, sive in totum, sive quoad partem notabilem: fiduciarium autem dici, cum bona possidentur cum prævio pacto non exigendi fructus annuos, vel retrodonandi, vel quomodolibet retrocedendi, sive in totum, sive quoad partem notabilem, ante obitum provisi. Hoc autem confingere, præsentare, &c., mortale est ex toto genere: idemque est, si patrimonium, seu pensionem, cujus tutulo es ordinatus, vendas, permutes, &c. v. Tamb. l. 7. c. 7. §. 4.

Hucusque de V. Tractatu Theologico-Morali dicta sint satis.

TRA-

TRACTATUS VI.

Theologico-Moralis

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ.

SALUBERRIMUM hoc Sacramentum varie appellatur à PP., & Conciliis, nempe Secundus Baptismus, Secunda Tabula post naufragium, Sacramentum Reconciliationis, Absolutionis, Exomologesis, seu Confessionis, sed præcipue Pœnitentiæ, ob contritionem, vel attritionem, qui sunt actus proprii hujus Virtutis. Hinc Theologi loquuntur hic de Pœnitentia, & ut Virtus est, & ut Sacramentum; nam ut Virtus est, & ut Sacramentum; nam ut virtus communis est omni legi etiam scriptæ, & naturali; ut Sacramentum, propria est legis Evangelicæ. Institutum enim fuit à Christo, *Præcipue cum à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos: Joan. 20. dicens, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*

peccata &c. Trid. *sess* 14. *de Pœnit. c.* 1. & cum D. Th. definitur, *Sacramentum Reconciliationis post lapsum, in actibus Pœnitentis, & absolutione Sacerdotis consistens.* Itaque ejus materia remota sunt peccata, materia proxima sunt actus Pœnitentis: forma vero Sacerdotalis est Absolutio: Doctores omnes ex Flor. & Trid. cit. Equidem omissis, quæ ad Scholasticos pertinent, Tractatum moralem in duas disputationes divido: I. Erit de iis, quæ pertinent ad Pœnitentem: II. De iis, quæ pertinent ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ.

DISPUTATIO I.

De iis, quæ pertinent ad Pœnitentem.

QUINQUE ad Pœnitentem pertinent: I. Necessitas, & Præceptum Pœnitentiæ: II. Examen Conscientiæ: III. Cordis Contritio: IV. Oris Confessio: V. Operis Satisfactio: quæ omnia quinque quæstionibus absolvam.

QUÆSTIO I.

De Necessitate, & Præcepto Pœnitentiæ.

TRID. loc. cit. loquendo de Pœnitentia in genere ait, *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui petivissent.* Si fuit necessaria, fuit etiam præcepta, cum quisque teneatur adhibere medium sibi necessarium ad salutem. Hinc videndum, quæ sit hæc necessitas, quod præceptum, quando, & quos obliget?

CAPUT I.

Quæ sit necessitas Pœnitentiæ?

SUPPONO, ex dictis etiam alibi, aliqua dici tantum necessaria necessitate præcepti, quo scilicet præciso non

non essent necessaria ad salutem, ut est auditio Missæ die Festo, restitutio, &c. Aliqua vero dici necessaria etiam necessitate medii, ita ut sine illis, utut invincibiliter omissis, non obtineatur salus: & hæc, alia dici sic necessaria in re, ita ut in seipsis, & non aliter, haberi debeant; qualis est Fides, Gratia Sanctificans, &c. Alia vero dici sic necessaria vel in re, vel in voto, ita ut, si in se ipsis haberi nequeant, debeant optari saltem implicite, & simul quæri per aliquid aliud, quod suppleat eorum defectum, qualis est baptismus, qui, si in seipso haberi non possit, debet saltem implicite desiderari, non quomodocunque, sed per actum amoris Dei, vel contritionis, vel martyrii, quæ suppleant ejus defectum. His suppositis

Dico primo: Ob peccatum originale, si solum sit, non est necessaria pœnitentia, neque ut Virtus est, neque ut Sacramentum: Doctores communissime. Ratio est, quia, cum originale non fuerit nobis physice voluntarium, non est opus physice à nobis retractari, sed sufficit, ut quisque sua voluntate, vel aliena, quando sua non potest, submittat se remedio, quod Deus instituit ad illud delendum; nempe circumcisioni in lege veteri, baptismo in nova. Hinc ab Alex. VIII. damnatur in Jansenist. hæc Prop. 19. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.* At, si originale in adulto nondum baptizato conjunctum sit cum aliquo mortali personali, non remittitur sine aliqua de hoc pœnitentia prævia ad baptismum, ex Trident. citat. Quapropter hæc erit ei necessaria necessitate medii, vel in voto; ita ut vel eliciat actum saltem attritionis in Baptismo fluminis, vel actum contritionis, aut charitatis in baptismo flaminis; vel subeat martyrium in baptismo sanguinis: Doctores communiter.

Dico secundo: Ob peccata venialia, si sola sint, etsi utilis, & consulenda sit pœnitentia, tamen non est simpliciter necessaria in hac vita, neque ut virtus, neque ut Sacramentum: Doctores communiter ex Tridentin. *sess.* 14. *c.* 5. Ratio est, quia venialia per se non pugnant cum gratia, & sufficit ea retractari, eisque satisfieri post mortem. Præterea ad remissionem venialis (si non sit conjunctum cum mortali) satis est quivis actus alterius virtutis supernaturalis, dummodo habeat oppositionem aliquam saltem virtualem cum illo, puta

per actum eleemosynæ remittitur actus avaritiæ venialis, &c. Suar. & alii contra Vasq. & alios: item satis sunt Sacramentalia, ut aspersio aquæ benedictæ, benedictio Episcopalis, &c.; quatenus per ea rite suscepta movetur Deus ad excitandos in nobis actus sufficientes ad talem remissionem; Bonac. & alii. Si autem retractentur à justo omnia venialia per actum virtutis pœnitentiæ, remittuntur quidem extra Sacramentum, sed non omnia; quia secus nunquam in Justo remitterentur vi Sacramenti, quod requirit dolorem eorum, quæ per ipsum remittuntur, ut not. Platel. & alii contra Suar. & alios.

Dico tertio: Ob peccatum mortale personale est cuique peccatori simpliciter necessaria necessitate medii pœnitentia vel in re, vel in voto: Doctores communissime cum D. Th., ita ut Aversa. Platel. & alii dicant, esse de fide, ex Trid. cit. c. 1. Ratio est, quia Homo est agens liberum, & per mortale personale se libere avertit à Deo, ergo congruum fuit, ut se iterum per motum suæ liberæ voluntatis ad Deum convertat, atque aptissimus motus se convertendi ad Deum erat actus pœnitentiæ, seu dolor, & detestatio peccati: ergo congruum fuit, ut hæc foret tali peccatori necessaria necessitate medii ad salutem. sive in re, sive in voto, quando per ignorantiam, aut impotentiam haberi ea in re non possit. Itaque peccatori, si non sit baptizatus, necessaria est pœnitentia ut virtus est, sive in re, sive in voto, juxta dicta concl. 1. At, si sit baptizatus, est jure positivo necessaria etiam ut Sacramentum est, ex Trident. *sess.* 14. *can.* 6. & 7. ita ut absolvi debeat Sacramentaliter, vel si non potest, optet tamen saltem implicite ita absolvi; aliter non salvabitur: hoc autem votum confessionis non est qualecunque desiderium illius, sed præcise includi debet in aliquo ex tribus actibus mox explicandis, in quibus virtualiter habetur Sacramentum Pœnitentiæ.

Habetur primo in actu contritionis perfectæ, qui proinde justificat etiam extra Sacramentum, ex Trid. *sess.* 14. c. 4. cum procedat ex amore Dei perfecto, & sit votum saltem implicitum servandi omnia præcepta graviter obligantia, inter quæ est præceptum divinum confitendi mortalia post baptismum commissa, idcoque est Sacramentum Pœnitentiæ in voto.

Habe-

Habetur secundo in actu charitatis perfectæ, quo diligitur Deus super omnia simpliciter, quique etiam justificat extra Sacramentum, ex Proverb. 8, *Ego diligentes me diligo*, & 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum:* & sane, si tota vis contritionis ad delendum peccatum sita est in ratione charitatis, ut bene ponderat Lug. d. 5. n. 95. & charitas etiam per se ipsam est votum saltem implicitum servandi omnia præcepta, adeoque etiam confessionis, sequitur, ut etiam sufficiat ad justificationem peccatoris: saltem obliti peccati sui; si enim recordetur, D. Th. Bell. Suar. Con. & alii putant; eam non sufficere sine formali, & actuali dolore; quamvis etiam sufficere probabiliter dicant Tann. Arriag. Lug. Averss. & alii, cum implicite includat votum suscipiendi suo tempore Sacramentum Pœnitentiæ, adeoque eliciendi tunc dolorem formalem.

Habetur tertio in Martyrio, quod remittit omnem culpam, & pœnam: Doctores communiter ex cap. *Cum Marthæ, de Celebr. Missæ*, ubi dicitur, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Putant tamen D. Th. D. Bon. Nav. Alens. Scot. Dur. Vasq. Laym. & alii, id non habere ex se, sed ex actu charitatis adjuncto; ita ut, si peccator bona fide, & invincibiliter talem actum omitteret in martyrio, non justificaretur per illud; quia 1. Corinth. dicitur, *Si tradidero Corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sed probabiliter etiam contradicunt Cajet. Sot. Val. Bell. Suar. Con. Bon. & alii; quia Matth. 10. Marc. 8. Luc. 9. Joan. 12. expresse promittitur salus æterna hoc ipso, quod quis vitam suam ponet propter Christum; quod certe facit, qui mortem sustinet præcise pro defensione fidei, vel alterius virtutis christianæ, nisi tunc non cogitet de eliciendo actu charitatis perfectæ; ergo ex privilegio Christi per se habet martyrium, ut justificet; estque præterea Sacramentum in voto, cum voluntas subeundi martyrium pro lege Christi sit saltem implicite votum servandi omnia ejus præcepta, adeoque etiam suscipiendi Sacramentum, si possit. Illud autem Apostoli intelligitur, non pure negative, sed contrarie, hoc est, *Si propria sponte, vel ex pravo fine, vel non ex aliqua virtute tradidero, &c.* ut notat Averss.

Objicies: Ex dictis sequitur, observantiam omnium præceptorum esse etiam peccatori necessariam necessitate

medii, vel in re, vel in voto, quod etiam includitur in actu contritionis, charitatis, & martyrii, & consequenter nihil erit necessarium necessitate tantum præcepti.

Respondeo, Nego sequelam; ideo enim Sacramentum Pœnitentiæ est peccatori necessarium necessitate medii vel in re, vel in voto, quia ipsum est, quod talem peccatorem principaliter justificat, vel formaliter in seipso positum, vel virtualiter in ejus voto inclusum in contritione, charitate, martyrio, quæ proinde ab ipso habent, ut loco ipsius justificent. At aliorum præceptorum observantia non justificat peccatorem, ut patet, & consequenter nec ejus votum, nisi in quantum est etiam votum confessionis. Itaque votum servandi omnia præcepta est quidem peccatori necessarium necessitate medii; at observantia ipsa præceptorum est tantum necessaria necessitate præcepti.

CAPUT II.

Quod sit Præceptum Pœnitentiæ.

Dico primo: Nullum est præceptum per se obligans ad statim pœnitentem post mortale personale. Ita probabilius, & communius Doctores post D. Thom. Suar. Vasq. & alios plurimos contra Cajet. D. Anton. Innoc. IV. Sylvest. Abul. Carden. & alios, quos sequuntur, Rigoristæ. Ratio est, quia præceptum statim pœnitendi non est positivum, cum nullibi sit clare expressum; &, cum plurimi illud ignorent, non est sufficienter intimatum; hinc nemo se accusat, quod non statim pœnituit, nec Confessarii de hoc interrogant. Neque hoc est præceptum naturale; nam, ut aliquid censeatur esse de lege naturæ: debet ejus obligatio afferre majus bonum toti generi humano, quam affert negatio talis obligationis; atqui obligatio statim pœnitendi hoc non affert; imo, cum difficillimum sit statim detestari, quodantea placuit, exponerentur passim homines continuis periculis peccatorum, omittendo pœnitentiam sic præceptam: ergo, &c. Perez, & alii. Addo tamen cum communi contra Vasq. quod, licet non sit obligatio statim pœnitendi, per se tamen obligatur peccator non diu differre pœnitentiam: Primo, quia Eccl. 4. dicitur, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius,*

illius, &c. per quæ verba indicatur præceptum præveniendi articulum mortis: Secundo, quia per se, & intrinsece malum est exponere se periculo probabili damnationis, quale est pœnitentia dilata ad articulum mortis, cum communiter animus est perturbatus ex plurimis causis: ergo est per se obligatio non diu differendi pœnitentiam: Tertio, quia omnis homo etiam justus tenetur per decursum vitæ, & quidem sæpius, quam singulis quinquenniis elicere actum charitatis Dei, ut constat ex alibi cit. Prop. 6. damnata ab Inn. XI. sed hoc præceptum est naturale, juxta omnes, ergo multo magis tenetur peccator ad talem actum, adeoque ad pœnitentiam saltem virtualem; imo addit Avers. ob majorem necessitatem, & periculum, quod affert peccatum commissum, merito brevius tempus constitui, pro obligatione pœnitentiæ, relinquendum tamen arbitrio prudentium pro diverso statu personarum, & circumstantiarum.

Objicies primo contra conclusionem; Qui non statim dolet de peccato commisso, exponit se iterum periculo peccandi, cum sit hostis Dei merito subtrahentis auxilia, ergo non statim pœnitendi peccat; ut videntur inferre PP. ex parabola decem Virginum, in qua Christus præcipit *Vigilare*, hoc est à peccato statim surgere: Secundo, Qui videt proximum peccasse, tenetur quamprimum eum potest corrigere, &, qui esset causa, ut ille permaneret in peccato, peccaret, ergo à fortiori, qui libere permanet in suo peccato: Tertio, Qui contraxit grave malum corporis, tenetur illud quam primum curare: ergo à fortiori, qui contraxit malum animæ.

Respondeo ad primum. nego antec., loquendo de periculo proximo, cum Deus non soleat peccatorem statim deserere, sed si nimis diu differat pœnitentiam, vel perseveret in actu malæ voluntatis peccandi, quo sensu loquuntur PP. cit. Ad secundum, nego paritatem: ideo teneris quamprimum potes corrigere proximum, quia non est in tua potestate nova opportunitas; at semper potes teipsum corrigere: si autem esses causa, ut ille perseveret in peccato, utique peccares, quia positive influeres, & quoad tuam pœnitentiam mere omissive te habes, eo quod non tenearis tunc pœnitere. Ad tertium, ait D. Thom. in 4. d. 17. q, 3. a. 1. q. 4. ad 2. non esse de necessitate salutis corporalis, quod infirmus statim quærat

rat Medicum, nisi. quando necessitas curationis urget: similiter de morbo spirituali.

Objicies secundo: Peccatum habet rationem injuriæ realis, cum auferat Deo debitum obsequium; sed pro injuria reali debetur restitutio, quamprimum potes: ergo, &c. Secundo, Si rebellis diceret Regi: *Nolo nunc pœnitere*, censeretnr contemnere Regem: ergo similiter peccator, qui non statim reconciliatur Deo. Tertio, Qui peccavit contra Fidem, tenetur statim elicere actum Fidei: ergo & qui peccavit contra aliam virtutem. Quarto, Ex D. Th. non licet manere in peccato vel ad modicum tempus.

Respondeo: Ad primum, omissa majore, de qua aliqui dubitant, nego consequentiam. In tantum injuria realis facta homini inducit obligationem statim restituendi, in quantum dilatio pergit in effectu ei nocere; at Deo nulla injuria in effectu nocet, cum non sit in se capax; & ideo non tenetur peccator statim Dei reficere injuriam, neque quoties in ejus memoriam venerit, contra Valent. Ad secundum, nego paritatem. Homines non vident cor, & ideo ex illo dicto præsumunt sui contemptum; at Deus intuens cor cognoscit peccatorem non statim pœnitentem quasi dicere, *Non doleo nunc, quia Deus non præcipit nunc: pœnitentiam agam suo tempore:* in quo nullus est contemptus. Ad tertium, nego etiam paritatem. Ideo tenetur prior statim ad actum Fidei, quia status infidelitatis cognitus est actuale peccatum: non sic vero status peccatoris. Ad quartum, D. Thom. loquitur de actuali voluntate non resistendi tentationi, quæ voluntas est actuale peccatum.

Dico secundo: Datur præceptum Divinum positivum subjiciendi Sacramento pœnitentiæ omnia, & singula mortalia commissa post baptismum: Ita definitum est à Trid. *sess.* 14. *can.* 6. *&* 7. ubi dicitur, esse *Ab institutione, & mandato Christi.* Hoc præceptum infertur etiam ab eo Trid. *c.* 7. ex Verbis Christi, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* Si enim Sacerdotibus data est hæc potestas, quæ dicitur *Clavium*, datum est etiam præceptum Fidelibus subjiciendi his clavibus mortalia, ut remittantnr, vel retineantur, & ut eo rubore deterreantur ab illis committendis, & ut pro commissis recipiant congruas medicinas, facilemque remissionem; cum contritio perfecta sit valde difficilis, & plerumque putata.

Hinc

Hinc neque eximitur ab hoc præcepto peccator perfecte contritus, ut putarunt D. Bonav. & Rich. à S. Vict. qui scripserunt ante Trid.

Objicies : Mortalia remissa sunt per contritionem perfectam : ergo Sacerdos non amplius habet potestatem ea remittendi; item nec retinendi, cum sint jam à Deo remissa : ergo nec peccator habet tunc obligationem ex præcepto Divino ea confitendi.

Respondeo, Nego utramque consequentiam. Mortalia remittuntur per contritionem, quatenus ipsa est votum confessionis faciendæ; quapropter potestas ligandi in Sacerdote consistit in hoc, quod peccator, etiamsi contritus, debeat aliquando se illi sistere, ut à tali obligatione solvatur, & pœnitentiam recipiat pro nova remissione Sacramentali: hinc ex potestate Sacerdotis infertur obligatio in contrito; nam, nisi ea imposita esset obligatio procurandi absolutionem Sacramentalem, nullo modo posset Sacerdos peccatores ligare; cum non posset impedire, quominus per contritionem, sine voto confitendi, liberentur à peccatis. Idem est de potestate remittendi talem obligationem, & iterum peccata jam remissa; quatenus per absolutionem Sacerdotalem, confert gratiam, quæ de se esset remissiva; si inveniret peccatum nondum remissum.

Quoad venialia, Per se loquendo, nullum est præceptum Divinum obligans ad eorum confessionem, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5.; & probabilius neque Ecclesiasticum juxta dicenda cap. 3. Posset tamen Ecclesia id præcipere; cum confessio venialium sit actus externus virtutis valde utilis, & non adeo difficilis : D. Thom. Lug. Dicast. & alii contra Palud. Sot. Suarez, & alios; imo probabilius est, Fundatores Religionum quandoque præcepisse confessionem venialium, saltem sub veniali, ut limitat Aversf. Neque ex dictis infertur, quod venialia fierent materia necessaria confessionis; nam sola confessio fieret materia necessaria præcepta, & liberum maneret confiteri quæcunque peccata, vel quodcunque veniale. Dixi *Per se loquendo:* nam aliquando per accidens præcipitur confessio venialium : ut si habens veniale, cui adnexa sit excommunicatio minor, suscipere debeas aliquod Sacramentum, teneris sub disjunctione vel illud confiteri Sacramentaliter, vel extra sacramentaliter absolvi à censura : item, si sit celebrandum, vel necessario communicandum,

& habeas mortale reservatum, nec adsit, nisi simplex Confessarius, teneris huic confiteri aliquod veniale; idemque est, si in tali casu suscipiendum, vel ministrandum sit aliud Sacramentum, & dubites, an sis contritus: Gob. r. 6. n. 250.

Quoad mortalia commissa ante baptismum, nullum est præceptum ea confitendi post baptismum, cum non sint materia Sacramenti Pœnitentiæ, quod institutum est pro lapsis post baptismum. Dubium est de peccato fictionis, hoc est, si adultus, dum baptizatur, nolit habere dolorem de mortalibus antea commissis, vel cum prava aliqua voluntate suscipiat baptismum? Probabilius videtur, hoc peccatum cadere sub præceptum confitendi; nam quamvis hæc prava voluntatis dispositio præcedat baptismum, neque adeo qua talis sit materia Sacramenti Pœnitentiæ; tamen mala baptismi susceptio, per quam illa voluntas exterius consummatur, est aliquo pacto post baptismum: prius enim intelligitur baptismus constitutus, & deinde prave susceptus; Tamb. *de Sacr.*

Dico tertio: Præceptum confitendi mortalia, quamvis a Christo non sit determinatum quoad tempus, sed relictum, ut determinaretur ab Ecclesia, tamen per se obligat in articulo, vel periculo mortis; Doctores communiter cum D. Th. Ratio est, quia aliter talis peccator exponeret se periculo non amplius satisfaciendi huic præcepto; ergo, etiamsi tunc eliciat actum contritionis, adhuc peccaret mortaliter, si potens non confiteatur in articulo, vel periculo mortis, puta imminente prælio, insidiis hostium, partu periculoso, periculoso itinere, aut longa navigatione: idem dic de bannitis, & habentibus inimicitias capitales: Si vero hi nequeant tunc confiteri, elicere debent actum contritionis perfectæ cum voto saltem implicito confessionis faciendæ, si poterunt. Item Suar. Val. Sanch. & alii communius contra Henr. Val. Layman. Sal. Lug. & alios docent, quod omnes teneantur in articulo, vel periculo mortis elicere actum contritionis perfectæ, sive intra, sive extra Sacramentum, quia recta ratio postulat, ut tunc adhibeatur medium tutius ad salutem, qualis est contritio, cum nemo sciat, suum mortale, seu personale, seu originale esse remissum, sive ex defectu sui, sive Confessarii, sive Baptizantis, &c. & pro supplendis omnibus defectibus, etiam baptismi, valet certe contritio. Extra periculum mortis D. Th. Scot. & alii dicunt,

dicunt, præceptum divinum non obligare per se. Communius affirmant alii cum Vasq., tum quia hoc Sacramentum est etiam institutum ad curandos animi morbos, & ad præservandum; tum maxime quia Trident. *sess.* 14. *c.* 5. *Neque enim per Later. Conc. Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium. & institutum esse intellexerat, sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis perveniissent, implereretur;* si ergo id statuit ex præcepto divino, hoc non est tantum de articulo mortis.

Quæres hic, Quodnam sit præceptum datum Medicis pro confessione Infirmi?

Respondeo, ex Bull. Pii V. *Super gregem* ann. 1566. præcipi: *Ne Medicus incipiat curare infirmum, nisi eum moneat de Confessione facienda; neque ultra tres dies eum inviset, nisi scripto Confessarii resciat, eum esse confessum, & ut Medici, antequam Doctoratus gradum assumant, jurent, se hoc præceptum observaturos, & ne Ordinarii illos admittant in suis Diœcesibus, nisi constiterit de hoc juramento.* Hactenus ex Bull. Notant tamen Doctores cum Suarez, Sanchez, & aliis, hanc Bullam in multis temperatam jam esse a ipsa consuetudine, quæ est optima legum interpres: & Primo, ut intelligatur de morbis periculosis: Tertio, Sufficit testimonium domesticorum, vel ipsius infirmi de confessione facta, modo sint fide digni: Quarto, Si infirmus nolit obstinate confiteri, non est deserendus à Medico, si hoc deserente grave periculum illi immineat; Bulla siquidem jubet, ægrotum deseri, quando desertionis timore speratur, quod resipiscat; secus vero, si omnino destituatur; sic nec deseritur Turca ægrotus, qui obstinate nolit baptizari: Quinto, Juramentum datum à Medicis intelligendum, juxta jam dicta, ex usu recepto.

Denique præceptum confessionis mortalium per accidens obligat aliquando etiam in vita: puta si sit quis in periculo relabendi, nisi muniatur hoc Sacramento: Lug. d. 5. s. 4. si requiritur confessio tanquam conditio ad dispensationem voti, aut impedimenti: Croix num. 2022. si sit communicandum, vel celebrandum: ex Trident. *sess.* 15. *c.* 7. & *can.* 11.

CA-

CAPUT III.

Quod sit Præceptum Confessionis annuæ?

Concil. Later. sub Innoc. III, & ex eo c. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remis.* ita præcipit: *Omnis utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & mortuus careat sepultura.* Idipsum confirmans Trident. subdit, *Neque per Later. Concil. Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiteantur, quod jure divino necessarium, & constitutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno impleretur.* Ex quibus Doctores communissime inferunt contra Gabr. Sylv. Gran. Palud. Fagun. & alios, præceptum confessionis annuæ non esse mere ecclesiasticum, sed etiam divinum: quatenus Christus præcipit confessionem: determinationem autem quoad tempus reliquit Ecclesiæ, quæ determinavit tempus annuum, qua determinatione posita, tanquam conditione, præceptum illud divinum obligat omni anno. His suppositis explicanda sunt verba præcepti.

I. *Omnis utriusque sexus;* dummodo sit fidelis, hoc est baptizatus; ad hos enim dirigitur præceptum Trid. cit. Obligat ergo etiam Hæreticos, Apostatas, & Schismaticos, quia & baptizati sunt, & subjacent Ecclesiæ. Item excommmunicati, & personaliter interdicti tenentur petere ante lapsum anni absolutionem à censuris, ut satisfaciant huic præcepto. Item incarcerati, si aliter confiteri non possunt, & negligant liberari ante anni lapsum, peccant contra hoc præceptum: Croix contra Tambur. Item, si prævideas futurum impedimentum pro reliquo anni tempore, debes prævenire; quia præceptum urget ab initio: Suarez, & alii communiter contra Dela Crux apud Dian. p. 3. t. 4. r. 69. Si autem per totum anni tempus sis physice, vel moraliter impotens, non peccas non confitendo: v. g. si non possis habere Confessarium, vel prudenter judices, unicum, quem habere potes, revelaturum confessionem, aut odio te habiturum, aut ignorare tuum idioma; non enim teneris confiteri per interpretem: Sotus, Suarez, Vasq. Bonac. & alii. Item, si non possis adire, vel vocare Confessarium, nisi conficiendo longum, & laboriosum iter;

iter; quod tamen ex circumstantiis temporis, personarum & similium judicio prudentis est expendendum: Suarez, Vasq. Tambur. c. 4. §. 5. Addit Con. d. 3. num. 22. quod in his casibus nec tenearis vi hujus præcepti eo anno elicere contritionem, quia hanc nulla lex præcipit determinate hoc anno, sed tantum juxta dicta cap. antecedenti. Neque obstat, quod contritrio sit pars confessionis, & juxta axioma, *Qui non potest totum, tenetur ad partem*; nam neque est pars necessaria, cum confessioni sufficiat attritio; & axioma intelligi debet, quando totum constat ex partibus similibus, ita ut ponendo partem salvetur aliquo pacto ejus substantia: sic, qui tenetur ad Horas, si non potest omnes, tenetur ad partem, in qua salvatur ratio horæ: qui tenetur ad jejunium in pane, & aqua, si hoc non potest, tenetur ad jejunium commune, in quo stat ratio jejunii: econtra vero, si totum constat ex partibus omnino diversis: sic, qui vovit Religionem, si non possit servare castitatem, non ideo tenetur ad paupertatem, & obedientiam, quia in his non salvatur substantia status Religiosi; & ita est in casu nostro: Croix ib.

II. *Postquam ad annos discretionis pervenerit.* Improbabile ergo est, quod dicit Sa, pueros ante pubertatem non obligari hoc præcepto. Imo, si malitia suppleat ætatem, & puer ante septennium peccet mortaliter, probabilius obligatur hoc præcepto, quia non refertur ad ætatem, sed ad annos discretionis, hoc est ad plenum usum rationis: Croix n. 2026. contra Pal. Dian. & alios. In dubio autem, an puer habeat usum rationis, obligatur, si jam sit septennis; quia præsumptio stat pro pleno usu rationis: Palud. & alii contra Tambur. & alios; ideoque potest, imo & debet absolvi sub conditione, ut servetur præceptum: Lug. d. 17. num. 22. Cæterum per annos discretionis communiter intelligitur illa ætas, qua quis est potens ad peccandum mortaliter: Gob. num. 268. addens, faciendum discrimen inter puenos, & puellas; & Germanos serius obligari hoc præcepto, quam Italos; sed rusticos à S. Anton. & Sot. obligari solum circa ann. 12. citius vero educatos inter nobiles. Vide dicta in Tract. de Legibus d. 2. q. 3. c. 2.

III. *Omnia sua peccata*, intellige mortalia; quia sicut Christus non tulit præceptum indeterminate quoad tempus, nisi de confitendis mortalibus, ita Ecclesia nonnisi

nisi de iisdem præceptum ad tale tempus determinavit: Suarez d. 36. s. 2. & alii communiter. Hinc, si quis toto anno habeat tantum venialia, probabilius non obligatur hoc præcepto, ut colligitur ex ipsis verbis; præcipiunt enim confiteri *omnia* peccata: ergo non loquuntur de venialibus, cum non sit præceptum confitendi venialia, & multo minus omnia: Suarez, Vasq. Lugo, Palud. & alii contra D. Bonav. Rich. & alios. Idem à fortiori est de mortalibus ante hunc annum confessis, cum sint materia adhuc magis libera. Cæterum absolute melius est confiteri venialia, ut de his detur directa absolutio, & de mortalibus, si forte adsint occulta, indirecta; cum vix fiat, ut qui toto anno non confitetur, non labatur aliquando graviter, quamvis postea non recordetur. Idem dicendum de eo, qui habet unum mortale, à quo hoc anno confitens excusetur ob periculum gravis damni, &c. quamvis enim non obligetur hoc præcepto, utpote quod est de solis mortalibus: Suarez, Dian. p. 3. t. 4. r. 125. tamen melius est confiteri tantum venialia. At, qui sæpe hoc anno confessus est tantum venialia, sed ultimo die lapsus est in mortale, vel recordetur ejus non confessi, tenetur ultimo die confiteri; quia nondum satisfecit præcepto, cum confessio venialium non fuerit materia præcepti: Vasq. Reginald. Layman. Bonac. Lug. & alii communiter contra Rhod. & alios. Quod si mortale sit reservatum, & tunc solum sit copia Confessarii non habentis reservata, tenetur ei confiteri venialia, quia sic satisfacit præcepto, quantum potest. Contra vero, si mortale anno præcedente commissum, & absolutum indirecte confessus esset hoc anno, jam satisfecit præcepto; quia erat materia necessaria hujus confessionis: Croix n. 2040. Denique, qui intra annum semel confessus est mortale dubium simul cum venialibus non tenetur iterum confiteri, si postea incidat in mortale certum; quia juxta probabiliorem sententiam erat obligatio confitendi illud morale dubium: Lugo n. 169. Secus vero, si solum illud confessus est, quia, si non fuit vere peccatum, absolutio fuit nulla, & præceptum est de confessione, quæ sit Sacramentum: Croix, & alii contra Lugo, Dicast. Arriag. & alios. Qui autem post confessionem omnium mortalium incidit eodem anno in novum mortale, quamvis Sot. Suar. & alii dicant, teneri iterum confiteri eo anno: tamen probabilius negant Con. Laymann. & alii,

alii, ita ut Lugo dicat, esse certum, quia tantum præcipitur una confessio omnium tunc memoriæ occurrentium: ideo nec tenetur iterum eo anno, si in confessione mortalium omisit unum ex oblivione: Bonac. & alii communiter; secus, si omisit scienter ex justa causa, qua sic nondum est confessus omnia, quæ occurrebant memoriæ: Arriag. Gorm. & alii.

IV. *Semel in anno.* Hinc annus quinque modis computari potest: Primo, Incipiendo à principio usus rationis usque ad simile tempus anni sequentis, & sic deinceps. Secundo, A primo mortali commissio: Joseph ab Augustino. Tertio, A confessione mortalium: Sot. & Valent. Quarto, A 1. Jan. ad ultimum diem Decemb. Vasq. Pal. Lug. &c. Quinto, A Paschate ad Pascha ex Suarez, Bon. Con. aliique ut diximus tract. præced. d. 4. q. 1. c. 5. §. Ex his modis primi tres communiter non placent, quia verba illa *semel in anno* innuunt certos terminos, & determinatos pro omnibus: quartus, & quintus sunt probabiles, quia ea verba utrumque sensum facere possunt, cum annus possit sumi, vel Ecclesiasticus à Paschate ad Pascha, vel Civilis à Jan. ad Decemb. Hinc, si numeres à 1. Jan. ad ultimum Decemb. satisfacis huic præcepto, si confitearis hoc anno 1. Jan. & sequenti anno ultimo Decemb. quamvis inter has confessiones intercedant duo anni; quia adhuc est verum; quod semel in anno sis confessus: Pal. Lug. & alii communiter contra Sporer, & alios. Similiter, si numeres à Paschate ad Pascha, nihil obstat, quod confessio aliquando differatur ad tredecim menses, & aliquando bis fieri debeat confessio intra undecim menses; nam idem fit in communione Paschali, prout Pascha venit maturius, vel serius, & totum illud tempus est unus annus Ecclesiasticus, & sic semel confiteris singulis annis: Suarez, & alii; atque hic modus est usitatior, cum similiter etiam servetur ex dictis loc. citat. tract. præced. præceptum communionis Paschalis.

Dubium est, An, qui omisit confessionem debitam hoc anno, teneatur anno sequenti illam reficere?

Negant S. Anton. Sylv. Tabien. Val. & alii, quam sententiam Dian. Fill. Tamb. vocant probabilem: Dicast. probabilissimam; quia obligatio confitendi videtur alligata illi anno; uti obligatio recitandi Horas est alligata diei, cum quo desinit. Sed probabilius affirmant Sot. Nav. Med.

Med. Vict. Suarez, Vasq. Con. Pal. Lug. Averſ. & alii; quia talis annus ab Eccleſia præfixus eſt, non ad terminandam, ſed ad urgendam obligationem, ne nimium differatur præceptum divinum, cujus finis, qui eſt reconciliatio cum Deo, non ceſſat: uti contra ceſſat finis præcepti horarum, qui erat bona Eccleſiaſtici occupatio pro eo die. Hinc, quo diutius ultra annum quis differt eam confeſſionem, eo gravius peccat; hanc tamen dilationem eſſe unicum peccatum continuatum dicunt Val. Con. Laym. Dian. Averſ. & alii. Contra Bonac. dicit, eſſe tot peccata, quot occaſiones confitendi negliguntur; & certum eſt, ſi voluntatem confitendi pluries retractet: Croix, & alii. At, qui multis annis non eſt confeſſus, confitendo hodie ſatisfacit pro omnibus annis præteritis, quantum tunc ſatisfieri poteſt; quia per unam hanc confeſſionem obtinetur finis præcepti, qui eſt reconciliatio cum Deo: Averſ. Gorm. & alii contra Ceſped. Si tamen adhuc ante finem hujus anni relabatur in mortale, Pal. Lug. Dicaſtil. Gorm. & alii dicunt, non teneri hoc anno iterum confiteri, quod probabile etiam dicit Bon. quia confeſſus eſt ſemel hoc anno, & plus non requirit præceptum; ſed probabilius contradicunt Suarez, Hurt. Layman. & alii, quia prior confeſſio cenſetur facta pro annis præteritis, quorum obligatio nondum erat ſublata; & pro hoc anno advenit nova obligatio per novum peccatum: ſic obligatus à Confeſſario jejunare ſemel in menſe, ſi hoc menſe omittat, tenetur menſe ſequenti bis jejunare.

V. *Confiteatur.* Confeſſio debet eſſe talis, ut habeatur validum Sacramentum Pœnitentiæ; quia hoc præceptum ex dictis eſt divinum, & Chriſtus præcipiens vult ſuum Sacramentum validum: & dato, quod ſit Eccleſiaſticum, Eccleſia præcipit confeſſionem, ut inſtitutam à Chriſto: hinc damnatur ab Alex. VII. hæc Propoſ. 14. *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ;* imo nec ſatisfacit per confeſſionem quantumvis involuntarie nullam, quia ſimpliciter, & vere non eſt confeſſio: Platel. n. 744. Idem eſt, ſi Sacerdos etiam injuſte noluiſſet te abſolvere: Suarez, & alii communiter contra Palud. Vict. Con. & alios; addit tamen Boſco, fore te excuſandum, ſi anno ſequenti poſſes ab eodem accipere abſolutionem, ne ſcilicet cogaris duobus eadem peccata aperire, quod videtur valde moleſtum. Si tamen fiat confeſſio valide quidem, ſed

sed informis (ut contingit, cum invincibiliter oblitus furti doleas de solo homicidio ex propria ipsius turpitudine, & hoc solum confitearis, juxta dicenda q. 3.) probabilius satisfacis huic præcepto; quia hæc absolutio est probabilius valida, & suo tempore reviviscit, & prodest, quando scilicet per contritionem, vel per subsequens Sacramentum removetur obex: Suarez, Val. Bon. Lugo, & alii contra Avers. Platel. & alios. Probabiliter etiam satisfacis per confessionem peccati putati cum vero dolore, quia probabilis est sententia Perez, & aliorum Doctorum, hanc esse validam.

VI. *Proprio Sacerdoti*, hoc est suo Parocho: attamen nunc certo satisfaciunt huic præcepto, qui confitentur cuivis Confessario rite approbato, sive Seculari, sive Regulari: ilie enim substituitur loco Parochi ex usu recepto, & tacito consensu Episcopi approbantis; Regularis vero ex delegatione Papæ posita approbatione Episcopi: Doctores communissime ex pluribus textibus. At non sufficit, si Regularis dignus approbatione, & præsentatus Episcopo injuste sit reprobatus; ut constat ex Prop. 13. damnata ab Alex. VII. *Satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Si autem quis inter mortalia hic & nunc necessario confitenda habeat reservatum, quod rationabiliter omittat, eo quod hic Confessarius, quem unicum habere potest, non habet potestatem in illud, putat Bosco n. 125. teneri hoc anno iterum confiteri; quia nondum est confessus proprio Sacerdoti, hoc est ei, qui possit eum ab omnibus directe absolvere. Sed probabiliter contradicunt Herin. Croix, & alii, quia ille erat proprius respectu omnium, quæ hic & nunc debebant exprimi; & ex opposita sententia sequeretur, quod, qui toto anno non posset recurrere ad Superiorem, non teneretur eo anno confiteri; cum non teneatur ad confessionem, per quam non satisfacit præcepto. Illud certum, quod si pœnitens Religiosus confiteatur reservatum in Religione suo Confessario, qui ad hunc finem petiit, sed non obtinuit facultatem à Superiore Regulari, valide absolvitur, & satisfacit huic præcepto; quia habetur specialis ejusmodi concessio facta Regularibus ad Urban. VIII. juxta dicenda d. 2. quæst. 2.

VII. *Alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, &c.* Hæc pœna interdicti non incurritur ipso facto,

quantum est ex jure communi; dicit enim *Arceatur*: &, ideoque est sententiæ ferendæ in eos, qui, cum possint, non confitentur semel in anno, dummodo habeant mortale confitendum; vel qui unicam confessionem fecerint mortalium voluntarie nullam: Lugo d. 15. n. 138. In hac tamen Diœcesi Neapolitana latum est interdictum tantum contra non communicantes in Paschate, & est reservatum Archiepiscopo, nec incurritur ante expletam pubertatem. Putat Tambur., quod, etsi in aliqua Diœcesi sit pœna excommunicationis latæ sententiæ, nec expresse excludat pueros ante pubertatem, censeri tamen exclusos, etsi omittant Confessionem, & Communionem annuam, quia c. 1. & 2. *de delictis puerorum* hi simpliciter eximuntur à pœnis; etsi ergo peccent, eas non incurrunt ex benignitate Ecclesiæ: sed de hac re recurret sermo infra, & in Tract. de Censuris.

CAPUT IV.

Quod sit Præceptum confitendi ante Communionem?

Sive hoc præceptum sit mere Ecclesiasticum, ut tenent Navar. Med. & alii; sive sit Divinum, ut melius docent Suarez, Vasquez, Lugo, & alii; certum est, ex Ecclesiastica consuetudine necessarium esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat; idque servandum etiam esse ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, modo non desit illi copia confessarii, & adsit urgens necessitas, ex Trid. *sess.* 13. *can.* 7. Itaque, ut hoc præceptum confitendi non obliget peccatorem volentem Communicare, vel Celebrare, tria debent concurrere; nimirum, & quod desit copia Confessarii, & quod simul adsit urgens necessitas communicandi, aut celebrandi; & quod tunc præmittat contritionem perfectam de mortali, quod habet in conscientia, cum voto saltem implicito postmodum confitendi, ad servandum præceptum Divinum confessionis.

Primo, *Quoad copiam*, &c. Non dicitur deesse copia Confessarii, si adsit unus, quamvis erubescas ei confiteri,

confiteri, vel non sit, quem velles, nec tuus ordinarius: Doctores communissime tanquam certum, contra aliquos apud Mendo. Dicitur ergo deesse hæc copia: Primo, Si unicus, quem habes, sit mutus, vel excommunicatus vitandus, vel aliter amisit jurisdictionem, vel nolit audire, vel omnino impeditus, vel ab eo timeas fractionem sigilli, aut aliud grave malum: in quo tamen casu addit Tambur. confitenda ei esse alia mortalia, vel si non habes, venialia, iis omissis, propter quæ malum illud times. Secundo, Si distes ab omni Confessario; quam distantiam trium milliariorum vult Canus, quinque quadrantum Rhodes, duarum horarum Gobat. sed melius Suarez, Vasquez, Bon. & alii communiter dicunt, relinquendam arbitrio prudentis, qui attentis circumstantiis judicare debet, an ferat magnum incommodum; quod aliquando esse potest, etiamsi distantia sit brevissima, vel scilicet ratione brevissimi temporis, quo urget necessitas communicandi, vel ratione infamiæ, aut scandali, vel ratione ætatis, ægritudinis, pluviæ, &c. vel ob aliud urgens negotium. Tertio, Si habes mortale reservatum, aut excommunicationem, aliamve censuram reservatam, & urgente necessitate communicandi, aut celebrandi non habeas copiam, nisi simplicis Confessarii, tunc juxta triplicem sententiam hac in re probabilem potes, vel præmittere confessionem omnium peccatorum, ita ut ab aliquibus absolvaris directe, ab aliis indirecte, & cum onere; vel confessionem de solis non reservatis cum eodem onere; vel omissa simpliciter confessione cum sola contritione communicare, aut celebrare, juxta dicenda q. 4. Addit tamen Tamb. si tunc valde difficilem experiaris actum contritionis, non posse uti hac tertia via.

Secundo, *Quoad necessitatem*, &c. Non dicitur sufficiens necessitas onus v. g. Capellaniæ, quia obligatio celebrandi censetur susceptа, quantum fieri potest, cum debita decentia: Suarez, & alii contra Arriag. Nec sufficit paupertas Sacerdotis, nisi esset valde gravis: Lugo n. 117. Nec observatio voti, & probabiliter etiam alicujus præcepti Ecclesiastici, quia hæc non obligant, quando est moralis impossibilitas implendi debite, & legitime: Tamb. n. 43. Necessitas ergo esse debet urgens. & gravis, puta periculum mortis, aut alterius gravis damni, infamiæ, scandali: D. Thom. Suarez, & alii: v. g. si Sacerdos Missam est exorsus, vel vestitus sacris,

ut addit Lugo; vel laicus ad linteum communionis accessit, & tunc recordetur mortalis, vel tunc peccet: si autem posset celebrans solemniter, dum cantatur gloria, vel dicitur concio, breviter confiteri Diacono Sacerdoti approbato, deberet, quia tunc cessat excusatio: Layman. & alii. Item, si celebrandum sit ad conficiendum Viaticum pro moribundo; vel si Parochus debeat ex officio celebrare, ut populus audiat Missam: Lug. n. 107. ob quam causam etiam alteri, qui non est Parochus, idem licere putant Dian. p. 9. t. 3. res. 9. & alii contra Palud. & alios. Si autem Sacerdos ipse non posset aliter audire Missam, vel urgeat præceptum communionis Paschalis, Henr. Sot. Dian. & alii probabiliter putant sufficere; sed probabilius negant Sa, Suarez, Con. & alii, quia hæc præcepta non obligant, quando non possunt impleri convenienter juri Dominico. Gob. t. 7. n. 382. putat sufficere, si aliter diu abstinendum esset à communione, aut Sacrificio, quia longa mora est gravissima necessitas, præsertim si sedandæ sint propriæ tentationes, vel suffragandum sit defunctis. Item, si confessio, deberet esse longa, nec posset tamdiu differri communio, vel celebratio sine infamia, vel scandalo, vel alio gravi damno, putant Gorm. Granad. & alii, posse tunc pœnitentem dimidiata confessione absolvi cum onere postea absolvendi totam; quod verum est saltem de infirmo periclitante de morte, ejusque confessario: v. Tambur. c. 1. *de Com.* n. 36.

Tertio, *Quoad contritionem*, &c. Concurrente necessitate, & defectu Confessarii juxta modo dicta, debes elicere actum contritionis perfectæ ante communionem, quia Eucharistia non potest suscipi cum mortali: D. Thom. Suarez, & alii communissime, cum sit Sacramentum vivorum. Et Sacerdos sic celebrans debet hunc actum elicere etiam ante Consecrationem, quia nec potest consecrare in mortali, ideoque tempus opportunum erit in Memento vivorum: &, si post consecrationem recordetur mortalis, debet conteri ante sumptionem: Tambur. & alii communiter. Si autem conatus sis, & ob perturbationem mentis, vel brevitatem temporis non possis elicere contritionem, & communices, aut celebres urgente necessitate, Vasquez, Hurtad. Dian. Lugo, & alii excusant à mortali, quia moralis impossibilitas tollit irreverentiam; sed Dicast. putat casum moraliter impossibilem, quia, si coneris, gratia Dei non deerit. Addunt

dunt Doctores hoc consilium, ut si non possis confiteri, nec conteri, comedas, si fieri commode potest, vel bibas aliquid coram aliis quasi per inadvertentiam; &, quamvis forte nascatur levis aliqua suscipio mali status, hæc non est tanti facienda, dummodo non sit gravis: Croix n. 536.

Quæres: An sit præceptum confitendi mortalia ante susceptionem, vel administrationem cæterorum Sacramentorum?

Respondeo, Rigoristas putare, talem peccatorem, quantumvis sibi videatur contritus, etiam teneri ante susceptionem, vel administrationem aliorum Sacramentorum confiteri. Sed, cum de hoc nullum inveniatur præceptum, communiter Doctores docent, tantam obligationem asserendam non esse absque magna auctoritate, vel evidenti ratione; ideoque Lug. d. 5. n. 114. ait, *Nullum esse dubium apud Theologos, quod tunc sufficiat contritio, etiamsi adsit copia confessarii, nec sit urgens necessitas.* Porro huc spectant fuse dicta Tract. præced. d. 1. q. 2. c. 3.

CAPUT V.

Quod sit Præceptum Sacerdotibus confitendi Quamprimum?

Trident *sess.* 13. *c.* 7. postquam exposuit præceptum confitendi mortalia ante communionem, aut celebrationem, loquens specialiter de Sacerdote, qui cum sola contritione mortalium ob inopiam confessarii ex necessitate celebrat, ait, *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque confessione celebravit, quamprimum confiteatur.* Hoc non esse merum consilium, sed præceptum, declaravit Alex. VII. damnans hanc Prop. 38. *Mandatum Trident. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* Est tamen præceptum mere Ecclesiasticum, in quantum dicit, *Quamprimum;* sed obligans sub gravi, quia est in materia gravi, quæ multum facit ad reverentiam celebrandi: Doctores communiter. Itaque ly *Quamprimum*, non significat, quamprimum talis Sacerdos volet iterum celebrare, quia hæc obligatio antecedenter erat, & Trid. imposuit novam; ideoque idem Alex. VII. damnat hanc aliam Prop. 39.

Illa particula Quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur. Igitur, si interea celebret, adhuc debet confiteri quamprimum, hoc est, ad summum intra triduum; quia apud Juristas, quod fit intra triduum, dicitur fieri quamprimum, & continuo, ex *l. fin. C. de Judiciis:* Lugo, Trull. Con. & alii apud Dian. p. 9. t. 3. r. 23. Si autem finita Missa habeat præsentaneum confessarium, quem postea intra triduum non est amplius habiturus, tenetur tunc confiteri; quia universim, qui ad aliquem actum intra certum tempus obligatur, tenetur prævenire, si non possit deinde præceptum implere: Lugo, Dian. & alii communiter contra aliquos apud Dicastil. Econtra vero, si habeat mortale reservatum, & nec tunc, nec intra triduum habere possit copiam, nisi simplicis Confessarii, non tenetur ei confiteri vi hujus præcepti, imo nec potest; quia non potest ab eo absolvi directe, nec est necessitas, ut absolvatur indirecte, ut supponimus: Dicast. d. 9. *de Euch.* num. 117.

Cæterum, ut obliget hoc præceptum confitendi quamprimum, tria simul requiruntur: conscientia alicujus mortalis, carentia Confessarii, & necessitas celebrandi: Doctores communiter ex Trident. cit. Hinc, si Sacerdos habens copiam Confessarii adhuc celebret inconfessus, etsi gravius peccet, non tenetur hoc præcepto, quia de hoc casu non loquitur Tridentinum, & in positivis non valet argumentum à minori ad majus: Suarez, Vasq. Dian. & alii contra Sylvium. Item nec tenetur, si confessus celebravit invincibiliter immemor alicujus mortalis, quia non celebravit cum conscientia illius: idemque est, si immemor cujuscumque mortalis celebravit inconfessus: Gob. Dicastil. & alii contra Præpos.; imo addit Moya, etiamsi ex negligentia non recordatus sit mortalium, quia sic adhuc celebrat absque conscientia illorum. Econtra vero, si post confessionem, antequam celebret, recordetur mortalis omissi, nec possit ad Confessarium redire, tenetur deinde confiteri quamprimum, quia sine illius confessione ex necessitate celebrat. Suar. Bonac. & alii communiter contra aliquos apud Dian. p. 9. t. 3. r. 26. Idem dicunt Gob. & alii multi, si recordetur mortalis, dum actu celebrat, sive ante consecrationem, sive ante sumptionem; quamvis alii negent cum Pelliz. quia rubrica de illo, qui recordatur ante Missam, dicit, ut conteratur, & statim post confiteatur;

de

de illo vero, qui recordatur intra Missam, solum dicit, ut conteratur.

Quæres, An etiam laici, qui ex necessitate communicant cum sola contritione mortalium, teneantur confiteri *Quamprimum?*

Respondeo Negative; quia hoc præceptum confitendi *Quamprimum* est mere Ecclesiasticum, & loquitur tantum de Sacerdotibus: ergo non est extendendum ad alios, cum in legibus positivis non valeat argumentum à pari: quare satisfaciunt confitendo illa mortalia in prima confessione, quandocunque eam erunt facturi. Hinc nec tenetur Sacerdos confiteri *Quamprimum*, si in dicto casu non celebret, sed more laicorum communicet: Vivald. & alii communiter: secus vero, si communicet, celebrando die Paresceves, vel perficiendo Sacrificium inchoatum ab alio coacto illud interrumpere; quia sic non communicat communione laica, sed Sacerdotali: Suarez, Vasqez, Lugo num. 129. & alii communiter, quamvis dubitet Dicastil. num. 157.

QUÆSTIO II.

De Examine Conscientiæ.

Examen conscientiæ est *Diligens perscrutatio peccatorum latentium in conscientia:* quoniam vero peccata mortalia sunt materia necessaria pœnitentiæ, venialia autem materia sufficiens quidem, sed libera; ideo videndum hic prius, quod examen sufficiat præsertim pro mortalibus: deinde cætera ad examen ipsum spectantia expendemus.

CAPUT I.

Quod examen Conscientiæ sit sufficiens præsertim pro mortalibus?

Ex Præcepto Divino tenetur pœnitens per se loquendo præmittere confessioni examen conscientiæ; quia ex eodem tenetur aperire confessario omnia, & singula mortalia, & nequit id communiter præstare, nisi se prius

discusserit: Doctores communissime ex Trid. *sess.* 14. c. 5. Qui ergo confitetur absque debito examine (excepto articulo mortis, de quo infra) peccat mortaliter, & tenetur ad iterandam confessionem, etiamsi suam negligentiam tunc confessus fuerit: Nav. Bon. & alii; nisi vero confessarius per diligentes interrogationes hunc defectum suppleverit, juxta mox dicenda.

Hoc examen ex Trid. cit. debet esse *Diligens:* sed hæc diligentia non exigitur exactissima, & summa; quia talis obligatio redderet Sacramentum maxime onerosum, & tædiosum; item conscientias inquietas, cum semper dubitare possent, an sufficientem diligentiam adhibuerint, quod est contra finem Sacramenti, & legem Christi suavem: Suar. d. 22. s. 10. & alii communiter, Exigitur ergo tantum diligentia moralis, & humano modo, pro capacitate pœnitentis, pro mora temporis ab ultima confessione, & pro reliquis circumstantiis occasionum, negotiorum, ac peccatorum in confuso pulsantium conscientiam: ita ut cuique sufficiat regula, quam tradit Gob. t. 6. n. 491, Si conscientia testatur, esse à te adhibitam moralem diligentiam, quam adhiberes in negotio gravi, potes esse contentus.

Infers primo: Si post adhibitam moralem diligentiam, putes adhuc fore, ut, si plus temporis impenderes, occurrerent alia peccata, non ideo teneris plus temporis impendere; quia non teneris ad examen, quod ex se aptum sit generare horrorem, & tædium Sacramenti, & inquietudinem conscientiæ: Bon. Laym. Lud. d. 16. s. 15. & alii communiter. Quod si postea dubites, an in confessione præterita adhibueris, necne, debitam diligentiam, hoc indicio poteris dubium tollere: si enim plura mortalia memoriæ occurrant, quam quæ sunt confessa, non fuit diligentia sufficiens, ideoque teneris iterare confessionem: si vero aliqua, sed multo pauciora, credenda est sufficiens, ideoque satis est, si de omissis te accuses: Croix, & alii.

Infers secundo: Si ob fragilitatem tibi notam timeas, ne diu immorando in peccatorum examine, in eadem prolabaris consensu, poteris te examinare leviter, quamvis videas, ex defectu examinis te nonnulla omissurum; quia prævalet periculum vitandum: Tamb. & alii; & quid simile debet observare confessarius in ejusmodi interrogationibus de rebus turpibus, ut dicemus d. 2. Similiter: si pœnitens sit nimis scrupulosus, præstat leviter

ter examinari, ob periculum faciendi odiosam confessionem, & ob summam difficultatem, quæ est moralis impossibilitas : Tamb. Pal. & alii.

Infers tertio, Neminem obligari adnotare scripto sua peccata, etsi forte timeat, se obliturum ; nec qui multoties peccavit cum complice, tenetur illum interrogare pro investigando numero ; nec, qui toto anno e. g. omisit Missam, tenetur videre in Kalendario dies festos, &c., quia hæ sunt diligentiæ extraordinnriæ, quas Trid. non exigit, sed tantum *Diligentem sui discussionem*, in suis scilicet cogitationibus, verbis, operibus, & omissionibus.

Infers quarto : Pœnitens, quantumvis sciat, se à confessario esse diligenter interrogandum, nihilominus communiter tenetur se examinare ; quia alioquin exponeret se periculo, vel perperam respondendi, vel aliqua penitus omittendi. Potest tamen hic talis esse contentus minori diligentia, præsertim quoad species peccatorum communes hominibus sui status : Suar. d. 22. s. 11. Addit tamen, quod in hoc, vel simili casu possit quidem examen suppleri à Confessario ; non vero in confessionibus longis, quia tunc impossibile fere est, ut quis repente interrogatus, recordetur omnia : & tantum id admittit in rudibus. qui se examinare nequeunt ; quos admonet Sa *v. Confessio*, non esse nimis interrogandos de confessionibus præteritis bona fide factis, nisi intelligatur aliquid defuisse.

Infers demum, Timoratis ; & frequenter confiteri solitis sufficere modicam diligentiam ; quia non obligantur ad diligens examen venialium, utpote non cadentium sub præceptum confessionis ; & aliunde, si peccassent mortaliter, certe ob oculos peccatum illud haberent : Tamb. Gob. num. 488. Idem est de eo, qui una, vel altera hora post absolutionem relabatur in mortale, & mox recurrat ad confessionem. In articulo autem mortis ea diligentia est adhibenda, quæ pro circumstantiis morbi, & temporis potest moraliter fieri : Doctores communiter.

CAPUT II.

Reliqua ad examen Conscientiæ spectantia expenduntur.

VIDENDUM hic Primo, Quomodo discerni possit veniale à mortali ? Secundo, Quomodo cognosci pos-

sit peccatorum numerus? Tertio, Quomodo peccatorum species? Quarto, Quomodo circumstantiæ mutantes speciem? Quinto demum, Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalogi Præcepta?

§. I.

Quomodo discerni possit mortale à Veniali?

Ut in Conscientiæ examine discerni possit mortale, quod est materia necessario confitenda à veniali, quod est materia libera, hæc traditur regula à Doctoribus: Ibi est mortale, ubi concurrunt hæc tria, *Gravitas materiæ*, *Plena advertentia*, *& Plenus consensus*: contra vero ibi est veniale, ubi unum horum deest, ita ut decidat à mortali, ratione, vel parvitatis materiæ, vel semiplenæ advertentiæ, vel semipleni consensus: quia tamen de hoc fuse actum est in Tract. de conscientia tom. 1. tr. 1. d. 1. q. 1. c. 2. & seq. idcirco hic amplius immorari non vacat. Porro quid agendum sit Pœnitenti, si dubitet, an plene consenserit in tentationem, necne? vide ibid. cap. 4. circa medium.

§. II.

Quomodo discerni possit peccatorum numerus?

Tria hic forent examinanda, Primo, An actus physice unus possit esse multiplex numero peccatum? Secundo, An actus physice plures possint esse unum numero peccatum? Tertio, Quomodo peccatum numero multiplicetur per retractationem, aut interruptionem? Sed de his vide etiam abunde dicta loco jam cit. §. antec. circa finem capitis 2.

Duo tantum ad illius Doctrinæ complementum hic addenda reor. Alterum est, ut, quæ ibi dicta uberrime sunt de peccatis commissionis, dicantur proportionaliter de peccatis omissionis: v. g. Qui retinet rem alienam invito domino, toties peccat, quoties retractat voluntatem restituendi: item, quoties ex impotente evadit potens, & non restituit, cum per impotentiam discontinuata fuerit prior voluntas, ut not. Pal. Putat etiam Suar. cum aliis, multiplicari tale peccatum per interruptionem somni, aut omnimodæ distractionis; quia tunc

tunc nihil manet exterius, in quo continuetur. Sed in hoc contradicunt Lug. & alii, quia, si prior voluntas fuit efficax, non omnino periit in somno, sed mansit in aliquo suo effectu, etiamsi insensibili. Qui vero à primo mane festi decernit non audire Missam, & sæpe usque ad meridiem repetit hanc voluntatem, Ovied. dicit, fore unum peccatum, qualescunque fuerint tunc interruptiones (dummodo non adsint etiam retractationes) quia à primo mane incipit exterius peccare per omissionem Missæ ex D. Th. 2. 2. q. 29. à. 3. ad 3. & hæc una omissio quasi continue perducitur usque ad meridiem.

Alterum est statuere, quid agendum sit pœnitenti; cui sit moraliter impossibile scire numerum suorum peccatorum? Qua in re dico, norandum apud se esse tempus, quo ita male vixerit; tum quoties circiter soleret per diem, vel hebdomadam, vel mensem peccatum suum repetere; tum si uno tempore plus peccaverit, quam alio, &c. Sic enim exponendo statum suum Confessario, satisfacit tali præcepto examinis, & confessionis; quia facit, quod potest: Doctores communiter: Hinc si meretrix v. g. quibuscunque exposita scire nequit quot personas, vel quot conjugatas, quotve liberas, aut sacras admiserit, vel parata fuerit admittere, satis est, si examinet, & dicat, quanto tempore ita vixerit parata ad quosvis; & an sæpe in hebdomada solita sit reipsa. vel saltem animo, quoslibet promiscue admittere; nec debet Confessarius eam ultra urgere ad certum numerum exprimendum, quia plerumque urgebit ad errandum, ut satisfaciat suæ scrupulositati. In peccatis vero, quæ sunt enormiora, aut rarius fiunt, facilius sciet numerum saltem circiter; quantum autem exprimat hoc verbum *Circiter*, dicemus q. 3.

§. III.

Quomodo discerni possint peccata specie diversa?

Hæc regula communiter traditur à Doctoribus: *Illa peccata specie differunt inter se, quæ, vel opponuntur diversis virtutibus, vel eidem virtuti modo notabiliter diverso.* Itaque, præter dicta hac super re in Tract. de conscientia cap. supra cit. quæsito tertio, quod fac consulas; Hic nota

I. Ex

I. Ex Sanch. l. 4. *Decal.* c. 11. n. 25. si parens filio imperet hodie studium, cras aliud negotium, licet materiæ secundum se sint notabiliter diversæ : tamen neglectus utriusque sunt duo peccata numero tantum distincta : & satisfit dicendo, *Bis fui inobediens Patri*; quia hujus intentio censetur esse ex eodem motivo, Idemque est, si quis frangat votum jejunii, & votum orandi; sunt enim duo peccata numero tantum distincta, & satisfacit dicendo : *Bis fregi votum.*

II. Mollicies, Fornicatio, Sodomia, Bestialitas specie differunt; quia, etsi opponantur eidem virtuti castitatis, opponuntur tamen modo notabiliter diverso; hoc est (ut bene Tanner. d. 4. *de Peccatis* ex Valent.) adeo diversa ratione, & malitia opponuntur eidem virtuti, ut qui est propensus ad unum eorum, quantum est ex malitia peccati, non sit similiter propensus ad aliud. Jure proinde damnatur ab Alex. VII. Prop. 24. *Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem :* & Prop. 25. *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit Confessionis præcepto dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Similiter peccatum commissionis, & peccatum omissionis circa eandem virtutem possunt specie distingui. ut odium Dei, & omissio amoris debiti : item hæresis, & ignorantia respectu ejusdem articuli; item positive occidere proximum, & permittere emori fame; ideoque opus est id explicare in confessione : Dicast. d. 9. à num. 396. & alii contra Montesin.

III. Licet copula incœpta, & completa opponantur eidem virtuti; quia tamen diversimode, ex dictis etiam in Tract. de Consc. opponuntur; idcirco earum diversitas est explicanda : similiter, si quis tangendo solutam se polluat, id debet explicare, quia non sufficit explicare solos tactus : item in Sodomia probabilius est explicanda in confessione, tanquam mutans speciem circumstantia Agentis, vel Patientis; quia diversa est species malitiæ se polluentis, quam peccatum patientis : Doctores communiter contra Dian. p. 11. tr. 1. res. 11. Item explicandum est, an ea commissa sit cum mare, an femina, an cum consanguineis, vel affinibus, & an uxoratus propria uxore abusus sit. Item, cum procurata sit pollutio tactibus propriis, an alienis, vel cum aliqua commixtione corporum : Busemb. Fill. & alii. Similiter explicanda

verius

verius videtur in fornicatione circumstantia sponsi, vel sponsæ de futuro, ob injuriam, quæ alteri sponso irrogatur; quamvis non sit adulterium: sicut & in incestu circumstantia personæ in primo gradu lineæ rectæ ob specialem violationem pietatis. Item probabilius circumstantia filiæ legalis, vel spiritualis; videtur enim, quod confessarius peccans cum pœnitente sacrilegium speciale committat ratione vinculi similis cognationi spirituali ex Sacramento contracti; item circumstantia disparitatis cultus: ob injuriam Sacramento Baptismi irrogatam peccando cum infideli, item videtur sacrilegium diversum, si quis peccet cum Sacerdote, ac si cum Religioso, cum videatur diversæ speciei votum Castitatis unius, & alterius; & similiter votum Castitatis solemne videtur communius specie differre à voto simplici, contra Sanch. Similiter, si inducatur mulier ad peccandum, explicanda est circumstantia inductionis, & scandali. Similiter demum in peccato adulterii explicandum est, an conjugatus peccaverit cum libera; an liber cum conjugata; & in peccato sacrilegii, an habens votum peccaverit cum non habente, an vero non habens votum cum habente: Doctores communiter contra Dian. Reliqua habentur in præceptis Decal. pro suis cujusque materiis, quæ omnia habebis etiam infra in compendium redacta sub finem hujus capitis §. 5.

Quæres primo, An exponere se periculo peccandi sit ejusdem speciei cum eo peccato?

Respondeo affirmative; Quia quælibet virtus obligat ad fugam periculi, & occasionis suæ transgressionis, adeoque contra illam speciatim peccatur: hinc, qui semel se exposuit periculo v. g. ebrietatis, & semel periculo incontinentiæ, non satisfacit dicendo, *Bis me exposui periculo peccandi;* sed debet explicare objectum periculi. Imo, licet incontinentia, & ejus periculum sit ejusdem speciei, debet explicari utrumque, si utrumque sit seorsim admissum; quia secus vel confitereris, quod factum non est, vel non confitereris, quod factum est; debet enim dici illa species infima, quæ reipsa est admissa: Doctores communiter.

Quæres secundo, Ad quam speciem peccati pertineat jactantia de peccato præterito?

Respondeo, Probabile esse (dummodo absit delectatio, desiderium, scandalum, & infamia) unam continere speciem irreverentiæ contra Deum, cujus offensa eligitur,

tur ad captandam gloriam; ideoque per se loquendo non est opus explicare in specie, de qua re te jactes, sed sufficit dicere, *Jactavi me de mortali:* Nav. Dian. Pal. Tamb. l. 2. *Conf.* c. 2. n. 10. Dixi *Probabile.* Nam oppositum probabilius reputant Sanch. Rodr. Dicast., Croix n. 1125. quia, sicut quævis virtus specialiter obligat ad non inducendum alium ad sui transgressionem, ita etiam ne glorieris de ipsius transgressione, quia sic etiam vilipenditur specialis ipsius honestas. Cæterum non est opus addere, an revera commiseris id, de quo te jactas, quia eadem est irreverentia, sive peccatum sit verum, sive falsum; & mendacium, quod additur, secundum se est tantum leve: Cajet. Nav. Sanch. Tamb. num. 12.

Quæres tertio, Ad quam speciem peccati pertineat desiderium?

Respondeo, Ad eam speciem peccati, cujus est desiderium: Doctores communissime: hinc non solum differunt specie desiderium furandi, & fornicandi, sed etiam desiderium aspiciendi, tangendi, osculandi, fornicandi, &c. singula ab invicem specie differunt, quia tendunt in ista objecta, prout à parte rei ponerentur; &, si à parte rei ponerentur, distinguerentur specie, ut patet. Si autem quis concupivit mulierem non reflectens ad ejus conditionem, an scilicet esset libera, an conjugata, an consanguinea, an voto adstricta, &c. ita ut nullam habuerit advertentiam ad has circumstantias, satisfacit dicendo, *Desideravi mulierem:* at in dubio, an adverterit; si solitus erat abhorrere ab adulterio, incestu, sacrilegio, præsumi potest, quod fuit desiderium solius fornicationis; si solitus erat sine discrimine concupiscere quaslibet, censeri debet reus omnium; unde accusare se debet etiam de hac animi sui dispositione: Croix n. 1033. Plura de his vide in Tract. de Conscientia loc. cit. cap. 2. quæst. 3.

Quæres quarto, Ad quam speciem peccati pertineat delectatio morosa?

Respondeo (breviter tamen, cum huic quæsito satisfactum etiam ex parte sit in Tract. de Conscientia loc. cit.) Si delectationes morosæ sint de objectis diversis formaliter ut talibus, vel de eorum circumstantiis formaliter ut talibus, specie inter se distingui pro illorum diversitate: v. g. si quis secum delectetur de copula cum conjugata ut tali, contrahit malitiam adulterii, & sic de aliis;

aliis; quia actus specificatur à suo objecto: Doctores communissime. At, si materialiter tantum ferantur in talem circumstantiam tenentem se ex parte objecti, quæ ideo non sit expresse, vel directe volita: v. g. Si quis secum delectetur de copula cum conjugata, ita ut nec desideret, nec delectetur de illa, prout est cum conjugata, Sanch. Less. Lug. & alii multi adhuc dicunt, contrahere specialem malitiam illius circumstantiæ adulterii; ideoque hoc esse exprimendum in confessione. Sed oppositum dicunt etiam practice probabile Con. Sal. Fill. Bonac. Pal. Aversˆ. Ovied. Dicast. Carden. Croix num. 1024. & alii multi; quia, cum delectatio sit actus inefficax, non tendit ad tale objectum, prout à parte rei poneretur (uti econtra est desiderium) sed prout est delectans; circumstantia autem conjugatæ non habet in casu delectationem; adeoque voluntas affective præscindit à tali circumstantia: ergo satis est dicere: *Habui delectationem morosam de copula;* si autem sit delectatio morosa semel de pollutione, semel de copula, &c. etiamsi non ut talibus, non satisfacis dicendo, *Bis delectavi me in objecto turpi*, quia delectatio de pollutione est inchoata pollutio, de copula est inchoata copula, &c. ergo specie distinguuntur: Dicast. post Vasq. Less. Pal. & alios contra Berteau & alios apud Moyam. t. 3. d. 3. n. 18.

Porro ad quam speciem pertineat scandalum, seu inducere alterum ad peccatum, vide fuse dicta de Scandalo tom. 1. tr. 2. d. 2. q. 1. c. 3. §. 3. Sicuti demum, ad quam peccati speciem pertineant, quæ fiunt ex conscientia erronea, vel ignorantia culpabili, vel practice dubia, vide dicta in Tract. de Conscientia tr. 2. & 3. per totas.

§. IV.

Quomodo discerni possint Circumstantiæ mutantes speciem?

CIRCUMSTANTIA peccati supponit illud in certa specie malitiæ constitutum; eam tamen malitiam aliter afficit, vel augendo tantum, aut minuendo; vel etiam addendo novam speciem peccati, addentis scilicet novam oppositionem virtuti diversæ, aut eidem virtuti modo notabiliter diverso. Atque hæ circumstantiæ ex

ex Aristotele, & Cic. ap. D. Th. 1. 2. q. 7. à 2. præcipue sunt sex contentæ in hoc versu:

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

I. *Quis* significat personam agentem, vel patientem; ut si Sacerdos sit fornicatus, vel solutus cum conjugata; ibi enim additur circumstantia sacrilegii, hic adulterii; imo videtur apud Illsun. diversum specie sacrilegium, si sit Sacerdos, vel si sit Religiosus, vel habeat votum simplex castitatis: sed probabile est etiam oppositum apud anchez. huc spectant omnia dicta §. 3. .nuper expedito sub num. 3. Denique injusta læsio personæ in bonis corporis, honoris, aut famæ habet novam speciem impietatis, si sit in parentes, aut filios, aut conjugem, & probabilius etiam in fratrem, & sororem: Illsun. Lug. Con. & alii. Non vero læsio in bonis fortunæ; furtum enim his factum non esset impietas, nisi etiam læderet in corpore, honore, &c. Contra autem Superiorem, vel Benefactorem non habetur impietas, sed tantum peccatum majus: Ills.

II. *Quid* significat materiam peccati: sic in odio explicanda est qualitas mali alteri voliti, vel in bonis animi, vel corporis, vel fortunæ: in gaudio vero de malo alieno, vel in tristitia de ejus bono, videtur recurrere eadem doctrina, quam §. antecedenti diximus de delectatione morosa, cui hæc comparantur; dummodo absit voluntas efficax, ac desiderium.

III. *Ubi* significat locum, ratione cujus peccatum contrahere potest speciem sacrilegii: Primo, Per effusionem sanguinis, vel seminis, (& probabiliter etiam non publicam) in loco Sacro, hoc est intra Ecclesiam, non autem in Sacristia, &c. Secundo, Ob furtum è loco Sacro, hoc est Ecclesia, & Sacristia: at non è claustro, &c. & si furtum rei sacræ de sacro, probabilius sunt duo sacrilegia specie distincta: si autem crumenam furaris ab homine in Ecclesia, probabile est, non esse sacrilegium, quia non furaris de Sacro (ut dicitur cap. *Quisquis* 17, *q.* 4. & denotat depositum in Ecclesia) sed in Sacro, Lug. & alii contra Suar. & alios. Si autem furaris de Sacro per effractionem, incurris etiam excommunicationem reservatam Papæ c. *Conquesti, de Sent. Exc.* Tertio, per extractionem rei à loco Sacro, etiam Clau-

Clauſtro, Cœmeterio, domo Epiſcopi, &c. Addunt tamen Fagun. Dicaſt. & alii, per publicas pugnas, percuſſiones hominum ſine ſanguine, contumelioſas rixas mulierum, exonerationem ventris, & ſimilia, contrahi ſpecialem malitiam ſacrilegii, ſi fiant in Eccleſia, quia ſpecialiter dedecent, & inhoneſtant locum Sacrum; maxime ſi ibi aſſervetur Venerabile. Idemque eſt turpis comœdia in Templo; Suar. Bon. vel turpis cantio publice inter Divina Officia: Gob., vel turpis tactus publicus ante Altare: Lug. non autem oſcula, aut tactus in alio loco Templi: Sanch.

IV. *Quibus auxiliis* ſignificat inſtrumenta, & concauſas, quæ mutant ſpeciem, ſi ſpecialem malitiam continent: uti ſi ope dæmonis aliquem occideris: & diverſum etiam eſt, ſi cum expreſſa, vel cum tacita tantum ejus invocatione. Item ſi alios ad crimen induxeris, ſi verbo, exemplo, præſentia animaveris, &c.

V. *Cur* ſignificat finem externum operantis, ut ſi fureris vinum, ut te inebries. Si autem omittas Miſſam die feſto, ut ſtudeas, ſatis eſt dicere, *Omiſi Miſſam die feſto*, quia inordinatus amor ſtudii non eſt peccaminoſus quoad intentionem finis, ſed quoad omiſſionem Miſſæ. Contra vero, ſi pridie feſti eas absque juſta cauſa ad locum, ut ad Miſſam audiendam redire nequeas, non ſatisfacis dicendo, *Omiſi Miſſam die feſto*, ſed opus eſt dicere: *Ex intentione non audiendi, &c. aliquid egi, quo me reddidi impotentem*, quia hic finis ipſe eſt ſubſtantia actus peccaminoſi: Illſ. & alii.

VI. *Quomodo* ſignificat modum, quo actio fit, qui, ſi ſit ſpecialiter inhoneſtus, mutat ſpeciem: ſic, qui feminam violenter luxuriæ cauſa abducit, committit peccatum raptus: qui vi alicui ſua eripit, exercet rapinam: huc etiam reducitur modus, quo fit actio ex plena, vel ſemiplena deliberatione, ex ſcientia, ignorantia, conſcientia erronea, &c. de quibus fuſe dictum eſt in Tract. de Conſc.

VII. *Quando* ſignificat tempus, ut an die feſto exercueris opera ſervilia, confabulatus ſis in Miſſa, & quamdiu. Putant non pauci, nec ignobiles Doctores apud Sanch. l. 5. *Conſil. c. 2. dub. 3.*, Omne mortale die feſto commiſſum ob oppoſitionem cum divino cultu, habere ſpeciem irreligioſitatis, ac ſacrilegii, quia cap. *Omnis l. de Feriis* ſpecialiter recipitur, *Die Dominico ab omni opere illicito abſtinere*; & D. Aug. & D. Thom.

2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. *Magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo.* Sed communius, & probabilius Doctores apud Lug. Sanch. & Dian. p. 1. t. 7. r. 32. hoc negant ex communi praxi Confessariorum, & Pœnitentium, non curantium de hac circumstantia: text. autem, & PP. cit. tantum volunt, mortale die festo commissum gravius opponi fini ultimo sanctificandi festum, quam opponantur opera servilia alioqui licita; non autem quod tunc prohibeatur speciatim ex motivo religionis; uti prohibetur opus servile; hoc enim est materia præcepti sanctificandi festum, illud opponitur fini talis præcepti, & finis legis non cadit sub legem: Illsung. Cæterum, si peccatum fieret ex intentione profanandi, & contemnendi diem festum, utique esset species irreligiositatis, ac sacrilegii ob gravem contemptum Dei.

§. V.

Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalogi Præcepta?

I. Contra primum præceptum: Errores; vel dubia in fide sunt ejusdem speciei in quacunque materia sint: qui ergo dubitavit semel de Eucharistia, semel de Purgatorio, semel de æternitate animæ, satisfacit dicendo, *Ter dubitavi in fide;* quia tota malitia desumitur ex oppositione cum divina auctoritate, quæ est eadem in omnibus. At ignorantia culpabilis Mysteriorum, dubium de fide, & positiva hæresis, distinguuntur specie inter se; sicut etiam apostasia à fide, & infidelitas; uti etiam defectio à fide in Judaismum, Paganismum, Hæresim, &c., quia hæ sectæ habent diversam oppositionem cum Religione: Lug. d. 16. num. 291. Superstitio cum pacto explicito specie differt ab ea, quæ fit cum pacto tantum implicito, & tacito ob malitiam notabiliter diversam: Sanch. Bon. & alii contra Dian. p. 1. t. 7. r. 66. Divinatio, sive fiat per aves, sive per stellas, &c. est ejusdem speciei, si autem misceantur sacra profanis, accedit species sacrilegii: Dian. Less. & alii: item hæresis tantum externa specie differt ab ea, quæ est simul interna, quia hæc habet strictam rationem hæresis, & afficitur excommunicatione: Bull. Cœn. Denique simonia juris naturalis specie differt à simonia juris

juris tantum Ecclesiastici, ob turpitudinem notabiliter diversam: Croix num. 993.

II. Contra secundum: Blasphemiæ in Deum, B. V. & SS. ex Suar, Sanch., Less. & alii communiter distinguuntur specie, sicut distinguuntur latria, hyperdulia, & dulia; tamen Cajet. Dian. Tambur. & alii probabiliter etiam negant, quia omnes blasphemiæ speciem sumunt ab ipso Deo, sive in se, sive in suis Sanctis honorando. At, si blasphemia sit hæreticalis, accedit species hæresis: Lug. & alii communiter. Vide dicta tom. 1. cap. *de Blasphemia* §. 1. quæsit. 3. Juramenta per Deum, Sanctos, vel alias creaturas Dei sunt ejusdem speciei, quia in omnibus idem Deus vocatur in testem: Lug. num. 287. Item jurare, quod non vis implere, vel quod scis esse falsum, vel de quo dubitas, an sit verum, sunt ejusdem speciei: Dicast. & alii. Et perjurium execratorium specie differt à simplici, quia est etiam contra charitatem propriam: Dicast, d. 9. num. 538. contra Lessium. Pal. dicit, perjurium assertorium specie differre à promissorio: sed negant Suarez, Cajet. & alii, quia utrobique vocatur tantum Deus in testem animi præsentis. Vota facta Deo, B. V. vel aliis SS. sunt ejusdem speciei, ut dictum est de Juramento; item de quacunque re gravi fiant: sic qui vovit Jejunium, Missam, Rosarium, & nihil implevit, satisfacit dicendo, *Ter transgressus sum grave votum:* Dicast. Lug. & alii. At, si votum fuerit juratum, est etiam contra fidelitatem: Tambur. & alii. Qui vovit jejunium conditionate, si furetur, confitens furtum tacere potest votum, dummodo impleverit; qui vero vovit non furari, &, si furetur, jejunare; confitens furtum addere debet, fregisse votum non furandi, etsi jejunavit, quia commisit sacrilegium; qui autem vovit vel non furari, vel jejunare, confitens furtum tacere potest de voto, dummodo jejunaverit: Croix n. 1003.

III. Contra tertium: Ejusdem speciei est die festo exercere opus servile, ac forense tunc prohibitum: diversæ vero omittere Missam. Si tunc diu confabuleris, in Missa inducendo alium, Tambur. putat. unum esse peccatum, dummodo paratus ille esset ad confabulandum, secus si eum compuleris. Qui die Natalis Domini unam audit Missam, non peccat; si nullam, unum peccatum est, etsi inciderit in Dominica, quia peccat tantum contra Religionem; secus, si eam etiam voverit,

rit, vel Confessarius adjunxerit in pœnitentiam. Eadem dicenda sunt de jejunio: nam violatio jejunii quadrageſimalis per comeſtionem carnium ſpecie differt à comeſtione lacticiniornm, ob notabilem diverſitatem oppoſitionis cum temperantia: & ſimiliter à comeſtione multiplici cibi non vetiti: Sanch. Ovied. & alii: & multiplex comeſtio carnium eſt multiplex peccatum, non vero multiplex cibi non vetiti. De comeſtione vero lacticiniorum in jejunio extra Quadrageſimam, vide, quæ diximus in Tract. de Jejun. tom. 1. d. 1. q. 4. c. 4. §. 1. Qui in mortali ſuſcipit Sacramentum vivorum, peccat peccato diverſæ ſpeciei ab eo, qui in peccato miniſtrat; quia ultra irreverentiam non impedit in ſe ejus effectum. Qui in excommunicatione, & ſimul in mortali, & ſimul non jejunus communicat. Vaſq. Dian. Lug. Tamb. Gob. & alii putant, unum peccatum committere contra reverentiam Sacramenti; ſed probabilius Bon. Averſ. & alii dicunt duo ſpecie diſtincta, quia contra excommunicatum, & non jejunum eſt præceptum Eccleſiaſticum ex motivo reverentiæ erga Chriſti Corpus, & contra peccatorem eſt præceptum divinum ex motivo non fruſtrandi Sacramentum ſuo effectu. Et idem eſt, ſi Sacerdos in mortali, & ſimul ſine veſtibus ſacris, vel extra lapidem, vel cum corporali plicato celebret: Dicaſt. & alibi: celebrans etiam in ſolo mortali peccat ut miniſter, & ut ſuſcipiens. Qui culpabiliter omiſit communionem Paſchalem, & communionem per Viaticum, duo peccata committit ſpecie diſtincta, ob motiva præceptorum diverſa. Qui autem ſuſcipit Sacramentum pœnitentiæ ſine debito examine, & ſine dolore, & ſine integritate, unum peccatum committit; ideoque ſatis eſt dicere: *Confeſſus ſum ſacrilege.* Probabile item eſt, , Sacerdotem, qui ſit & Beneficiatus, & Monachus omittendo Horas unum peccatum committere, adeoque ſatis foret dicere, *Omiſi horas debitas;* non enim peccat contra juſtitiam ratione beneficii, ſed tantum non facit fructus ſuos: Henr. Sanch. Fill. Sal. Pelliz. Tamb. Pal. & alii contra Suar. Laym. Bonac. & alios.

IV. Contra quartum: Odium, detractio, contumelia, &c. facta contra parentes ſunt diverſæ ſpeciei ab injuriis alteri factis, quia ſunt contra pietatem, & nomine parentum venit etiam avus, & proavus: Lug. n. 298. Tamb, l. 2. *Conſ.* c. 5. At, ſi furatus es parenti, ſatis

eſt

est dicere, *furatus sum*, quia non est actio contra pietatem, nisi inducat periculum paupertatis: Croix n. 1006. Injuria, quam pater infert filio, aut nepoti, conjux conjugi, frater fratri, differunt specie; quia, licet singulæ sint contra pietatem, tamen in singulis est diversa deformitas ratione diversi tituli conjunctionis; ac si injuria sit contra alios etiam propinquos, etiam benefactores, &c. non contrahit novam speciem in confessione explicandam; uti nec si fiat contra Sacerdotem, dummodo non sit percussio: Lug. num. 310. Si injuria fiat Superiori, qua tali, additur nova species contra reverentiam, hinc, si formali contemptu transgrediaris ejus præceptum leve, præter inobedientiam levem additur malitia gravis contra reverentiam debitam; non tamen, si non tangat illum, ut Superior est, ut si reveles secretum, quod Superior tanquam amicus tibi commisit: Lug. n. 309. Nota demum, quod lex, & præceptum Superioris facere potest, ut actio præcepta, vel prohibita spectat ad illam virtutem, ex cujus motivo præcipitur, aut prohibetur; hinc Subdiaconus v. g. qui non vovit castitatem, si fornicetur, fit sacrilegus, quia contra præceptum Ecclesiæ id ei prohibentis ex motivo Religionis: Doctores communiter.

V. Contra quintum: Qui occidens præterea discerpat cadaver, præscindat membra, evellat cor, &c., fit reus malitiæ specie distinctæ, nempe feritatis: Suar. Lug. Tambur. & alii; à fortiori, si hæc faciat adhuc spiranti, &c. Item velle occidere, & velle tantum graviter vulnerare, specie differunt. quia contra jura diversa ad vitam, & ad integritatem corporis. Similiter imprecari mala diversi generis, scilicet in fortunis, in honore, in corpore, in anima: Ov. & alii. Si odium sistat in mera delectatione mali proximi, vel displicentia ejus boni, absque voluntate efficaci, recurrit doctrina de delectatione morosa; idemque ait Lug. d. 16. num. 259. contra Suar. si odium sistat in mero desiderio inefficaci sine voluntate inferendi malum, quod tantum quasi fovetur, quia erit tantum contra charitatem in genere.

VI. Contra sextum: De hoc multa sunt dicta paulo ante §. 3. n. 2. & 3. per totos: plura dicentur alibi, præsertim in Tract. de Matrimon. Aliqua hic addo. Qui peccat cum conjugata, etiam consentiente marito, adhuc committit adulterium, ex Propos. 50. damnata ab

Inn. VI. Si conjux in actu conjugali cum sua se morose delectet cum alia velut præsente, est species adulterii; ut etiam, qui accedit ad suam putans esse alienam: Sanchez, & alii. Item specie differunt copula inchoata in vase, vel circa vas innaturale, & deinde perfecta in naturali. Item consummata extra vas est contra naturam; si autem in actu ipso pœnitentia ductus quis se retrahat à copula illicita, non peccat de novo, etsi prævideat semen deciſum diffundi, quia id accidit tali voluntati bonæ: Sanchez, Lessius. Qui habet votum castitatis, & causat in alio pollutionem tactibus, &c. peccat contra votum: Doctores communiter: si autem solo consilio, vel mandato, negant Sanchez, & alii, affirmant Carden. & alii, quia castitas prohibet, ut nihil directe contra se procuretur. Prima fornicatio, vel pollutio tollentes virginitatem, secundum D. Th. Bon. & alios distinguuntur specie à reliquis, quia opponuntur virginitati, quæ videtur habere specialem honestatem à castitate in communi; sed negant Lugo, & alii plures (nisi vero per fraudem, dolum, aut vim defloretur virgo) quia semper est contra castitatem tantum, ut primum furtum contra justitiam tantum. Equidem non est circumstantia aperienda necessario in confessione, quia virginitas non cadit sub præceptum, sed consilium, ex Ap. 1. ad Cor. 7. Denique, si virgo sub potestate parentum consentiens defloretur, Fill. & alii putant, esse stuprum, quia fit specialis injuria parentibus, sed negat Sanchez, quia virgo tantum est domina sui corporis, & stuprum est vis ei illata; si autem inferatur non virgini, Joan. Sanchez putat, non mutare speciem: sed recte contradicunt alii cum D. Th. quia semper est contra justitiam.

VII. Contra septimum: Furtum per usuram, vel alium dolosum contractum est ejusdem speciei cum aliis furtis: rapina vero differt, quia fit per vim illatam personæ. Si furatus sis heri equum, hodie pecuniam, cras vestes, satisfacies dicendo, *Commisi tria furta gravia*, quia materiæ hic sunt moraliter ejusdem speciei. Si occasione confessionis fureris aliquid Confessario, Lug. & alii dicunt esse grave sacrilegium, etsi res sit levis, quia videtur, cedere in gravem irreverentiam Sacramenti: sed negat Averſ. si res sit levis, uti dicitur etiam de levi mendacio in Confessione; imo, etiamsi res sit gravis, dummodo animus, & furtum fuerit post absolutionem.

VIII.

VIII. Contra octavum: Etsi mendacium in re levi semper sit leve, est tamen semper mortale, si addatur juramentum; dicere autem *In conscientia mea*, ex dictis etiam de Juram. non est tale (nisi adsit conscientia erronea) per se enim significat interpositionem suæ auctoritatis fide dignæ.

IX. Contra nonum: De non concupiscenda re aliena, &

X. Contra decimum: De non concupiscenda muliere aliena dictum est jam paulo ante §. 3. ubi de desiderio, & delectatione morosa, & fusius in Tract. de Conscient. loc. sup. cit.

QUÆSTIO III.

De Cordis Contritione.

CORDIS Contritio, ut vocatur à Florentino, definitur à Trident. *sess.* 24. *cap.* 4. *Est animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Hæc contritio sic generice accepta dividitur ab eodem Trident. *can.* 3. *&* *can.* 5. in perfectam, quæ absolute vocatur *Contritio*, & in imperfectam, quæ ab eodem appellatur *Attritio.* Itaque ad vitandam æquivocationem, contritionem generice acceptam dicemus dolorem de peccatis; hunc deinde dividemus in dolorem perfectum, quem vocabimus Contritionem; & in imperfectum, quem dicemus Attritionem; tum demum agemus de Proposito.

CAPUT I.

Quid de Dolore peccatorum?

VIDENDUM I. Quinam dolor requiratur ad valorem hujus Sacramenti? II. Quæ sint ejus Qualitates? III. Quando debeat elici?

§. I.

Quinam dolor requiratur ad pœnitentiæ valorem?

DICO primo: Ad Sacramentum pœnitentiæ essentialiter requiritur dolor formalis peccatorum: Doctores

res communiter cum Suarez d. 20. sect. ubi oppositum vocat temerarium, & Vasq. erroneum. Ratio est, quia Flor. & Trid. loc. cit. requirunt absolute, & simpliciter aliquam contritionem tanquam partem hujus Sacramenti; atqui contritio est dolor, & detestatio de peccato commisso, ex eod. Trid. ergo requiritur dolor simpliciter, adeoque dolor verus, & formalis.

Hinc: Primo, Non satis est dolor virtualis, contentus in amore Dei super omnia, ut putavit Sylv. quia, quamvis amor Dei sit dolor virtualis, tamen absolute, & simpliciter non potest dici dolor, sed cum addito: ergo, quamvis per ipsum justificetur peccator extra Sacramentum, tamen per ipsum sine dolore formali non potest haberi Sacramentum. Similiter nec satis est solum propositum non peccandi de cætero, ut censuit Victor., quia est tantum dolor virtualis. Nec satis est voluntas suscipiendi hoc Sacramentum cum negatione actualis affectus ad peccatum, ut censuit Rosel. nec quæcunque displicentia peccati cum velleitate non peccandi de cætero, ut censuit Granad. quia nihil horum est dolor formalis. Atque hæc omnia procedunt etiam in confessione venialium; ita ut peccaret etiam mortaliter, qui absque dolore formali confiteretur venialia; quia, quamvis venialia sint materia levis, tamen frustrare Sacramentum est ex toto genere peccatum grave: Doctores communiter contra Fabr. Secundo, Neque satis est dolor putatus, nempe, si quis bona fide putet, se dolere, cum reipsa non doleat, ut putarunt Cordub. Sot. Cajet. Con. & alii; quia, quamvis sic confitendo excuseris à sacrilegio, tamen bona fides non potest dare sufficientiam, quam dolor ex institutione Christi habet in Sacramento; & à fortiori nec satis est dolor tantum externus, seu ore manifestatus, quo quis dicat Confessario, se dolere, & in corde non doleat, ut putavit Carolus ab Ascensione in suo Pentalogo, quia Florent. requirit contritionem cordis. Tertio demum, Nec satis est dolor, quo quis doleat, se non dolere, ut putarunt Pal. Nav. Sa, & alii; quia Concilia requirunt absolute dolorem de peccato. Notat tamen Arriag. vix fieri posse, ut quis efficaciter doleat de carentia doloris, & reipsa non doleat de peccato; quamvis enim non experiatur tunc sensibilem dolorem, tamen habebit spiritualem; & ideo putat, hunc talem posse tuto accedere ad hoc Sacramentum.

Dico

Dico secundo: Dolor formalis requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ debet esse simul detestatio peccati: Doctores communius cum Con. d. 1. n. 20. contra Dicast. d. 2. n. 103. & alios putantes, sufficere alterutrum, vel scilicet dolorem, vel detestationem. Ratio est, quia Trid. dicit, Contritionem esse *Animi dolorem, & detestationem:* ergo utrumque requiritur ad valorem Sacramenti. Explico utrumque. Dolor, & detestatio sunt actus odii; sed dolor est tristitia odio habens malum qua præsens; detestatio est retractatio odio habens malum præteritum, ut olim admissum: utrumque hoc ex Trid. requiritur ad contritionem generice acceptam; ita ut pœnitens per dolorem tristetur de peccato commisso, quatenus est aliquod malum præsens, saltem quia præsens aliquod malum est olim peccasse; sicuti etiam olim bene egisse est aliquod bonum præsens, de quo potest semper gaudere; simul etiam pœnitens per detestationem retractet peccatum, ut olim commissum, ita ut velit, ut illud non commisisset, & efficaciter impediret, si poneretur in circumstantiis, in quibus posset illud impedire. Hinc Beati, qui aliquando in vita peccarunt, habent peccati detestationem, non tamen dolorem, cum sint hujus incapaces, & ideo non possunt habere actum contritionis. Econtra damnati habent dolorem, non tamen detestationem, quia non possunt amplius retractare peccatum, & ideo nec possunt conteri. Ergo homo, ut conteratur, utrumque habere debet; sive demum quod ad detestationem sequatur dolor veluti proprietas, ut putant Cajet. Navarr., Gob. & alii; sive quod inferat detestationem, putant Con. & alii; sive demum quod in hac vita non possumus elicere dolorem, quin sit, vel adjunctam habeat detestationem, nec possumus elicere detestationem, quin sit, vel adjunctum habeat dolorem, ut notat Con. ex D. Thom. 3. p. q. 84. Hinc communis Doctorum sensus est, eum valide absolvi, qui accedit cum dolore formali, licet expresse non cogitet de detestatione, satisque esse, si exercite detestetur peccatum; & ideo contritio perfecta, vel attritio præcipue significantur per dolorem.

Dico tertio: Dolor formalis sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ elici debet ex fide, & spe saltem virtuali: ita communis, & certa Theol. sententia cum D. Thom. Ratio est, quia Trident. *sess.* 14. *c.* 4. eosdem actus exigit pro dispositione ad Sacramentum pœniten-

tiæ, quos *seſſ.* 6. *c.* 6. exigit pro diſpoſitione ad baptiſmum, ubi exigit actum fidei, ſpei: & ratio ulterior eſt, quia dolor ſufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ debet eſſe ſupernaturalis, uti eſt certum; atqui nequit eſſe ſupernaturalis, niſi procedat ex fide (ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ex Apoſtolo, & Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 6. ideoque D. Thom. in 4. d. 14. q. 1. a. 2. ait *Motum pœnitentiæ præcedit actus fidei, quia accedentem ad Deum oportet credere*) uti etiam eſt certum; & rurſus niſi etiam procedat ex ſpe veniæ, quod de attritione expreſſe habetur in Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 3. & de contritione D. Thom. cum communi ait, moraliter fieri non poſſe, ut voluntas in præſenti ſtatu conſurgat ad perfectum amorem, qualis eſt contritio, niſi prius erigatur per ſpem ſupernaturalem: ergo ad dolorem ſufficientem in Sacramento pœnitentiæ prærequiritur etiam actus fidei, & ſpei. Dixi, *Saltem virtualis;* nam ſufficit actus fidei olim habitus, qui maneat adhuc in aliquo ſuo effectu, dum elicis dolorem; qui actus olim habitus expreſſe credidit myſterium Trinitatis, & Incarnationis: D. Thom. cum communi. Similiter ſufficit exercite, & veluti experimentaliter cogitare, ac ſperare à Deo remiſſionem, ejusque gratiam per dolorem in Sacramento.

§. II.

Quænam ſint qualitates Doloris?

QUALITATES doloris requiſiti ad valorem hujus Sacramenti ſunt quinque: I. Ut ſit liber: II. Efficax: III. Univerſalis: IV. Honeſtus: V. Supernaturalis.

I. Hic dolor debet eſſe liber, & voluntarius, ex Trid. *ſeſſ.* 14. *can.* 5. quia, ſi homo libere ſe avertit à Deo per peccatum, libere converti debet ad Deum per dolorem retractativum peccati. Quod verum eſt, etiamſi convertatur ad Deum ex metu gehennæ, & pœnarum, ex Trident. cit. cum talis metus non tollat rationem liberi, & voluntarii ſimpliciter.

II. Debet eſſe efficax, hoc eſt excludere debet voluntatem peccandi; quia Trid. citat. dicit, dolorem diſponere ad gratiam in Sacramento recipiendam, ſi voluntatem peccandi excludat. Hinc male putarunt aliqui

apud

apud Carden. ad valorem hujus Sacramenti sufficere, si dolor invincibiliter putetur esse efficax, cum debeat reipsa esse talis; aliter homo non diceretur simpliciter converti ad Deum. Quare peccator debet de peccatis dolere ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, non quidem intensive, sed appretiative, quo sensu etiam debet esse summus; quatenus ita appretiat peccatum super omne aliud malum, ut ab eo efficaciter se convertat ad Deum ex toto corde, &c. excludendo omnino à se voluntatem peccandi. Ubi etiam nota primo, quod non ideo dolor dicitur efficax, ex quod faciat, ut nunquam amplius peccetur, sed ideo, quia est talis naturæ, ut quamdiu duret, cum illo componi non possit voluntas peccati, de quo ipse est dolor: Croix num. 668. Nota secundo, Quod talis dolor sufficit, si sit in sola voluntate efficaciter detestante peccatum, adeoque sit pure spiritualis; etiamsi non sentiatur in corpore sine lacrymis, &c. quia non est actus appetitus sensitivi, etsi illum comitari soleat aliquando dolor sensibilis, lacrymæ, &c. Debet vero per confessionem, vel aliud signum fieri sensibilis, hoc est externe manifestatus Confessario, ut possit hic valide absolvere; sic enim dolor fit pars Sacramenti, quod est signum sensibile.

III. Debet esse universalis, respectu scilicet mortalium, ita ut se extendat ad omnia mortalia, nondum remissa, quæ sunt in conscientia; quia in hac providentia non remittitur unum mortale sine remissione alterius, & nullum mortale remittitur sine efficaci dolore de illo: Doctores communiter. Non est autem opus descendere ad detestanda singula mortalia, quæ habes in conscientia; sed satis est, si ea universaliter detesteris, quia singulorum expressio requiritur in oris confessione, non in cordis dolore, ut notat Laym. unde, si advertis, te valde alicui crimini propensum, ne elicias actum doloris circa illud peculiare crimen ob periculum, ne illud ex animo detesteris, dum ad illud te reflectis; sed doleas de eo universaliter, & simul cum aliis peccatis, quia sic difficultatem dolendi, vel nullam senties, vel exiguam, ut bene addit Tamb. l. 1. *Conf.* c. 1. Dixi, Dolorem debere esse universalem respectu mortalium, quæ habes in conscientia; nam non est necesse, ut sit ex motivo universalissimo ad omnia mortalia possibilia; quia non teneris dolere de peccatis, quæ non fecisti; Suar. & alii communiter contra Bon. & alios. Neque urget paritas

ritas propositi, quod debet esse universalissimum de vitandis imposterum omnibus mortalibus possibilibus; nam Trid. definit, contritionem requisitam ad valorem Sacramenti esse *Dolorem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero;* ubi prior pars satis innuit, non requiri dolorem universalissimum, sed tantum de commissis. Notat tamen Dicast, quod si prudenter timeas, ne alia etiam mortalia habeas, quæ non sunt in conscientia, teneris tunc ad dolorem universalissimum, ne exponas Sacramentum periculo carendi suo effectu.

Dubitant hic Doctores, An Sacramentum pœnitentiæ possit esse validum, & informe, ita ut valeat quidem, sed non producat gratiam, eo quod dolor inculpabiliter non se extendat ad omnia mortalia commissa, necdum remissa: uti esset, si Titius reus furti, & homicidii recordetur tantum homicidii, & de hoc doleat ex motivo speciali ipsius homicidii?

Respondeo affirmative cum Suar. Henr. Tol. Bon. & aliis plurimis contra Vasq. Con, Laym. Pal. & alios. Quia, quamvis in casu non causetur gratia, cum furtum invincibiliter oblitum, nec virtualiter retractatum, sit obex, ideoque Sacramentum sit informe; tamen huic nulla pars essentialis deest, cum adsit integra confessio peccatorum, quæ sunt in conscientia, & solus dolor possit esse pars hujus Sacramenti, qui per hanc confessionem fieri potest sensibilis: dolor autem de furto, etsi adesset, non posset fieri sensibilis per hanc confessionem; nam pœnitens expresse dicit, se non habere aliud peccatum: ergo habetur Sacramentum validum, licet informe; ita ut postea recipiatur etiam gratia, si eliciatur novus dolor ex motivo universalissimo in alia confessione, &c.

Objicies: Trid. *sess.* 14. *c.* 5. ait, *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur;* atqui furtum in casu non intelligitur inclusum in hac confessione ob defectum doloris non se extendentis virtualiter ad ipsum: ergo talis dolor non sufficit ad valorem, &c. Secundo, Idem Trid. *cap.* 3. *& can.* 4. ait, dolorem quatenus ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem ex Dei institutione requiritur, esse partem hujus Sacramenti, & ad ejus valorem requiri. Atqui talis non est dictus dolor, cum non sufficiat ad plenam remissionem peccatorum in Sacramento, ut patet: ergo, &c.

Respon-

Reſpondeo cum Averſ. ℓ. 6. Trid. utroque loc. cit. loqui, prout per ſe, & ordinarie res contingit; explicat enim modum ordinarium, qui eſt, & procurari debet pro juſtificatione; ad quod, per ſe loquendo, requiritur, ut dolor ſe extendat ad omnia nondum remiſſa, ne impediatur effectus Sacramenti. At Trid. præſcindit ab eo, quod per accidens, & raro contingit, ratione ſcilicet doloris bona fide non ſe extendentis ad aliqua peccata; nec ullibi negat, talem dolorem ita reſtrictum obeſſe valori Sacramenti, ſi pœnitens invincibiliter oblitus ſit illius furti, vel etiamſi putabat, illud eſſe remiſſum, aut non eſſe mortale. ut addit Suar.

IV. Debet eſſe honeſtus, ex Trid. *ſeſſ.* 14. *can.* 5. hoc eſt elicitus ex motivo honeſto; qualis non eſt, ſi doleas v. g. de ebrietate, quia ſic non potuiſti occidere hoſtem; hoc enim eſt motivum inhoneſtum: vel quia contraxiſti morbum; hoc enim motivum eſt indifferens: vel quia contraxiſti infamiam; nam eſt motivum humanum: vel quia dedecet virum honoratum; etſi enim hoc ſit motivum honeſtum, eſt tamen naturale, & ad dolorem in Sacramento requiritur motivum honeſtum ſupernaturale, ut mox dicam; idque eſſe poteſt quadruplex, vel bonitas Dei, vel turpitudo peccati, vel metus gehennæ, & pœnarum, vel ſpes gloriæ, & præmii, juxta dicenda c. 3.

V. Debet eſſe ſupernaturalis; nam Trid. *ſeſſ. cit. c.* 4. ait, eſſe donum, & impulſum Spiritus Sancti; & *ſeſſ.* 6. *can.* 3. anathema dicit illi, qui aſſerit, ſine Spiritus Sancti inſpiratione, & adjutorio poſſe hominem pœnitere, ſicut oportet. Hinc damnatur ab Innoc. XI. hæc Prop. 57. *Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem:* quæ damnatio indefinita excludere videtur etiam attritionem ſupernaturalem tantum quoad modum; vel tantum extrinſece ratione acceptationis Divinæ, & ſolum includere dolorem entitative, & ſubſtantialiter ſupernaturalem: Dicaſt. Croix, & alii communius contra Con. Cajet. & alios. Tunc autem dolor eſt entitative, & ſubſtantialiter ſupernaturalis, cum procedit ab uno ex quatuor motivis dictis numero antecedenti, non tamen utcunque cognito lumine naturæ, ſed ut cognito lumine fidei ſupernaturalis, quæ proinde eſſentialiter prærequiritur ad hunc dolorem, tanquam principium ſupernaturale influens in ipſum: Sic, ſi quis doleat ex motivo bonitatis Divinæ, ut lumine naturæ notæ, dolor eſt naturalis, & inſufficiens; ſecus vero, ſi ex eodem motivo,

tivo, ut credito per Fidem : similiter, si doleat ob turpitudinem peccati, ut dissonantis rationi naturali, dolor est insufficiens : secus vero, si ob turpitudinem peccati, ut dissonantis lumini Fidei : quatenus v. g. privat gratia, reddit indignum Christi membrum, &c. ex dicendis fusius infra.

VI. Denique in dolore venialium requiruntur etiam dictæ qualitates, excepta tertia, Nam potest licite, & valide suscipi Sacramentum Pœnitentiæ, etsi dolor non se extendat ad omnia venialia, quæ pœnitens habet in conscientia, vel etiam confitetur. Et ratio est. quia, cum non sit obligatio confitendi venialia, & possit unum etiam per absolutionem remitti sine altero, sequitur, ut possit pœnitens absolvi de uno, de quo dolet, & non de altero, de quo non dolet, etiamsi utrumque confiteatur; aliter timorati passim deterrerentur à confessione venialium, cum facile accidat, ut inter ea sit aliquod, de quo quis efficaciter non doleat: Suar. Henr. Vasq. Hurt. Dian. p. 11. t. 5. r. 22. & alii communiter contra Pal. & alios.

Dices : Qui confitetur aliquod veniale, exercite dicit, se de eo dolere : ergo, si de eo non doleat, quamvis doleat de aliis, mentitur, adeoque irritat Sacramentum: rursus peccatum, de quo non doles, est materia inepta absolutionis; atqui subjicere materiam ineptam absolutioni Sacramentali est mortale; uti etiam Hostiis triticeis consecrandis miscere avenaceam : ergo, &c.

Respondeo : Ad primum, etiam dato, quod sic mentiatur, tamen mendacium est circa rem levem, adeoque ad summum peccat venialiter, neque adeo irritat Sacramentum. Cæterum non mentitur, quia ex praxi, & sensu communi Fidelium intelligitur pœnitens in confessione venialium exercite dicere, se dolere de aliquibus illorum, & ab eis velle absolvi : reliqua vero confiteri ad sui humilitatem, & confusionem, vel ad manifestandam magis suam conscientiam, ut à Confessario dirigatur; uti etiam manifestantur habitus pravi, & inclinationes inordinatæ, quæ non sunt peccata. Ad secundum, nego minorem, & paritatem; nam in consecratione tot sunt Sacramenta, quot sunt Hostiæ, adeoque unaquæque Hostia est materia gravis, quam ut physice distinctam afficit forma consecrationis; at per absolutionem venialium fit unicum Sacramentum, quod sufficienter salvatur in uno veniali rite absoluto : ita Dicast. Rursus

ſus verba conſecrationis diriguntur ad materiam, quæ abſolute determinatur, & demonſtratur per pronomen *Hoc*, adeoque de ſingulis Hoſtiis dicitur eſſe Corpus Chriſti; & ideo, ſi inter eas ſit avenacea non apta fieri Corpus Chriſti, forma conſecrationis fit falſa; at verba abſolutionis non diriguntur ad peccata, ſed ad pœnitentem, & indeterminate tantum, & in confuſo attingunt peccata dicendo: *Quantum in me eſt, remitto tibi peccata*, quod manet verum, dummodo peccatum, de quo dolet, remittatur: ita Suar.

Ex dictis infers, quod ſi doleas ſolum de venialibus gravioribus, etſi in fine dicas, *De his, & omnibus aliis meis peccatis doleo*, neque mentiris, quia ex communi ſenſu aliud non vis ſignificare, quam quod doleas de illis, à quibus vis, & potes abſolvi. Idem dic, ſi confitearis multa venialia, & doleas tantum de eorum frequentia, cum ſit ſpecialis inhoneſtas in eorum conſuetudine, & propterea facilius poſſis ſic dolere, ut notant Lugo, & alii. Cæterum, ſi advertas, te non dolere de aliquo veniali, melius tibi conſulis, omittendo ejus confeſſionem: Suar.

§. III.

Quando dolor ſit eliciendus?

Certum eſt, dolorem debere elici ante abſolutionem, quia ſecus peccator non eſſet diſpoſitus ad remiſſionem peccati: Doctores communiter. Si autem eliciatur in ipſa abſolutione, ante tamen finem illius: Tamb. Gob. & alii putant ſufficere: negat Lugo; monentque omnes, cavendum eſſe, ne Sacramentum exponatur periculo fruſtrationis. Imo Con. Laym. Pal. & alii putant, ne ſufficere quidem, ſi eliciatur poſt confeſſionem ante abſolutionem; quia, ſi confeſſio ipſa non procedat ex dolore, non eſt Sacramentalis, ſed ſe habet veluti narratio hiſtorica, & aliunde dolor poſtea elicitus nec fit ſenſibilis per ipſam, utpote antecedentem: & hanc ſententiam, utpote in ſe probabilem, & tutiorem vult Croix ſequendam eſſe in praxi poſt Prop. 1. damnatam ab Inn. XI. alibi cit. infertque, quod ſi pœnitens poſt confeſſionem eliciat dolorem, debeat iterum ſe accuſare ſaltem in genere de peccatis antea dictis, quia ſic confeſſionem ſufficienter repetit.

Com-

Communior tamen sententia cum Nav. Tol. Vasq. Gurt. Dian. Bon. Fagun. Suar. d. 20. s. 4. & aliis plurimis docet, sufficere etiam dolorem elicitum post confessionem ante absolutionem; quod etiam probatur ex praxi Confessariorum, qui audita Confessione conantur efficacibus verbis adducere pœnitentes ad dolorem, prout etiam faciendum monet Rit. Rom. §. 12. Ut autem talis confessio differat à narratione historica, satis est, si fiat ex voluntate habendi absolutionem; per quod etiam dicitur Sacramentalis: & similiter dolor postea elicitus sufficienter fit sensibilis ob eam confessionem, ut imperatam à tali voluntate suscipiendi Sacramentum, ad quod requiritur dolor; sit etiam sensibilis per expectationem absolutionis, continuatam genuflexionem, tunsionem pectoris, &c. quæ sunt quasi continuata confessio: Suar. Lug. & alii. Neque huic sententiæ obest Prop. damnata; quia etiam dato, quod implicite loquatur de suscipiente Sacramentum (solum enim loquitur explicite de conferente) tamen in casu non sequimur opinionem probabilem, sed probabilissimam ex communi Doctorum sensu, & praxi Confessariorum, & intrinseca ratione; ita ut Abelly dicat, esse in praxi tutam, & Lugo dicat, oppositam sententiam esse singularem, & contra communem Theologorum; & aliunde solum prohibemur sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, non vero prohibemur sequi opinionem probabilissimam, ut patet ex Prop. 3. Tutioristarum damnata ab Alexand. VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam,*

Quæres primo, An dolor elicitus ante confessionem, ut sit sufficiens ad Sacramentum, debeat esse elicitus ex intentione confitendi?

Respondeo, Plures Doctores cum Lug. Avers. Regin. Tamb. Gob. Moya, & aliis putare, satis esse si per voluntatem consequentem referatur ad confessionem faciendam, quod Arriaga dicit esse certum. At contra Bon. Præp. Dicast. & alii etiam plurimi docent, quod debeat elici ex intentione confessionis, quia alias non esset actio Sacramentalis, nec pars Sacramenti; sicuti neque esset Sacramentalis ablutio facta sine intentione baptizandi, quamvis immediate post referretur ad baptismum, & proferatur forma. Hæc secunda sententia videtur probabilior, adeoque in praxi sequenda: addit tamen Pallav. quod, si dolori conjunctum sit desiderium justifi-

justificationis, ut communiter accidit, tunc jam adest sufficiens voluntas confitendi saltem mortalia, quia horum confessio ex dictis q. 1. c. 2. est necessaria necessitate medii, vel in re, vel in voto.

Quæres secundo, Quamdiu ante confessionem elici possit dolor sufficiens ad illam?

Respondeo, Non opus esse, ut dolor physice per se ipsum coexistat cum confessione; quia hoc Sacramentum imitatur judicium forense, in quo sententia sequi potest diu post accusationem, processum, & confessionem rei; & ideo etiam differt ab aliis Sacramentis, quorum formæ plerumque significant materiam suam actu adesse præsentem. Satis ergo est, si dolor moraliter coexistat confessioni, hoc est ita existimetur perdurare, ut Pœnitens ex vi illius censeri possit adhuc pœnitere, dum absolvitur; quia sic constituit unum moraliter cum absolutione, eritque pars Sacramenti: Doctores communiter. Tamdiu autem dolor perdurare dicitur moraliter, quamdiu perdurat in aliquo suo effectu: ut si quis ex vi ipsius jam eliciti pergat examinare conscientiam, manere ante confessionale expectare locum confitendi, &c. sic enim dolor ille præteritus manet virtualiter in ejusmodi actionibus, utpote elicitis vi ipsius ab actu quodam tenui, & imperceptibili in mente relicto; etsi per plures horas dolor ille anteceserit: ut dicimus de intentione virtuali in celebrante.

Hinc Moya dicit, sufficere dolorem, si duabus, vel tribus horis præcedat confessionem: Tamb. si toto die antecedenti: Gob. si etiam duobus diebus: Hurt. si quatuor, aut quinque, aut etiam pluribus diebus: Tancred. si etiam per mensem; & aliqui apud Dian. pag. 3. t. 4. r. 116. si etiam per plures annos, dummodo non sit retractatus. Verum ex dictis patet, statui non posse certum tempus, sed requiri, ut perseveret moraliter, seu virtualiter in aliquo ab eo relicto, ordinante cæteras actiones ad confessionem faciendam. Quare dictæ opiniones deserviri possunt, ut si quis post signa doloris incidat in amentiam, delirium, &c. absolvi possit, ac debeat, saltem sub conditione, etiam post multum tempus. Cæterum dolor antecedens non sufficit ad confessionem, si sit notabiliter interruptus, vel retractatus: v. g. si post illum convertas te ad aliud negotium omnino diversum; in quo casu, quamvis positive nondum dimiseris voluntatem confitendi, tamen pro praxi breviter re-

renovandus est dolor. A fortiori, si retractetur dolor de mortalibus, quod fit per quodcunque mortale postea commissum, quia sic destructum est jam propositum non peccandi de cætero. Si autem quis unico actu doluit de mortalibus simul, & venialibus, & postea venialiter peccat, putant Lug. Arr. Dicast. Pallav. Tamb. & alii communiter, dolorem illum non revocari quoad mortalia, quia erat virtualiter multiplex, & ideo remanet voluntas non peccandi graviter: similiter, si uno actu doleas de multis venialibus, & postea committas unum eorum saltem levius, non censetur revocari quoad reliqua: Doctores cit.

Quæres tertio; An idem dolor physice præteritus possit sufficere pro pluribus absolutionibus?

Respondeo affirmative, dummodo fiat intra tempus, quo censetur dolor ille moraliter perseverare: v. g. si quis statim post absolutionem addat novum peccatum oblitum, & iterum absolvatur sive ab eodem, sive ab alio Confessario: & similiter, si quis instante morte absolvatur nondum integre confessus, & postea remittente periculo compleat confessionem, potest iterum sine novo dolore absolvi: Ledes. Sal. Escob. Henr. Aversa. Arr. Platel. Dian. Dicast. Tamb. Ills. & alii communiter, idque indubitatum apud Doctores inquit Moya; & ratio est, quia sic dolor perseverat virtualiter in aliquo suo effectu, quamvis tenui, & imperceptibili, & per novam confessionem ordinatur tanquam nova materia proxima ad novam absolutionem. Neque obstat Prop. cit. damnata ab Inn. XI. quia hæc sententia est probabilissima, quidquid dixerit Croix.

CAPUT II.

Quid de Contritione Perfecta?

Contritio perfecta, prout distinguitur ab attritione, est *Dolor, & detestatio de peccatis ex motivo charitatis*, hoc est ex bonitate divina secundum se digna, ut diligatur, & ita à contrito dilecta. Hinc Actus Contritionis est formaliter, vel saltem præsuppositive amor Dei perfectus; unde à Trid. *sess.* 14. *c.* 4. vocatur *Contritio charitate perfecta*, & simul est odium peccati, quia Deo malum est, adeoque super omnia mala. Sed explananda latius sunt hæc duo, Motivum Contritionis, & Odium peccati super omnia.

§. I.

§. I.

De motivo Contritionis.

PUTARUNT aliqui apud Suar. d. 4. ſ. 2. n. 13. Contritionem poſſe procedere ex motivo Religionis, vel juſtitiæ, vel alterius virtutis moralis reſpicientis Deum; adeoque ad eam eliciendam ſufficere deteſtari peccatum, quia eſt contra Dei cultum, contra Divinum jus proprietatis, &c. Sed Vaſqu. & alii merito vocant id erroneum; Primo, Quia ex Trident. ſupra cit. Dolor conceptus ex turpitudine peccati non eſt contritio, de qua loquimur, ſed proprie Attritio; atqui dolor conceptus ex motivo Religionis, Juſtitiæ, &c. eſt conceptus ex turpitudine peccati; peccatum enim eſt turpe, quia opponitur honeſtati Religionis, vel aliis virtutibus moralibus reſpicientibus Deum, etiam præſcindendo ab omni pœna: ergo, &c. Secundo, Quia, ut bene arguit Gormaz num. 267. contritio eſt odium peccati ſuper omnia mala ſimpliciter, ita ut homo per illam potius eligat ſuam annihilationem, quam Dei offenſam; atqui per actum ex motivo Religionis hoc nequit eligere; cum per talem virtutem nequeat dicere: *Volo annihilationem mei, ut exiſtat cultus Divinus à me ponendus;* hoc enim fert contradictionem: ergo, &c.

Idem dicendum eſt, ſi doleas ex motivo gratitudinis, nempe, quia offendiſti Deum, à quo ſumma beneficia Creationis, Redemptionis, &c. acceperis; quia non habes pro objecto bonum Dei, ſed honeſtatem gratitudinis, nec proinde deteſtaris peccatum ſuper omnia, ſeu in quantum eſt ſumme deteſtabile; eſt enim deteſtabilius, in quantum opponitur Deo ſecundum ſe, quam in quantum opponitur gratitudini, obedientiæ, &c., Gobat. tr. 6. num. 60. Lug. & alii paſſim. Itaque motivum unicum contritionis perfectæ eſt ſola Dei bonitas ſecundum ſe, ita ut doleas, quia offendiſti Deum ſummum in ſe bonum ſummo amore digniſſimum, cui ſervire debueras propter ſeipſum, ſuamque ſummam amabilitatem, ſeu perfectiones infinitas, etiamſi nihil beneficiorum ab eo accepiſſes, aut ſperaturus eſſet. Atque hic actus dicitur à Tridentino *Contritio Charitate perfecta;* habet enim pro fine Deum ſecundum ſe dilectum amore amicabili, ac benevolentiæ; & non ut bonum contrito; quia ſic eſſet amor concupiſcentiæ, qui tende-

ret in Deum, in bonum sibi, adeoque non esset amor, & dolor super omnia simpliciter. Porro contritio perfecta, uti etiam amor Dei perfectus, justificat peccatorem ante absolutionem, juxta dicta q. 1. c. 1. cum sit etiam Sacramentum in voto.

Infers primo, Contritionem debere se extendere ad omnia mortalia, quia est ex motivo excludente omnia. Non tamen requiritur, ut se extendat ad omnia formaliter, ita ut contritus debeat singula detestari per singulos actus, aut saltem uno actu omnia distincte tunc cognita, putarunt Sylv. Can. Medin. & alii apud Vasq. & Dian. p. 3. t. 4. r. 118. quia nec id est moraliter possibile, præsertim peccatori innumeris peccatis onusto; nec opus est antecedenter omnia recogitare, ut patet in Publicano, Zachæo, & Latrone in Cruce, qui subito proruperunt in actum contritionis perfectæ; nec aliquando expedit singula considerare, ob periculum infirmandi dolorem, juxta dicta cap. antecedenti. Imo nec requiritur, ut dicas, *Detestor omnia mea peccata. &c.* sed satis est, si uno eorum distincte cognito, doleas de illo ex motivo bonitatis Divinæ, quia, quamvis talis actus expresse non tendat ad alia, quorum es etiam reus, tamen ratione motivi universalissimi virtualiter se extendit ad omnia, & singula mortalia, causatque proinde remissionem omnium: quod autem contra id objicitur, ex Catec. Rom. c. 6. est consilii, non præcepti: Doctores communiter cum Suar. d. 3, s. 6.

Infers secundo, Non opus esse, ut talis contritio se extendat etiam ad venialia; quia ex motivo bonitatis Divinæ haberi potest dolor, & detestatio de illis tantum peccatis, quæ pugnant cum amore Dei amicabili, qualia sunt sola mortalia. Neque obstat, quod summa Dei bonitas sit motivum de se universale etiam ad detestanda venialia, & mereatur talem appretiationem sui, vi cujus excludatur etiam affectus ad illa; nam est utique tale secundum se, sed non semper æque universaliter movens; cum ex eo possit voluntas creata detestari tantum, quidquid solvit amicitiam Dei, & tunc contritio se extendit ad sola mortalia; vel quidquid plene deliberate fit contra Deum, & tunc contritio se extendit etiam ad venialia deliberata; vel demum quidquid aliquo modo displicet Deo, & tunc contritio se extendit etiam ad venialia subreptitia, estque omnium perfectissima, & in praxi ponenda, qui enim ad hanc non aspirat, vix perveniet ad prædictas: Croix num. 739.

Simi-

Similiter bonitas Dei est quidem digniſſima tantæ appretiationis, vi cujus excludatur affectus etiam ad quæcunque venialia; at hinc non ſequitur, quod illam digne non appretiet, qui non excludit etiam venialia: quamvis enim non appretiet, quantum meretur, tamen ſimpliciter digne appretiat, quia potius vult ſubire omnia mala, quam illam, ejusque amorem amicabilem deſerere.

§. II.

De odio peccati ſuper omnia.

CONTRITIO perfecta deteſtari debet peccatum, ut malum Deo, adeoque ſuper omnia ſimpliciter mala creata, ita ut contritus debeat eſſe ſaltem virtualiter, & implicite ita comparatus, ut potius velit omnia omnino bona amittere, etiam vitam, gloriam, felicitatem, &c. Item omnia ſimpliciter mala ſubire etiam gehennam, ſui annihilationem, &c., quam peccare. Et ratio eſt evidens, quia alioquin nec Deum appretiaret ſuper omnia, nec odio haberet peccatum appretiative ſuper omnia, & conſequenter convinceretur, non amare bonitatem Dei ſecundum ſe, ſed ut bonam ſibi, vel aliis. Itaque homo vi actus contritionis pluris æſtimat malum, quod per ſuum peccatum factum eſt Deo, quam quodcunque malum ſui, vel totius univerſi; & ſimiliter pluris æſtimat reparare hoc malum, quam comparare ſibi quodvis bonum, poſtponitque illi omnem ſuam felicitatem, etiam vitam, etiam æterna gaudia.

Dixi *Saltem virtualiter, & implicite;* nam non eſt opus, imo multis non expedit, facere comparationem explicitam inter peccatum, & alia mala; cum enim hæc plerumque à nobis magis ſenſibiliter cognoſcantur, & vivacius terreant, contingere poſſet, ut eorum expreſſa conſideratio impediret efficacem deteſtationem peccati, ut notant Doctores communiter cum D. Bonav. in 4. d. 16. a. 2. q. 1. . ideoque Tambur. l. 1. *Conſ.* c. 1. num. 6. monet Confeſſarios excitantes pœnitentem ad contritionem, ne deſcendant ad particularia; quæ Dei ſunt amori poſtponenda: v. g. non oportet dicere, *Super divitias, filios, honorem, vitam, &c.* ſed ſatis eſt dicere, *Super omnia Deum diligo, propter quem omnia peccata deteſtor, & execror.* Imo addit Croix num. 732., neque ad contritionem requiri, ut quis virtualiter, & implicite dicat, ſe malle infernum, quam Deum offendere, quia

non est possibilis casus, quo quis ad vitandum infernum indigeat peccato: hinc foret potius inutile se vexare in ejusmodi comparationibus, cum prudentis non sit conditionate deliberare de quibusdam eventibus præter intentionem omnis virtutis occurrentibus. Est itaque satis, ut voluntas contrita sit ita disposita, ut non sit desertura Deum pro quovis alio suo bono, sed potius electura sibi quodvis malum, si necessarium foret ad vitandam Dei offensam, quia Deo malum est.

Quæres, An per contritionem remittatur non solum peccatum, verum etiam tota pœna etiam temporalis?

Respondeo, Etsi multum pœna temporalis remittatur, non tamen semper tota hæc pœna, ex Trident. *sess. 6. c. 14. can. 30., & sess. 14. de Pœnit. c. 8. & can. 12.* Sic etiam ob contritionem remissum fuit David adulterium, & homicidium, sed in pœnam mortuus est infans ex adulterio natus 2. Reg. 12. Putant tamen Suar. d. 10. s. 3. Lug. & alii, cum culpa semper remitti aliquid pœnæ etiam temporalis: sed manet incertum, quam diuturna pœna temporalis per se loquendo maneat persolvenda post remissum quodvis mortale.

CAPUT III.

Quid de Attritione?

Attritio est *Dolor; & detestatio peccati non ex motivo charitatis, sed alterius virtutis moralis,* ideoque vocatur à Tridentino *Contritio imperfecta.* Itaque videnda sunt Primo ejus motiva: Secundo, An se sola sufficiat ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, an vero requiratur etiam contritio, vel amor benevolus Dei saltem remissus?

§. I.

De motivis Attritionis.

Hæc enumerantur à Trid. *sess. 14. c. 4.* Et Primum est, *Turpitudo peccati:* Secundum *Gehennæ, & pœnarum metus:* Tertium *Amissio præmii*, seu gloriæ, quod tertium, quamvis explicite non dicatur à Trid. cit. implicite tamen dicitur, ut inferunt Doctores communissime; nam ad gehennam pertinet etiam pœna damni, quæ est amissio Gloriæ, & item Gratiæ, cui debebatur Gloria. Itaque

I. Tur-

I. Turpitudo peccati est inhonestas, quam habet peccatum relate ad legem Dei prohibentem, & ad virtutem, contra quam peccatur: item ad naturam rationalem, & ad rectam rationem, dummodo hæc saltem confuse concipiantur ut intimantes legem Dei. Inest etiam omni peccato realis turpitudo, divinæ offensæ, irreverentiæ, ingratitudinis, inobedientiæ, temeritatis, &c. quæ ideo dicuntur motiva communia, ac præterea inest cuivis peccato specialis, ac propria turpitudo per oppositionem specialem honestati virtutis, quod proinde dicitur motivum speciale. Attritio ex aliquo prædictorum motivorum pertinet ad virum ingenuum; debet tamen esse supernaturalis, juxta dicta cap. 1. ita ut ejus motivum cognoscatur lumine Fidei, puta, ut proprium virtutis moralis elevantis hominem ad statum supernaturalem, ut inquit Suar. d. 5. s. 2. & sic ex inspiratione Spiritus S. ipsa attritio eliciatur.

An autem detestatio peccati ex motivo hujus turpitudinis, quod scilicet sit contra Deum auctorem naturæ, possit esse supernaturalis, & sufficiens? Est dubium. Negant Suar. Con. & alii, quia hic actus respiciens tale motivum naturaliter cognoscibile, non potest esse, nisi naturalis. Affirmant Scot. Ripal. Lug. & alii, quia actus etiam ex motivo naturali potest esse supernaturalis ex auxilio Dei supernaturaliter influente. Equidem, cum utraque sententia sit probabilis, censeo, priorem in praxi tenendam, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis, ex Prop. 1. damnat. ab Inn. XI. supra recensita.

II. Metus gehennæ esse potest motivum detestandi mortale ob vitandas æternas pœnas, Dei inimicitiam, perpetuum cum dæmonibus consortium, &c. Item metus pœnarum esse potest motivum detestandi venialia ob pœnas Purgatorii, ob remorsus conscientiæ, anxietates, scrupulos, ariditates, &c. Atque hæc attritio pertinet ad servum, quia est ex metu; sed, quamvis sit servilis, non est tamen serviliter servilis, cum excludat voluntatem peccandi etiam conditionatam, ut infra explicabimus. Si quis vero doleat de peccato ob metum infamiæ, ærumnæ temporalis, infirmitatis, mortis infligendæ à Judice, &c., communiter non est attritio disponens juxta Trid. ad Sacramentum pœnitentiæ, quia, cum eliciatur ex motivo naturali, est communiter naturalis; ideoque cum ea stare posset voluntas interna peccandi

saltem conditionate, si non ferret infamiam, ærumnas, &c. At, si quis doleat de peccato ob metum earundem pœnarum temporalium hujus vitæ, ut infligendarum à Deo vindice peccati, Con. Hurt. Suar. & alii communiter dicunt, sufficere pro attritione, quod etiam indubitatum dicit Gob. n. 47., quia sic est dolor, & detestatio peccati ob malum, prout infligendum à Deo; adeoque cum respectu ad Deum offensum, & quidem lumine fidei cognitum, ut supponitur; & dolor ita excitatus ex motivo respiciente Deum sine dubio, inquit Hurtad. absterret, & avertit animum à quocunque peccato: ergo &c. satis est pro attritione saltem venialium, cum sic esse possit honesta, supernaturalis, & efficax. Quæ sententia est probabilissima auctoritate, & ratione, ita ut Gob. dicat indubitatam, & Arriag. omnino certam: quare non subjacet Prop. 1. damnatæ ab Inn. XI., juxta dicta c. 1.; quidquid dixerint Can. Pasq. Croix, & alii.

III. Spes præmii, & gloriæ esse etiam potest motivum attritionis, seu detestandi mortale, eo quod per illud amissa sit vita æterna, æterna gaudia, jus ad gloriam, item gratia, & amicitia cum Deo, virtutes supernaturales, &c. item detestandi venialia, quia per ea redditur homo indignus multis gratiis actualibus, speciali protectione Dei, fervore spiritus, singulari gloria, vel gaudio accidentali in Cœlo, &c. Attritio ex his motivis pertinet ad mercatorem, quia oritur ex spe, supernaturali tamen, ideoque & ipsa esse potest honesta, supernaturalis, & efficax, excludens voluntatem peccandi etiam conditionate, juxta infra dicenda.

Ex dictis infers primo, Attritum ex quocunque ex tribus motivis expositis dolere, ac detestari peccatum, tanquam Dei offensam; ideo enim dolet, quia Deum offendit, à quo scilicet, vel placabili sperat gloriam, & gratiam, vel vindice timet gehennam, & pœnas, vel domino virtutum, horrorem haurit suæ turpitudinis, & dissonantiæ. Habet ergo pro objecto sui doloris bonitatem quidem Dei, non tamen secundum se, & ut finem *Cui*; sed ut bonam sibi, ita ut ipsemet dolens sit finis *Cui* talis doloris; adeoque, etsi doleat, se Deum offendisse, dolet tamen ultimate, non quidem positive, sed negative, ob bonum sui, & in hoc attritio differt à contritione, quia hæc respicit bonitatem Dei, secundum se, & in finem *Cui*.

In-

Infers secundo, Attritum detestari peccatum super omnia mala sibi; quia ipse est finis *Cui*. Hinc attritus non detestatur peccatum super omnia mala simpliciter, sed cum addito, v. g. qui odio habet peccatum ex motivo inferni apprehensi cum reatu condignitatis ad illum, eligeret potius infernum sine tali reatu, quam peccatum, quod essentialiter fert talem reatum; licet non esset per illam attritionem positive etiam dispositus, ut ex odio inferni etiam apprehensi sine tali reatu eligeret potius infernus, quam peccatum; sed ab hoc præscindat; cum non sit contra, sed supra suum motivum, de qua re fusius §. sequ.

§. II.

De sola attritione absque contritione, aut amore formali Deo.

Certum est, attritionem se sola non sufficere ad justificandum peccatorem extra Sacramentum pœnitentiæ: videndum, an se sola sufficiat ad justificandum in hoc Sacramento, ita ut peccator ex attrito per Sacramentum fiat contritus, hoc est justificatus ejus valore, & gratia?

I. Negarunt olim Magist. Victor. Rich. Bonav. Alens. & Okam. apud Suar. d. 20. s. 1., putantes, attritionem se sola non esse sufficientem, & proximam dispositionem ad hoc Sacramentum, sed necessariam omnino esse contritionem. Sed hæc sententia communissime censetur certo falsa: Primo, quia Sacramentum pœnitentiæ ex communi sensu Ecclesiæ dicitur Sacramentum mortuorum, & nunquam esset tale, si necessario prærequireret contritionem, quæ per se ante Sacramentum vivificat; Secundo, quia cap. *Si Presbyt.* 26. *q.* 61. Jul. Pap. dicit: *Si Presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, erit reus animarum:* quod non esset verum, si ad absolutionem necessaria esset contritio; nam, si contritio præcessit, adhuc sine absolutione moriens salvabitur: si non præcessit, adhuc cum absolutione per adversarios damnabitur: ergo nullatenus Presbyter dici posset reus animarum.

II. Negant hodie Jansen. Esti. Molan. Macar. Haverman. Dalaverdure, Farvaques, Castr. Le Drau, & nonnulli alii Doctores Lovanien. apud Plarel

num. 694. putantes, sufficere quidem in Sacramento pœnitentiæ attritionem, dummodo tamen ei adnectatur aliqualis amor formalis, quo diligatur Deus secundum se: hunc autem amorem nolunt debere esse perfectum, quia sic se solo justificaret extra Sacramentum: quare requirunt amorem quendam saltem imperfectum (quem vocant amorem Dei initialem) sive quia movetur simul ex divina bonitate secundum se, & simul ex metu gehennæ, per quod deficit à contritione perfecta, quæ unice movetur ex Dei bonitate; sive quia est amor debilis, & remissus, & non ex toto corde, prout requireretur ad justificationem extra Sacramentum, & pro hac sententia Delaverdure citat ex Thomistis Cajet. Victor. Contenson., & ex Soc. Jesu Tol. Comitol. Filluc.

Dico: Attritio, etiamsi nullam involvat formalem dilectionem Dei secundum se, est sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ: ita communissima Doctorum sententia apud Platel. Putean. Becan. Gorm. & Lug. d. 5. num. 233., exceptis paucis supra citatis, quorum etiam aliqui apud Pallav. canunt palinodiam.

Ratio desumi potest, Primo, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 4. ubi satis aperte id declarat; ait enim, quod attritio, *Quæ ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ . . . quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere.* Satis ergo per Trid. est, si attritio excludat voluntatem peccandi, & includat spem veniæ, ut disponat ad gratiam in Sacramento; atqui hoc totum habet attritio, etiamsi nullam involvat formalem dilectionem Dei secundum se: ergo, &c. Neque dicas, Trid. loqui de dispositione remota; nam hoc habet attritio etiam independenter à Sacramento: loquitur ergo de dispositione proxima ad impetrandam gratiam in Sacramento. Secundo, ex absurdo; si enim ad Sacramentum pœnitentiæ requireretur semper aliqua dilectio Dei secundum se, semper haberetur justificatio ante Sacramentum: nam ex Scripturis huic dilectioni universim promittitur justificatio, ut 1. Joan. 8. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est;* & Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Nec usquam in Scripturis limitatur hæc promissio ad dilectionem intensam, vel

vel excludentem aliud commotivum distinctum à bonitate divina, & quidquid in contrarium dicitur, arbitrarie dicitur; sive enim dilectio Dei secundum se sit remissa, sive intensa, semper est ejusdem speciei ex motivo suo formali, ex quo semper habet, ut appretiative ex toto corde amet Deum super omnia simpliciter, ideoque semper sufficiat ad justificationem: hinc *Quicunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem delet culpam*, ut inquit D. Th. in 4. d. 17. q. 2. Neque obest, quod Catec. Rom. c. 7. requirat contritionem vehementem, acrem, & intensam; nam seipsum explicat dicens, *Omnibus rebus Dei amorem anteponendum esse;* quasi dicat: contritionem debere esse vehementem, &c. hoc est ex genere suo maximam appretiative in præferendo Deum omnibus rebus, quod utique habet ex objecto formali, etsi ipsa non sit intensissima. Similiter neque obest justificationi extra Sacramentum, si dilectio Dei secundum se sit simul dilectio sui ob metum pœnarum, vel spem præmii. Nam, sive non admisceat, sive admisceat etiam hæc motiva attritionis, semper stat, quod, prout procedens ex motivo charitatis, sit vera, & formalis dilectio Dei secundum se, ac super omnia simpliciter: ergo, ut justificet, non est necesse, ut positive excludat consortium alterius motivi, & unice eliciatur ex motivo charitatis: & ratio à priori est, quia nullus actus supernaturalis per se pugnat cum actu charitatis perfectæ. cum omnes sint ex impulsu Dei, qui in se charitas est, & Deus non pugnet cum seipso. Quod autem dicitur Joan. 14. *Perfecta Charitas foras mittit timorem*, Patres communiter intelligunt de timore immoderato, inordinato, & serviliter servili, cujusmodi non est timor supernaturalis.

Objicies primo: Trid. *sess.* 6. *c.* 6. requirit ad Sacramentum pœnitentiæ actum, *Quo Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiamus:* ergo præter actum attritionis requirit etiam dilectionem Dei.

Respondeo, Distinguendo consequens, requirit dilectionem Dei secundum se, nego; dilectionem Dei, ut est bonum nobis, conc. Nota diligenter verba Trid. non enim dicit, requiri actum. quo Deum *diligant*, sed quo *diligere incipiant*, atqui incipiunt diligere Deum per puram attritionem ex metu gehennæ, & pœnarum,

rum, qui est actus timoris Dei vindicis, ut expresse habetur Eccl. 15. *Timor Dei initium Dilectionis ejus:* ergo, &c. Idem est de attritione ex spe præmii, & gloriæ, qua diligimus Deum, ut bonum nobis, quod expressius asserit Trid. illis verbis: *Tanquam omnis justitiæ fontem*, id est gratiæ justificantis. Igitur, si per dilectionem Dei initialem intelligant adversarii dilectionem Dei, ut est bonum nobis, hæc utique imbibitur in ipsa attritione supernaturali, qua certe incipimus Deum diligere, quatenus per eam amamus Deum, ut bonum nobis, & sic per eandem impetrata gratia justificationis in Sacramento disponimur ad postea diligendum Deum, ut in se bonum, seu amore formali charitatis. Si vero intelligant dilectionem Dei secundum se, gratis omnino eam requirunt ad valorem Sacramenti; cum neque eam eruant ex Trid., neque ex ullis Scripturæ locis; quod enim dicitur 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, intelligi debet de charitate habituali, non actuali; aliter infantes post baptismum essent in morte; unde etiam patet, sententiam nostram, tum auctoritate Trident., tum communi sensu Doctorum, tum etiam communi usu fidelium, esse probabilissimum; imo & moraliter certam; adeoque tutam in praxi, & oppositam valde tenuiter probabilem.

Dices: Alex. VII. vetuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis alterutram ex his sententiis *Audeat alicujus censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ non taxare:* ergo judicavit, sententiam oppositam adhuc esse probabilem; &, cum ejus decretum fuerit post Trid., sequitur pariter, quod post Tridentinum nihil sit assertum pro nostra sententia.

Respondeo. Nego consequentiam: nam Pontifex ab hoc præscindit, & expresse dicit, se prohibere, &c. ut compescantur dissidia, quæ violant charitatem, & pacem. Cæterum non est censura theologica dicere aliquam opinionem esse improbabilem, cum sic tantum sit dicere, quod careat gravi fundamento; sed esset censura dicere, quod sit *Temeraria, &c.* quod non dicimus. Quod autem tale decretum sit post Trid, solum infert, quod à Trid. nihil sit assertum authentice per claram definitionem in Canonibus: non tamen quod nihil sit assertum doctrinaliter in Capitibus, ex quibus moraliter certe licet inferre nostram sententiam.

Objicies secundo rationem, Detestatio peccati ex solo metu gehennæ tacite habet adjunctum hunc affectum: *Pec-*

Peccarem, si gehenna non esset, qui utique est affectus malus: ergo, ut attritio sit honesta, & supernaturalis, requirit etiam dilectionem Dei secundum se: Secundo, Detestans peccatum ex solo metu pœnæ non curat de hoc, quod peccatum sit malum Deo, sed tantum, quod sit malum sibi, adeoque tacite dicit, *Non detestarer, si tantum esset malum Deo*, quod certe est affectus pravus: ergo, &c.

Respondeo, Nego utrumque antecedens, utpote damnatum à Trid. *sess.* 14. *c.* 5. contra Lutherum; & iterum ab Alex. VII. Prop. 14. quæ sic habet: *Timor gehennæ non est supernaturalis;* & expressus Prop. 15. *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se non est bonus motus, & supernaturalis;* quæ propositio fuit Baji, Jansen. & aliquorum Rigoristarum: & ratio damnationis etiam est, quia, qui detestatur peccatum etiam ex solo metu gehennæ, ex hoc ipso excludere debet omnem voluntatem peccandi, tum absolutam, tum conditionatam; si enim tacite habeat hanc voluntatem conditionatam, *Peccarem, si gehenna non esset*, hæc voluntas est peccatum, ut patet, adeoque fert gehennam. Idemque est, si tacite habeat hanc voluntatem, *Non detestarer, si tantum esset malum Deo.* Neque dicas, cessante motivo detestandi, cessat detestatio: ergo, si cessaret metus pœnæ, non detestaretur peccatum: ergo virtualiter dicit, *Non detestarer, si non esset pœna;* ut etiam patet in eo, qui projicit merces ex metu naufragii. Nam contra, nego secundam consequentiam. Cessante metu pœnæ, solum infertur, quod tunc non detestaretur peccatum ex tali motivo, at neque positive infertur, quod tunc non detestaretur ex alio motivo per alium actum, cum ab hoc præscindatur; neque ullatenus infertur, quod nunc virtualiter dicat, *Non detestarer, si non esset pœna;* si enim hoc virtualiter diceret, sibi contradiceret. Paritas non est ad rem: voluntas conditionata retinendi merces non impedit, quominus reipsa projiciat merces, & sic evadat naufragium; at voluntas conditionata retinendi peccatum, si non esset pœna, est novum peccatum, & reatus novæ pœnæ; & ideo nequit haberi in eo, qui detestatur peccatum ex metu pœnæ. Neque replices: qui odit peccatum ex metu pœnæ, magis odit pœnam, quam culpam; hoc autem non videtur adeo ordinatum, nisi etiam accedat dilectio Dei; quia se solo

videtur

videtur non curare de hoc, quod peccatum sit malum Deo. Nam contra: inordinatum non est plus fugere pœnam, quam culpam, si simul reipsa plus fugiatur culpa, quam pœna, quod hic fit; nam attritus odit quidem magis pœnam, quam culpam, in quantum ex odio pœnæ movetur ad odium culpæ; at sub alia ratione magis odit culpam, in quantum ordinat odium pœnæ ad odium culpæ, eoque utitur tanquam medio ad odium culpæ; & ideo, si minus signate, exercite saltem curat, quod peccatum sit malum Deo.

Objicies demum: Nemo adultus est dispositus ad habitum fidei, vel spei, nisi præcedat actus fidei, vel spei: ergo neque ad habitum charitatis, nisi præcedat aliquis ejus actus; & confirmatur: qui offendit Principem, non videtur dispositus ad ejus amicitiam, si petat veniam, dicens, illam petere unice ex metu: ergo, &c.

Respondeo, Conc. consequentiam, si loquamur extra Sacramentum; at in Sacramento Deus ex meritis Christi confert attrito habitum charitatis, & gratiæ, ut clare eruitur ex Trid. Ad Confirmationem, peccator per attritionem non est utique ex se dispositus, &c. at ex benignitate Dei est rite dispositus, ut in Sacramento includente merita Christi recipiat Dei amicitiam.

Infers ex dictis contra Card. Sot. & Nav. neque requiri, sive ad valorem, sive ad fructum Sacramenti, contritionem putatam, ita ut pœnitens, etsi reipsa non sit contritus, prudenter tamen putet, se esse contritum. Si enim attritio ex voluntate Christi sufficit, nulla est ratio requirendi talem existimationem; cum hæc potius sit error, quem non est credibile à Christo specialiter requiri ad valorem, vel fructum Sacramenti.

CAPUT IV.

Quid de Proposito?

PROPOSITUM est *Voluntas non peccandi de cætero*, & hoc requiritur ad justificationem, sive intra, sive extra Sacramentum, cum sit pars essentialis contritionis generice acceptæ, ex Trident. *sess.* 14. *c.* 4. Agendum de Proposito I. Quoad mortalia: II. Quoad venialia.

§. I.

§. I.

De Proposito quoad mortalia.

QUOAD mortalia propositum esse debet Efficax, Firmum, & Universale. Itaque

I. Efficax est, si absolute excludat voluntatem peccandi mortaliter, dicendo *Volo, & decerno imposterum non peccare, omnemque occasionem proximam peccandi deserere.* Quare non sufficit velleitas; quia hæc est actus conditionalis, qui non excludit absolute, & simpliciter voluntatem peccandi, ut requiritur ex Trident. cit. Si ergo Consuetudinarius dicat: *Vellem utique abstinere imposterum à relapsu, sed non possum absolute velle sine his voluptatibus vivere*, non est dispositus; nam debet ita efficaciter velle, ut malit potius his carere, imo & omne malum generatim perpeti, quam iterum relabi: Nav. Suar. d. 20. s. 4. & alii communiter, quidquid dixerint Vict. Ledes. Con. Cajet. & alii.

Objicies: Propositum non potest esse efficax, nisi habeat adjunctam spem aliquam non relabendi; sed multi peccatores, præsertim consuetudinarii, hanc spem habere non possunt, cum nequeat illis apparere tale objectum, ut moraliter possibile, & probabiliter futurum, ut requiritur ad spem: ergo, &c.

Respondeo: Primo, nego majorem; nam D. Petrus post revelationem Christi de sua negatione non poterat sperare oppositum, & tamen tenebatur proponere, se non negaturum; sufficit ergo ad propositum, ut adsit desiderium efficax cavendi mortale, dicatque efficaciter, *Quantum in me est, illud absolute, & simpliciter nolo, etsi non adsit spes, &c.* Secundo, Omissa majore, nego minorem; quamvis enim intellectus judicet, & voluntas timeat, se relapsuram, tamen ideo debet pro adjutorio recurrere ad Deum, sicque potest erigi ad spem aliquam de hoc, quod mediante Dei adjutorio non relabetur; & hæc spes sufficit ad propositum efficax.

II. Firmum censetur propositum, si tunc, cum eligitur, absolute, & simpliciter velis perseverare imposterum in illo; si enim sit talis, evidens est, ut quamdiu manet in voluntate, tamdiu nequeat secum compati consensum in novum peccatum mortale. Hinc ad explo-

plorandam præsentem dispositionem animi pœnitentis, & propositum non peccandi de cætero, inquit Cornel. à Lap. in ep. Jac. 2. posse aliquando à Confessario interrogari: v. g. vir nobilis, qui se accusat de duello, an, si iterum esset in eadem, aut simili occasione, adhuc vellet duellare; quia multi horum retinent principia vitiosa, v. g. duellum, si offeratur, acceptandum &c. quæ nunquam deponunt, ne in confessione quidem, ideoque nec habent firmum, & serium propositum non peccandi de cætero, cum voluntas non sit ab his actu aversa; &, si adesset nunc occasio, acceptaretur juxta ea principia. Notant tamen Val. Laym. & alii passim, quod si quis considerata sua fragilitate, malis habitibus, &c. merito timeat, imo etiam existimet, se ad vomitum rediturum, id tamen nihil obest firmitati propositi, si vere, & serio resolvat imposterum non peccare; quia illa existimatio est ex parte intellectus, & propositum ex parte voluntatis, quæ duo possunt simul esse in eodem homine; quamvis enim ex illa existimatione oriatur in voluntate timor propositi defecturi, tamen etiam ex Dei adjutorio oritur spes non defecturi, & hac spe fundatus recidivus potest etiam firmiter proponere. Cæterum non est signum certum, quod propositum non fuerit firmum, si post illud relapsus sis in idem peccatum; cum potueris tunc firmiter nolle imposterum relabi, & deinde mutare voluntatem, ut accidere etiam potest in rebus humanis. Quare ad firmitatem propositi non requiritur, ut sit etiam constans in re, seu ut diu reipsa duraverit; quia sic nemo posset absolvi, nisi post diuturnam experientiam talis constantiæ, ut falso putarunt Jansen. & complures Rigoristæ damnati ab Alex. VII. Prop. præsertim 17. *Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus.* Sufficit ergo ad firmitatem propositi, si hic & nunc absolute, & simpliciter velis perdurare in illo, uti est dictum. Notat tamen Lugo d. 14. n. 160. qui efficaciter, & serio proponit, non ita facile statim oblivisci sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverare in illo; ideoque frequentem, vel immediatum relapsum, præsertim si vehementior occasio non intervenerit, esse quandoque signum propositi infirmi, & inepti, quod fac videat Confessarius.

III. Universale est propositum, si se extendat ad omnia mortalia imposterum cavenda; atque ita debere esse communis-

muniſſime docent Doctores cum D. Thom. 3. p. q. 87. a. 1. contra Hurt. & alios paucos; cum Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 4. abſolute dicat, *Cum propoſito non peccandi de cætero*, ubi ly *non* eſt particula excluſiva omnium peccatorum in futurum: ſimiliter Deus promiſit impio veniam, *Si cuſtodierit omnia præcepta mea:* Ezech. 18. hoc eſt, ſi cuſtodire propoſuerit. Cæterum ſæpe expedit, propoſitum hoc univerſale concipi etiam univerſaliter; ita ut caveat pœnitens, ne ſibi proponat fugere hoc, vel illud peccatum in ſpecie, præſertim ſi ad hoc, vel illud ſe videat natura, aut habitu propenſum; quia ſic adeſt periculum infirmandi propoſitum. Sufficit ergo formare propoſitum ex motivo univerſali, & communi omnibus mortalibus; vel ex conſideratione unius in ſpecie minus periculoſi, & ex motivo communi omnibus: Gob. n. 193.

Quæres, An propoſitum debeat eſſe formale, & expreſſum, an vero ſufficiat virtuale, & implicitum in ipſo actu doloris?

Reſpondeo, Sufficere etiam propoſitum virtuale, & implicitum in actu doloris, dummodo hic ſit elicitus ex motivo univerſali; quia per talem actum formalem doloris excluditur voluntas peccandi de cætero: hoc ipſo enim, quod quis ex motivo univerſali efficaciter vult non fuiſſe peccatum, implicite, ac indiviſim vult, illud nunquam iterum fore; &, cum motivum ita volendi ſit univerſale, ſequitur etiam implicite, ac indiviſim, ut efficaciter nolit, ullum mortale fore: cum ergo ex Trid. loco cit. ſatis ſit attritio, ſi excludat voluntatem peccandi, ſequitur, ut ſatis ſit propoſitum virtuale, & implicitum incluſum in ipſa attritione, ſaltem in eo, qui dum elicit dolorem, nihil actu cogitat de vita futura; nam, qui actu id cogitat, poteſt, & debet; cum tunc naturale ſit, ut, ſi doleat de commiſſis, expreſſe proponat de futuris. Dixi, *Si doleat ex motivo univerſali*, puta ex metu gehennæ, ſpe gloriæ, aut ex bonitate divina; ſi autem doleat ex ſpeciali turpitudine v. g. furti, qua talis, non videtur implicite proponere, niſi cavere furtum futurum, adeoque non habere propoſitum univerſale.

Dices: Trid. l. c. initio hujus quæſtionis ait, contritionem eſſe dolorem, & deteſtationem, *Cum propoſito non peccandi de cætero:* ergo: ſicuti ex inſtitutione Chriſti requiritur ad Sacramentum dolor formalis, ita formale propoſitum.

Respondeo, Distinguo consequens: si tunc actu cogitet de vita futura, conc. si invincibiliter de ea non cogitet, nego. Juxta hanc distinctionem conciliantur hic sententiæ oppositæ; nam Henr. Val. Tol. Cajet. Bell. & alii putant, requiri propositum formale: Dicastil. & alii plurimi apud Dian. p. 3. t. 4. r. 116. putant, sufficere virtuale; &, cum utraque sententia sit probabilis, sequitur, ut in praxi tenenda sit prior à pœnitente, quando actu cogitat de vita futura; ne scilicet exponat Sacramentum periculo frustrationis. At, si de vita futura non cogitet, quod sæpe accidit, jam accedit dispositus cum proposito virtuali ad valorem, & fructum Sacramenti; quo sensu posterior sententia est tam recepta à Theologis, tamque firmis rationibus munita, ut non sit practice dubitandum de ejus veritate, ut notat Gob. t. 6. n. 205. Cæterum, quando pœnitens eliciendo propositum formale vulgo dicit, *Promitto, &c.* hæc promissio non est verum votum, neque adeo obligat sub novo, & distincto reatu sacrilegii ad non relabendum, cum sit modus loquendi vulgaris in tali materia, idemque sonet, ac *Propono;* nisi pœnitens ipse expresse intenderet vovere: Sanch. l. 4. *de Voto* c. 1. n. 31.

§. II.

De Proposito quoad venialia.

Non requiritur, ut tale propositum sit universale, ita ut extendat se ad omnia, & singula venialia in futurum vitanda; cum nec possit rationabiliter haberi voluntas absoluta, & efficax cavendi omnia; est enim id impossibile sine speciali Dei privilegio, ut constat ex Trident. *sess.* 6. *can.* 13. & tantum posset quis proponere conditionate, *Quantum in me est, volo curare, ne unquam committam venialia:* Gob. n. 220. Itaque, qui novit, se frequenter labi in venialia, sive ejusdem, sive diversæ speciei, sufficit, si proponat: se emendaturum eorum frequentiam: Lug. d. 14. s. 9. Item, qui pluries est leviter mentitus cum causa, & sine causa, sufficit, si proponat in futurum non mentiri sine causa, eo quod mendacium sine causa dictum sit turpius officioso: Gob. n. 224. Idem quandoque magis expedit proponere cavere aliqua tantum venialia, quæ sunt graviora, vel eorum radices, aut contra quæ sentis te magis moveri: Spor. n. 338.

Item,

Item, si habeas venialia plene deliberata, aut alia semiplena, potes tantum proponere vitare priora, cum hoc sit moraliter possibile, & circa posteriora, si ea sola habeas, sufficit proponere diligentiam pro iis saltem minorandis, quantum humano modo fieri potest: Suarez d. 4. s. 3. Cæterum quodcunque sit tale propositum, debet etiam esse firmum, & efficax saltem respectu unius ex venialibus, quæ exponuntur in confessione; ideoque etiam respectu illius debet esse propositum fugiendi occasiones proximas; quia secus non censeris vere, & sincere proponere illud cavere: Croix n. 914. & alii contra Con. Laym. Tamb. An autem propositum circa venialia debeat esse formale, & expressum, an vero sufficiat virtuale, & implicitum, pendet ex doctrina dicta §. antec.

Dubium est, An habens solum venialia debeat non solum habere propositum circa illa modo explicato, sed etiam propositum cavendi imposterum mortalia? Negat Gob. n. 216. quia hanc necessitatem nulla lex tunc indicat; sed forte requiritur, inquit Croix n. 906. quia, qui suscipit Sacramentum pœnitentiæ, suscipit gratiam, quæ est forma amicitiæ divinæ de se perpetuæ: ergo vult servare deinceps omnia ejus præcepta obligantia sub mortali, quod est saltem virtualiter velle cavere mortalia,

QUÆSTIO IV.

De Oris Confessione.

Oris confessio, uti appellatur à Florentino, est *Externa, ac sensibilis accusatio proprii peccati in ordine ad absolutionem Sacramentalem accipiendam.* Sexdecim habet qualitates hic breviter explicandas, ut inde ad plures difficultates enotandas descendamus.

CAPUT I.

Quæ sint qualitates bonæ Confessionis?

Sit Simplex, Humilis Confessio, Pura, Fidelis,
Atque Frequens, Nuda, & Discreta, Libens, Verecunda,
Integra, Secreta, & Lacrymabilis, Accelerata,
Fortis, & Accusans, & sit parere Parata.

I. *Simplex;* Ita ut nihil non neceſſarium, vel impertinens admiſceat. Si autem addantur ſuperflua, non redditur invalida, modo Confeſſarius judicare poſſit de peccatis.

II. *Humilis;* Ideoque aperto capite, & flexis genibus; quorum unum, ſi ſine rationabili cauſa omittatur, eſt veniale: Eſcob. & alii. Huc etiam ſpectat, ut deponatur gladius, niſi ſit Eques Melitenſis, aut Teutonicus, qui merito geſtant gladium etiam in Communione, eo quod profitentur militiam pro tuenda Fide: Joan. Sanch. d. 45.

III. *Pura,* Ex intentione ſcilicet habendi remiſſionem peccatorum per Sacramentum, ideoque vocatur confeſſio Sacramentalis, cum talis intentio ſit de eſſentia. Hinc, ſi veluti hiſtorice narres propria peccata confeſſario, vel ad petendum ab eo conſilium, non valet: valeret autem, ſi deinde ex corde adderes, *De his enarratis me accuſo;* Croix n. 1941. Si autem confitearis ex fine venialiter malo vanæ gloriæ, puta ut cenſearis pius Sodalis, ut placeas Magiſtro, &c. valet, modo adſit dolor de aliis peccatis, quia illud veniale nec pugnat cum tali dolore, nec cum Sacramento: Lug. Dicaſtil. aliique contra Sylv.

IV. *Fidelis,* Hoc eſt vera, & ſincera, ita ut nec taceat mortale, quod ſcit, ſe commiſiſſe, nec aſſerat, quod ſcit, ſe non commiſiſſe; & dicat certa pro certis, dubia pro dubiis, de qua re fuſius infra.

V. *Frequens,* Non quidem ex præcepto, ſed ex conſilio, ut, qui frequenter peccat, frequenter confiteatur; &, ſi non habeat, niſi quæ jam confeſſus eſt, iterum cum novo dolore ſubjicere poteſt ea clavibus ad novam remiſſionem: Bon. Nav. Fil. Suar.

VI. *Nuda,* Non verborum fuco ornata, ac palliata; ſed ita, ut Confeſſarius intelligat, & judicet, an mortalia, an venialia ſint, quæ dicis, &c. Hinc etiam, ſi de induſtria confitearis mortale Confeſſario ignoranti, ſurdaſtro, &c. ita ut bene intelligat, confeſſio eſt ſacrilega; ſecus, ſi bona fide: Cajet & alii.

VII. *Diſcreta,* Id eſt prudens, & cauta, ita ut peccata præſertim carnalia pudicis verbis, & cum ſolis circumſtantiis neceſſariis dicantur; nec nominentur complices: ſed, ſi opus eſt, tantum eorum ſtatus.

VIII.

VIII. *Libens*, Seu ſponte dicens peccata: ſi autem ex metu, aut importunis precibus traharis invitus, ſed confitearis cum debito dolore, &c. valet, quia habet requiſita. Si vero propoſuiſti quædam mortalia non fateri, quæ tamen prudens Confeſſarius de ore extraxit, debes fateri etiam illud propoſitum, utpote novum peccatum: Henr. Fagund. & alii.

IX. *Verecunda*, Id eſt non proterva per modum jactantiæ, ſed cum erubeſcentia, & humili recognitione proprii peccati, tribuendo ſibi culpam, non aliis.

X. *Integra*, Formaliter, & materialiter, ita ut exponatur omnis materia neceſſaria; quod ſi fieri nequeat, ſit integra ſaltem formaliter, ita ut exponatur, quod ſufficit ad valorem, & fructum Sacramenti; de qua re fuſius infra.

XI. *Secreta*, Ad aurem ſolius Confeſſarii. Valida tamen, & Sacramentalis eſt, ſi fiat per interpretem, vel aliis etiam audientibus, ex Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. Uti etjam, ſi ex neceſſitate fiat nutibus, aliisque ſignis, aut ſcripto: extra vero neceſſitatem, Sylvius putat, non valere, quia à Florent. exigitur *Oris Confeſſio*, & ita ſervat communis uſus Eccleſiæ; ſed probabiliter Scot. Vaſq. Laym. Dian. & alii putant, non eſſe mortale, ſi ob magnam verecundiam, ſcripto, nutu, aliove ſigno confitearis; quia conſuetudo confitendi ore non obligat tam graviter in hoc caſu. Eſſentialiter tamen requiritur, ut fiat Confeſſario præſenti; quia Clem. VIII. ann. 1602. damnavit hanc Propoſit. *Licitum eſt per literas, aut internuncium Confeſſario abſenti peccata ſua Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere;* vetuitque ſub excommunicatione reſervata, ne in illo caſu id deducatur in praxim. Ex quo etiam inferunt Doctores communiter, talem confeſſionem non ſolum illicitam, ſed & invalidam fore; quia ſecus in caſu extremæ neceſſitatis deberet licere; & rurſus hanc damnationem intelligi etiam in ſenſu diviſivo, ita ut neque liceat confeſſio in abſentia, quamvis deinde abſolutio detur in præſentia, neque liceat abſolutio in abſentia, quamvis confeſſio facta fuerit in præſentia; ut poſtea declaravit Paul. V. ann. 1605. nec Suarez oppoſitum docuit, ut falſo ei appingitur; ſed tantum dixit, poſſe moribundum abſolvi, ſi teſtis dicat, illum antea abſolutionem petiviſſe; ut dicam infra. Cæterum, ſi per

literas miseris peccata tua confessario, qui ea legerit, & postea in præsentia addas, *Me accuso de peccatis, quæ tibi scripsi*, valet, & licet; quia moraliter repetis confessionem in præsentia; & à fortiori valet, si præsens das scriptum legendum confessario, addens postea, *De his me accuso*; modo id fiat ex rationabili causa: Lugo, Arriag. Pal. Gob. & alii.

XII. *Lacrymabilis*. Hoc est, ut dolor cordis fiat sensibilis, & aliquo pacto manifestus Confessario, quod sufficienter habetur per tunsionem pectoris, aliudve signum externum, vel per ipsam humilem confessionem peccati.

XIII. *Accelerata*, Seu non diu dilata post commissum peccatum, quod tamen est consilii, non præcepti.

XIV. *Fortis*, Vincens nempe omnem repugnantiam; quæ sui victoria est quid intrinsecum tali Sacramento, ideoque nemo excusatur à manifestanda sua turpitudine confessario. Obtinetur autem hæc victoria recogitatione futuræ quietis conscientiæ, salutis animæ, &c. juxta illud Tertul. *Pereat pudor, ne pereat anima*: item sigilli inviolabilis Confessarii, & quod is multa tuis fœdiora frequenter audit, & quod te magis diligat in Domino, & apud se gaudeat de tua victoria, &c.

XV. *Accusans*, Ita ut non se excuset, quasi non sit in culpa eorum, quæ fecit.

XVI. *Parere parata*, Confessario imponenti pœnitentiam, remedia, aliasque obligationes, de quibus infra.

Infers ex dictis, aliquas harum conditionum esse ad melius esse, ut ait D. Thomas. *In Suppl.* qu. 9. a. 4. alias esse necessarias, præsertim, quod sit Fidelis, Integra, Sacramentalis, & Sensibilis Confessario, ut fusius dicetur infra.

CAPUT II.

Quæ sit materia Confessionis sufficiens quidem, sed libera?

I. CERTUM ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. materiam sufficientem confessionis esse sola peccata fidelium; ideoque nec censuræ sunt materia absolutionis Sacramentalis, quamvis huic præmitti debeat earum absolutio, juxta dicenda d. 2. nec sunt imperfectiones morales, utpote, quæ, per se loquendo, non sunt contra præ-

præcepta, sed contra aliquod consilium, quod eas nec præcipit, nec prohibet, juxta infra dicenda; nec sunt peccata; quia hoc Sacramentum est remissionis, cujus non est capax, quod revera non fuit peccatum. Hinc communiter rejicitur Albert. Magn. qui, ut probaret, B. V. recepisse gratiam hujus Sacramenti, solitam fuisse asserebat confiteri B. Joanni peccata, quæ apprehendebat se fecisse; cum & hic error esset indignus B. V. nec per illum posset gratiam Sacramenti recipere.

II. Certum est ex eodem Trid. *can.* 5. venialia esse materiam quidem sufficientem hujus Sacramenti, etiamsi sola, vel etiam unum eorum in confessione exponatur; imo, etiamsi illud sit subreptitium, hoc est cum semiplena advertentia factum, quales alibi diximus esse motus secundo primos; quia jam participant rationem peccati, adeoque remissibilitatis. Sed ex eodem Trid. *c.* 5. est etiam certum, nullum esse præceptum confitendi venialia, ideoque esse materiam liberam; ita ut, sive aliqua eorum, sive etiam omnia scienter omittantur in confessione, adhuc licita, & valida sit expositorum absolutio: modo veniale scienter omissum non habeat adnexam excomm. min.

Infers Primo, Licitam esse confessionem venialium in specie, nullum exprimendo numerum, ut si dicas, *Accuso me de mendaciis:* Doctores communiter; & sic ex vi absolutionis probabiliter remittuntur omnia mendacia, ad quæ se extendit dolor: Arr. Dicast. Dian. & alii contra Lug. & alios dicentes, tot solum remitti, quot censetur potuisse Confessarius percipere ex vi confessionis, & circumstantiarum; unde in praxi tutius esset addere aliquem numerum, si occurrat: Croix n. 623. At accusare se de venialibus in genere dicendo, v. g. *Accuso me de multis venialibus,* nihil aliud exprimendo, probabilius non videtur licere extra casum necessitatis: tum quia est contra praxim Ecclesiæ, tum quia hoc Sacramentum est institutum per modum accusationis, & judicii, quod per se loquendo fieri debet circa materiam saltem in specie certam, & determinatam: Suar. d. 23. s. 1. num. 10. Bonac. & alii contra Dicast. & alios. Valide tamen absolveretur, si adesset debita dispositio: Doctores communiter apud Bosco num. 114. Dubium tamen est, quæ, & quot venialia tunc remitterentur vi absolutionis? Dicast. ait, omnia. Lug. putat

tat ea tantum, quæ Confessarius potuisset in specie percipere, sive ex verbis, sive ex modo confitendi, sive ex aliis circumstantiis; quia illa sola fierent ex vi confessionis sufficienter cognita.

Infers secundo, quamvis imperfectiones morales per se loquendo non sint peccata, tamen licitum, & laudabile etiam esse eas confiteri: Suar. Lug. Dicast. & alii communiter contra Jo. Sanch. singulariter putantem, minus utile esse eas confiteri Sacramentaliter, & reprehendendos Confessarios eas audientes. Ratio communis sententiæ est, quia, quamvis de se non sint materia confessionis tamen ordinarie habent adjunctum veniale, quod est materia sufficiens; ideoque communis præsertim Virorum Sanctorum praxis est de iis se accusare: puta se non paruisse inspirationibus Divinis, attendisse propriis commodis, non retulisse omnes suas actiones ad Deum, non egisse gratias post cibum, non observasse Regulas, &c. Imo Suar. generatim negat, transgressionem Regulæ esse sine aliquo veniali, ob disformationem membri cum toto; ideoque posse Confessarium absolvere nihil aliud confitentes, quam transgressionem voluntariam unius, aut plurium Regularum. Addit tamen Gob. t. 7. num. 513. pro majori securitate addendum aliquod peccatum saltem præteritum. Et non permittendum, ut quis texat longum catalogum talium imperfectionum, cum sit modus in rebus, & habenda sit ratio aliorum pœnitentium, & temporis alia in re melius impendendi.

III. Certum est, Peccata etiam mortalia alias rite, ac directe absoluta, esse materiam sufficientem præsentis confessionis, etsi ea sola dicantur; cum possit pœnitens de iisdem pluries, & à pluribus absolvi, juxta dicenda d. 2. exponi tamen debent cum novo dolore, ut habeatur nova materia proxima cum nova forma absolutionis, juxta ibidem dicenda. Cum autem, per se loquendo, nemo teneatur bis confiteri mortalia semel jam directe absoluta, sequitur, ut ea sint etiam materia libera novæ confessionis, etiamsi hæc instituatur generalis: per accidens autem possunt evadere materia necessaria præsentis confessionis, juxta dicenda cap. sequ.

CA-

CAPUT III.

Quæ sit materia necessaria Confessionis?

CERTUM est, materiam necessariam confitendam ex Jure Divino esse *Omnia, & singula mortalia, quorum memoriæ cum debita, & diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant:* ita ex Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 5. *can.* 7. Igitur ex Jure Divino confessio mortalium debet esse integra materialiter, quoad numerum, & species, etiam infimas mortalium. & circumstantias mutantes speciem; de quibus satis dictum est q. 2.

Quæres primo, An necessario confitendum sit peccatum mortale etiam in individuo?

Respondeo affirmative; quia confitendum est integre prout est factum; & sic institutum esse à Christo constat nobis ex perpetua praxi Ecclesiæ: Doctores communissime. Hinc non solum confitenda est prava voluntas, in qua formaliter habetur malitia peccati, sed etiam actus externus, qui ab ea voluntate processit; quia, quamvis actus externus nihil superaddat malitiæ, cum non sit formaliter liber, tamen simul cum actu interno, à quo procedit, facit unum complete individuum in genere moris; actus enim externus se habet veluti materia, internus veluti forma unius operationis humanæ. Itaque, qui v. g. vulneravit, non satisfacit dicendo, *Volui vulnerare;* satisfacit autem dicendo, *Vulneravi*, quia sic satis exprimit actum internum. Item, qui volens occidere vulneravit tantum, non satisfacit dicendo, *Volui occidere*, sed debet dicere, *Volens occidere vulneravi.*

Quæres secundo, An necessario confitendus sit effectus peccati mortalis?

Respondeo, Effectum peccati mortalis esse omne id, quod consequitur ad totum peccatum completum in individuo: v. g. voluntas occidendi completur externe in esse peccati per propinationem veneni: mors autem inde sequuta dicitur effectus peccati; & sic de reliquis. Certum est primo, quod si tales effectus nullo pacto fuerint prævisi, non est obligatio eos confitendi; sic non est obligatio confitendi homicidium factum in ebrietate, si nullo pacto fuerit ante prævisum; quia sic nullatenus est in se peccatum, sed merus effectus peccati ebrieta-

tis. Certum est secundo, quod si tales effectus sequuti sint post retractationem causæ, neque sunt confitendi; quia sic sunt omnino involuntarii: sic qui projecit Breviarium in mare, vel propinavit alteri venenum, si statim post tale peccatum sit rite confessus, non tenetur deinde confiteri omissiones Horarum subsequentes, nec mortem postea sequutam. At, si tales effectus, & prævisi, & sequuti sint ante retractationem causæ, quamvis Sanch. l. 9. *Matr.* d. 45. num. 30. Sot. Lop. Pal. & Thomistæ fere omnes post D. Th. absolute dicant, esse confitendos; tamen probabilius distinguo: Si enim ex peccato sequatur effectus tunc, cum potes adhuc illum impedire, est confitendus, quia sic complet eam omissionem in ratione peccati externi: si vero non potes tunc impedire, per se loquendo, non est obligatio illum confitendi, quia sic nec est in se peccatum, neque externe illud complet: Sal. Gran. Lug. Bon. Tamb. Dian. p. 1. t. 7. r. 64. Itaque in casu veneni, &c. etiamsi voluntatem nondum retractaveris, tamen satisfacis, per se loquendo, si dicas, *Propinavi alteri venenum*, tacenda de morte inde sequuta; & ita de reliquis. Dixi *Per se loquendo;* nam per accidens sæpe addi debent tales effectus, aut quia ratione ipsorum contracta est aliqua censura, aut quia pœnitens est monendus de restitutione ex effectu sequuto; & ideo pœnitentes communiter eos addunt in confessione, ad quod etiam sunt suaviter invitandi, ut inquit Esparsa.

Quæres tertio, An necessario sint confitendæ circumstantiæ peccati mortalis notabiliter illud aggravantes?

Respondeo, Has esse illas, quæ multum augent peccatum intra suam speciem: sic furtum mille ducatorum est circumstantia notabiliter aggravans furtum in specie furti; & similiter odium grave durans continenter per annum, &c. Equidem in hac gravissima difficultate, expono prius duas sententias oppositas, deinde concludam, quod videtur probabilius. Itaque

I. Negant D. Th. D. Bonav. D. Antonin. & alii plusquam 45. probatissimi Auctores, quos refert, & sequitur Dian. p. 1. t. 7. r. 1. & p. 3. t. 4. r. 67. ita ut satis in casu sit dicere: *Furatus sum materiam gravem, odio habui proximum graviter.* Ratio est, quia Trident. *sess.* 14. *c.* 5. *can.* 7. tantum ait, *Necessarium jure Divino confiteri omnia, & singula mortalia . . . & circumstantias, quæ peccati speciem mutant:* ergo sufficienter indicat, circum-

circumstantias tantum aggravantes intra eandem speciem non esse necessario confitendas; alioquin non processisset doctrinaliter, sed valde mance, inquit Lug. d. 16. num. 108. Et confirmatur primo, Quia Trident. expresse ibidem addit, nihil aliud exigi in pœnitentibus ab Ecclesia: Secundo, Quia, cum Trident. ibi agat de obligatione confitendi circumstantias, & non exprimat obligationem confitendi mere aggravantes; præsumendum, hanc obligationem non esse; contra illum enim, qui jus clarum dicere potuit, & non dixit, interpretatio est facienda, ex *Reg. Jur.* Tertio, Quia praxis Confessariorum, & Pœnitentium non est, vel interrogare, vel confiteri illas, ut notat Vasq. d. 19. a. 1. d. 2.

II. Affirmant necessario confitendas Cajet. Sot. Suar. Henr. Con. Sanch. & alii Auctores non minus nobiles, inquit Carden. quos usqu. ad 25. refert Dian. l. c. quam sententiam Sanch. vocat verissimam, Vasq. in Scholis communem, & Bonæspei deductam ex principiis Fidei. Ratio est: Primo, Quia Catech. Roman. *de Pœnit.* c. 9. ait, *Confitenda etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & gravitatem augent;* qui Catech. jussu Pii V. conscriptus, & ex decr. Trid. editus, hujus mentem videtur optime assequutus: Secundo, Quia cap. *Consideravit de Pœnit.* d. 5. dicitur, pœnitentem debere considerare qualitatem criminis, quantum in eo perseveravit, & ut cognoscat augmentum peccati, *Quia omnis ista varietas est confitenda:* Tertio, Quia id est necessario confitendum, quod scire debet Confessarius, ut Judex, & ut Medicus, ex Trident. cit. Ut Judex autem scire debet has circumstantias, ut pœnam convenientem injungat; ideoque in fine decr. Gratian. designantur pœnitentiæ notabiliter diversæ pro peccatis etiam ejusdem speciei ob solas ejusmodi circumstantias, cas. 21. 22. 37. & 38. Similiter ut Medicus scire debet statum ægri, ut possit ei præscribere opportuna remedia: ergo, &c.

III. Concludo primo, Utramque sententiam esse probabilem, utpote nixam gravi auctoritate, & ratione. Quare sequendo in praxi primam sententiam, ne implicite quidem subjaces damnationi Prop. 1. proscriptæ ab Inn. XI. ut contra aliquos recte notat Carden.; quia non exponis Sacramentum periculo nullitatis; cum certum sit, ad ejus valorem non requiri confessionem materialiter integram, quando bona fide proceditur, ut est

in

in casu. Concludo secundo, Secundam sententiam videri probabiliorem ob graviores rationes. Trid. autem ideo tantum posuit, *Circumstantias, quæ speciem peccati mutant*: quia noluit expresse definire hanc quæstionem; cæterum sufficienter adjecisse videtur fundamenta pro secunda sententia; nam per circumstantias mutantes speciem intelligi possunt, quæ mutant, vel formaliter ratione alterius malitiæ, vel æquivalenter ratione malitiæ ita exaggeratæ, ut in æstimatione prudentium censeri debeat aliud quasi specie peccatum; cum species peccati sit apparentia, & æstimatio, quam de eo habent prudentes: sic, si quarta pars ducati sit quid leve, si furetis medium ducatum, habetur circumstantia aggravans, quæ mutat speciem, quia mutat apparentiam, & æstimationem viri prudentis.

Quæres quarto; An necessario sit confitenda consuetudo peccandi mortaliter?

Respondeo, Si Confessarius interroget pœnitentem de consuetudine peccati, esse necessario confitendam, ut constat ex Prop. 58. damnata ab Inn. XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Ratio est, quia Confessarius ut Judex habet jus cognoscendi, an pœnitens serio proponat emendationem, & ut Medicus habet jus cognoscendi, an forte sit in occasione proxima relapsurus: ergo habet jus interrogandi de consuetudine peccandi, & consequenter pœnitens habet obligationem eam dicendi, & aperiendi peccata illius speciei etiam alias rite confessa: neque est novum, quod per accidens teneatur quis iterum ea peccata, alias absoluta subjicere clavibus; non enim fit, ut de iis novum judicium feratur, sed ut possit aptum judicium ferri relate ad peccata præsentia, cum quibus illa aliquatenus connectuntur, & dari remedia opportuna pro cavendis futuris. Hinc etiam fit, ut respondere similiter teneatur Confessario interroganti de occasione proxima peccandi, ut communissime docent Doctores contra Joan. Sanch. apud Dian. p. 1. t. 7. r. 55. Sicut etiam, si interrogetur de circumstantiis peccatorum notabiliter aggravantibus, etiamsi probabile sit, non dari obligationem eas fatendi, si non petantur. Et ratio est, quia horum omnium notitia conducit ad recte judicandum in foro Sacramentali; unde jus habet Confessarius, ne sibi celentur, si de iis interroget. Si vero Con-

Confessarius non interroget, tunc distinguendum est cum Lug. d. 16. num. 204. Vel consuetudo jam olim contracta inducit ad peccata sine libertate, & advertentia, ut accidit; cum quis ex veteri consuetudine blasphemat, quin advertat hic & nunc ad malitiam blasphemiæ; & hæc consuetudo libere nondum evulsa, est per se confitenda, utpote speciale peccatum omissionis, graviter enim obligamur ad evellendam. Vel consuetudo jam olim contracta inducit ad peccata libere, & advertenter patranda, & videtur etiam per se confitenda, quando quis advertit, quod per illam ponatur in periculo proximo; sed quia ad id homines non advertunt, idcirco raro se accusant de hac consuetudine, atque adeo raro datur obligatio eam manifestandi, antequam Confessarius de illa interroget.

Quæres quinto, Quid significet vox illa *Circiter* addita in confessione numero expresso peccatorum?

Respondeo, Significare parvum excessum supra, vel infra numerum expressum; quod parvum accipi debet respective ad summam expressam: quare, si numerus expressus est minor, etiam excessus debet esse minor; & quo numerus expressus est major, eo major potest etiam esse excessus: non tamen proportione Arithmetica, sed quasi Geometrica secundum judicium prudentium, quamdiu scilicet parvus excessus prudenter censeatur quasi absorberi in numero expresso. Sic parvus excessus censetur unum respectu quatuor; duo respectu decem; tria respectu 20., quatuor respectu 40., sex vel etiam novem juxta Spor. num. 446. & alios respectu 100. &c. Itaque, si duodecies, v. g. peccasti, & ob incertitudinem dicas, *Decies circiter*, jam sufficienter explicas duodecimum in numero expresso: Addo, quod si excessus sit unius tantum, est aliquid etiam in se parvum absolute; & consequenter, si ob incertitudinem dixisti, *Ter circiter*, & postea reperias quater; non teneris iterum confiteri illud quartum; quia licet unum sit tertia pars trium, tamen est aliquid in se parvum: Dicast. Bosc, Croix num. 490.

CAPUT IV.

An Peccatum mortale dubium sit materia necessaria Confessionis?

Hoc dubium potest esse triplex: Primo de ipso peccato, ut si dubites, an simpliciter peccaveris in materia

materia cæteroqui de se gravi: Secundo de qualitate peccati, ut si scias, te jam peccasse, dubites tamen, an mortaliter, an venialiter: Tertio de confessione peccati, ut si scias, te jam peccasse mortaliter, dubites tamen, an sis de eo confessus. Circa hæc omnia versari potest vel dubium negativum, cum scilicet utrinque sunt quædam motiva, sed adeo levia, ut neutra pars possit prudenter asseri; vel dubium positivum, cum scilicet pro utraque parte sunt gravia motiva, ita ut formari possit prudens judicium tam pro hac, quam pro illa parte, aut saltem reflexe judicari possit, quod pro utraque parte stet motivum grave: quando pro una tantum parte stat grave motivum, ea sola erit positive dubia, seu probabilis, & fundans prudens judicium. His suppositis

Dico primo: In dubio positivo pro utraque parte peccatum non est materia necessaria confessionis: Doctores communiter cum Sylv. Suarez, Henr. Sanchez, Bon. Layman. Lug., & aliis contra Elizal. Gorm. Merol. Con. & complures Rigoristas. Ratio est, quia in tali casu, cum etiam habeas grave motivum tibi favens; potes prudenter judicare, te non obligari, etsi illud non confitens opereris ex opinione probabili non spectante ad valorem Sacramenti. Dixi *Pro utraque parte:* nam, si tantum sit motivum grave contra te, utique teneris confiteri; quia sic non habes prudens motivum, unde excuseris. Neque dicas, in dubio facti, quale est in casu, motiva opposita se mutuo elidere, ut duo testes graves testificantes pro. & contra. Nam tunc motiva opposita se mutuo elidunt, cum sunt ejusdem speciei, & omnino similia, uti sunt duo testes de visu; quia sic certum est, alterutrum eorum velle fallere, &, cum ignoretur, quis eorum id velit, neuter meretur fidem. Non vero, si motiva opposita sint diversæ speciei, & dissimilia; uti essent duo testes, qui non de visu, sed ex aliis gravibus conjecturis pro & contra testentur; sic enim uterque meretur prudentem assensum, cum uterque habeat conjecturas probabiles ex motivis omnino diversis. Et ita est in casu nostro, in quo proinde potes prudenter indicare, te non obligari.

Hinc in dubio, an simpliciter peccaveris, in tali actione, si probabile sit, te non advertisse ad peccatum, non consensisse, &c. vel probabile sit, te non plene adver-

advertisse, non plene consensisse, &c. potes de ea actione non confiteri; etiamsi probabile etiam sit, imo & probabilius, te advertisse, plene consensisse, &c., quia sequens motivum probabile tuæ immunitatis à mortali, prudens operaris. Similiter, si certus sis olim, te peccasse graviter, sed probabile nunc tibi sit, te de hoc confessum etiam esse, non teneris iterum de eo confiteri, etiamsi probabile, imo etiam probabilius adhuc tibi videatur non confessum esse; & ratio ulterior est, quia, quamvis inter homines non censeatur per probabilem solutionem satisfactum debito certo, sed danda est pars solutionis juxta proportionem dubii, eo quod homines non censentur remittere debitum, nisi posita sit perfecta æqualitas; attamen benignius præsumimus de Deo, quod scilicet ad impletionem suorum præceptorum non exigat, plus quam quod prudenter judicemus, nos eis satisfeciisse; alioquin exponeremur infinitis anxietatibus, & scrupulis, cum nimis facile obliviscamur eorum, quæ fecimus. Notant tamen Sanch. Pallav. & alii, in periculo mortis fore obligationem eliciendi contritionem de his peccatis positive dubiis, vel confitendi ad minimum alia peccata, ut scilicet peccata illa dubia, si forte revera fuerint mortalia, necdum ante remissa, saltem indirecte tunc absolvantur; quia secus in ea extrema necessitate exponeretur periculo salus æterna. De Baptismo dubie suscepto, vide dicta suo loco in Tract. præced.

Dico secundo: In dubio negativo pro utraque parte mortale dubium videtur potius materia necessaria confitenda; ita Catec. Roman. *de Pœnit.* c. 9., D. Th. in 4. d. 21. q. 2. a. 3. ad 3., aliique Doctores graviissimi, & prope innumeri, quorum 40. refert, & sequitur Sanchez l. 2. *Decal.* c. 10. n. 66. ita ut certum esse dicant plerique cum Gorm. contra complures etiam graves auctores infra citandos. Ratio est, Primo, Quia ex Trident. cit. tenetur pœnitens confiteri omnia, & singula mortalia, quæ habentur in conscientia, & memoria; sed qui negative dubitat de mortali commisso, illud aliquo pacto habet in conscientia, & in memoria, quia meminit v. g. facti præteriti, in quo dubitat, an peccaverit mortaliter; ergo tenetur illud confiteri.

Scio Ægyd. Con. Caram. Martin. Marchant. Stoz. Joseph à S. Januario, & alios Doctores docere, ut

ut probabile oppositum; quia mortale dubium, inquiunt, revera non est in conscientia, quæ à D. Bern. dicitur *Cordis scientia*, & à D. Th. *Cum alio scientia;* neque in memoria, quia memoria est pronunciare, se prius aliquid sciviſſe: ex Aristot. 1. *de Memoria:* & negative dubitans nihil scire, aut pronunciare potest. Addunt insuper: Primo, Dubium, quod facta morali diligentia vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili, & tacere possum in confessione peccatum, quod ex tali ignorantia puto non esse mortale: Secundo, In dubio melior est conditio possidentis, & negative dubitans de mortali est in possessione suæ innocentiæ: Tertio: In dubio, an lex aliqua existat, non est obligatio eam servandi, & dubium est in casu, an existat lex confitendi peccata dubia. Cæterum, quamvis horum sententia spectatis rationibus intrinsecis videatur probabilior tamen nostra sententia, spectata saltem auctoritate extrinseca, videtur in praxi tenenda; quia in iis, quæ pendent à voluntate Christi, tenendum est, quod dixerunt antiqui, quos præsumendum est, magis nosse voluntatem Christi, quam pauci Doctores, qui non priusquam ab annis fere 70. cœperunt de hoc dubitare. Et sane nemo negat obligationem confitendi mortale, quod certo scis, te olim commisisse, sed negative dubitas, an confessus sis; quia sic certo possidet præceptum confessionis, cui prudenter judicare nequis esse satisfactum. Si autem dubium negativum sit de ipso peccato, aut de qualitate peccati; per se loquendo, probabilior, & tutior in praxi est nostra sententia obligans ad illud peccatum dubium confitendum.

Dixi *Per se loquendo.* Nam non tenentur, Primo, Scrupulosi; quia eorum dubia ordinarie sunt inanes apprehensiones; qui proinde non tenentur confiteri peccata certa; nisi certo sciant non esse antea confessa: Doctores communiter. Secundo, Nec tenentur, qui sunt timoratæ conscientiæ, si negative dubitent, an peccaverint mortaliter: an venialiter; quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio: cum ergo hi soleant horrere à mortali, habent inde prudens motivum judicandi, se non peccasse mortaliter: Sanchez, Bon. & alii communiter. Tertio, Nec tenetur: qui olim serio fecit confessionem generalem, & nunc negative dubitat, an tunc dixerit tale, vel tale mortale, quia confessio serio facta est in possessione pro sua inte-

integritate, & non meminisse, te hoc, vel illud esse confessum, non est prudens dubium, quod confessus non sis; cum vix recordemur hesternorum: Stoz. p. 5. num. 169.; nisi ergo occurrat nunc positiva ratio prudenter dubitandi, non teneris, &c. Gorm. num. 170. & alii communius: unde etiam infert Jo. Sanch., estque valde notandum, inquit Dian. p. 5. t. 4. r. 107., hunc talem non teneri amplius, de vita anteacta cogitare; &, si occurrat dubium, an confessus jam fuerit tale peccatum; an non; an circumstantias, &c., poterit præsumere, quod sic: idemque infert Stoz n. 164. in confessionibus particularibus serio anteactis; nam, qui semper cum morali diligentia est confessus non tenetur in priorem vitam ulterius inquirere, etsi hic & nunc non recordetur, se hoc, vel illud esse determinate confessum. Ex quibus concluditur, quod obligatio confitendi mortale dubium solum urgeat eos, qui non sunt timoratæ conscientiæ, vel de quibus ignoratur, an timorati sint, vel an antehac fuerint diligentes in suis confessionibus, ut concludit Croix.

Quæres, An peccatum dubium sit se solo materia sufficiens confessionis?

Respondeo affirmative, Si reipsa sit commissum; sed cum hoc ipsum sit incertum, per accidens tunc datur obligatio addendi aliud certum, sive mortale alias absolutum, sive veniale, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis: quod, si aliud certum non possit addi, danda est absolutio sub conditione, præsertim in necessitate; maxime, cum probabilis sit speculative loquendo sententia Perez, & aliorum Doctorum, quod peccatum putatum (adeoque & dubium) cum vero dolore sit sufficiens ad hoc Sacramentum, & consequenter per eam confessionem satisfieri præcepto confessionis annuæ: si certum sit, te peccasse, & dubitas, an mortaliter, an venialiter, absolvi simpliciter potes absque ullo addito, quia jam exponis materiam certam: Sanch. l. 1. *Decal.* c. 10. num. 3. Similiter, si Confessarius ex circumstantiis pœnitentis advertat ut certa aliqua peccata, quæ pœnitens confitetur ut dubia, potest simpliciter absolvere; quia peccata sunt declarata, prout sunt in conscientia, nec Sacramentum exponitur periculo nullitatis: Spor. num. 56.

CAPUT V.

Quæ mortalia antecedentium Confessionum sint materia necessaria Confessionis præsentis?

Dico primo: Qui antehac confessus fuit invalide, undecunque provenerit invaliditas, tenetur eadem mortalia iterum confiteri: Ita omnes. Ratio, quia Christus præcepit confessionem mortalium in ordine ad valorem, & fructum Sacramenti: ergo, quandocunque pœnitens novit suas confessiones fuisse invalidas, sive ex defectu sui, sive Confessarii, debet illas repetere, & si fuerunt voluntarie nullæ, debet etiam addere sacrilegia in illis, & in subsequentibus etiam communionibus commissa. Contra vero, si confessio fuit valida, sed informis, probabiliter non tenetur peccata sic confessa iterum confiteri, sed tantum peccatum omissum, quia absolutio fuit valida, & habebit fructum, cum sublata fuerit fictio: Suar. d. 22. s. 7. num. 2. contra Adrian.

Si Confessarius habebat facultatem in reservata, & invaliditas fuit ex defectu ipsius, eo quod noluit absolvere, probabiliter ablata est reservatio: &, si invaliditas fuit ex defectu inculpabili pœnitentis putantis, v. g. non requiri dolorem, &c. probabiliter ablata est etiam censura; quia in primo casu pœnitens satisfecit præsentando se habenti facultatem in reservata: in secundo casu Confessarius absolvit, quantum potuit: Con. Cajet. Henr. & alii contra Layman. Bonac. & alios. Idem putant Pasqual. Rodr. Boss. s. 1. cas. 28., etiamsi invaliditas fuit ex defectu culpabili pœnitentis, eo quod possit etiam invitus, nedum indispositus, à censuris absolvi, sed in hoc merito contradicunt alii, quia fraus non potest cuiquam suffragari, nec debet lucrum reportari ex sacrilegio.

Cæterum, si confessiones invalidæ repetantur apud Confessarium diversum à primo, debent omnia, & singula mortalia repeti; quia hic Confessarius, cum sit novus omnino Judex, debet omnia, & singula, quoad fieri potest, cognoscere, Doctores communiter. Si vero repetantur apud eundem Confessarium, qui adhuc habeat distinctam memoriam eorum peccatorum, satis est, si pœnitens dicat defectum confessionum, & communionum præteritarum, & in genere addat, *Etiam me accuso de omnibus peccatis antehac tibi confessis;*

idem

idem etiam dicunt Navar. & alii, si talis Confessarius habeat adhuc confusam memoriam eorum peccatorum, & aliquo pacto recordetur de statu pœnitentis, vel saltem pœnitentiæ injunctæ; quia sufficit aliquando formatum fuisse judicium, de quo nunc meminit. Si autem nec confuse meminit peccatorum; nec pœnitentiæ impositæ, debent distincte repeti eidem peccata, quantum necesse est, ut ex vi confessionis partim præteritæ, partim præsentis possit Confessarius formare judicium saltem confusum de statu conscientiæ, & injungere pœnitentiam congruam: Lug. d. 16. num. 642.

At, si pœnitens sit cæteroqui scrupulosus, regulariter ne permittas quidquam repetere, nisi certum sit, esse male confessum, juxta jam dicta. Imo idem etiam dicunt Fill. & Gob. t. 7. num. 275., etiamsi pœnitens non sit scrupulosus; quia possessio est pro confessionibus factis, quarum valor præsumi debet, nisi graviter probetur oppositum, cum delicta non sint præsumenda: contra vero, si ille solitus fuerit negligenter se præparare, aut omittere aliqua, præsumptio est contra ipsum, ideoque tenetur repetere id, de quo dubitat, an valide sit confessus. Idemque est, si certus sit de mortali in confessione omisso, & sit dubium negativum, an ex verecundia, an ex justa causa; tenetur enim confiteri illud, & reliqua etiam mortalia tunc confessa, quia est etiam dubium negativum de valore ejus confessionis: Moya d. 1. q. 8. n. 17. contra Baucium.

Pro praxi vero, si pœnitens mortale aliquod tacuit, pete, quale illud fuerit, & an, quando illud commisit, putaverit esse mortale; item, an putaverit esse mortale sic illud tacere in confessione: si enim hæc non adsint, nunquam peccavit mortaliter: si hæc constent, tunc pete, an, quoties confessus sit tempore intermedio, memor fuerit obligationis confitendi tale peccatum, & nihilominus perrexerit tacere; si enim bona fide, & cum debita dispositione feciset has confessiones intermedias, fuerunt validæ, nec opus est has, vel peccata in his confessa repetere: Doctores communiter: si vero adsuit semper mala fides, tunc, si apud te semper fuit confessus, redit doctrina paulo ante dicta; si non semper est tibi confessus, vel per multos annos sic perrexit, ita ut nec confuse recordari possis reliquorum peccatorum communiter

differendus est pro absolutione, usquedum se examinet, si capax sit ad se examinandum, & hoc antea non fecerit, quia vix fieri potest, ut tam subito omnium recordetur: Gob. t. 7. num. 261. Addit tamen optimum consilium Croix num. 1226. exquirenda tunc ab eo graviora peccata, quæ illum maxime remordent, ut sic aperto ulcere, & deposita parte verecundiæ facilius deinde redeat: addit etiam, quod si non esset futura occasio redeundi, nec putaretur alteri facile aperturus conscientiam, possis tunc per interrogationes supplere defectum examinis, quantum locus, & tempus ferent, & absolvere, & pro pœnitentia injungere, ut diligentius se examinet, &, si quæ alia occurrent, dein confiteatur.

Dico secundo: Mortalia indirecte absoluta in alia confessione sunt materia necessaria præsentis confessionis: ita omnes. Ratio est, quia ex Trid. *sess.* 14. *c.* 3. Confessarius est à Christo institutus Judex circa omnia, & singula mortalia fidelium; sed Confessarius nondum tulit sententiam de peccatis indirecte absolutis, utpote nondum subjectis directe ejus clavibus: ergo, licet indirecte sint remissa, tamen ex jure divino manet obligatio, ut directe Confessario subjiciantur; non quod illa reviviscant, sed quod novum peccatum omissionis committitur contra jus divinum, si non ita subjiciantur. Talia sunt mortalia inculpabiliter omissa in præterita confessione, vel eorum species, aut circumstantiæ mutantes speciem inculpabiliter omissæ, vel mortalia, dicta quidem in confessione, sed confessario non habenti jurisdictionem in illa, à quo bona fide, aut ex rationabili causa obtinuisti absolutionem directe cadentem super alia peccata sibi subjecta. Hinc damnatur ab Alexandr. VII. hæc Propos. 11. *Peccata in confessione omiss a, sive oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Non sic autem in reservatione, aut censura peccati indirecte absoluti: si quis enim ab habente facultatem in talem reservationem, ac censuram generaliter absolvatur à censuris, & à peccatis, probabiliter manet omnino liber à reservatione, vel censura adnexa peccato oblito, quod proinde, si memoriæ occurrat, absolvi directe poterit à quovis Confessario: Regin. Con. Sylv. Nav. & alii apud Dian. p. 2. t. 11. r. 19. contra alios. Et ratio est, quia nec reservatio, nec censura est peccatum, sed quædam pœna peccati. Secus vero, si ille Confessarius non habebat

bebat facultatem in talem reservationem, vel censuram, ut patet.

Quæres, An mortale in confessione oblitum, si memoriæ occurrat ante communionem, debeat ante hanc subjici clavibus?

Respondeo affirmative cum communissima apud Lug. *de Euch.* num. 126. contra Regin. Præp. Garz. & alios apud Dian. p. 9. t. 3. r. 1. Ratio potissima est praxis communis fidelium, quæ satis indicat præceptum divinum de præmittenda communioni confessione materialiter integra, excepto casu urgentis necessitatis, juxta dicta q. 1. c. 4.

Dico tertio: Qui bona fide dixit in confessione, se v. g. decies circiter peccasse, si deinde certo sciat, se peccasse undecies, non tenetur iterum illud undecimum clavibus subjicere: Doctores communiter. Ratio est, quia jam subjectum fuit clavibus prout erat in conscientia, & sufficienter inclusum in verbis illis, *Decies circiter*, juxta dicta cap. antecedenti: ergo nulla est obligatio ex jure divino iterum subjiciendi clavibus, cum directe jam sit absolutum: Suar. d. 22. s. 5. Vasq. Con. Lug. & alii communiter contra Perez. Imo Tamb. *de Conf.* l. 2. c. 1. n. 20. ait, rusticos, mulieres, & pueros, qui bona fide crassiori modo confessi sunt, licet postea videant, se in multis defeciisse, non esse obligandos ad repetendas ejusmodi confessiones, quia Confessarius satis saltem in confuso peccata eorum perceperit; quod Lugo facilius admittit circa numerum, quam circa speciem, quia major est obligatio exprimendi determinatam speciem, quam determinatum numerum. Illud communiter asserunt Doctores, quod, quando pœnitens post examinatam diligenter conscientiam aperuit in genere statum, vitam, consuetudinem, & tempus, quo in peccatis fuit, non teneatur postea repetere peccata, quamvis in particulari distinctius recordetur hujus, vel illius, in hoc, vel illo loco, aut tempore, cum hac, vel illa persona commissi, quia in illa confusa confessione fuerunt sufficienter intellecta à Confessario, qui potuit de his, & eorum numero formare morale judicium; atque adeo de omnibus directe absolvi: Croix num. 934.

Dico quarto: Mortale dubium confessum ut tale, si deinde deprehendatur ut certum, probabilius tenemur iterum confiteri ut certum: ita communis sententia cum Sanch. l. 1. *Decal.* c. 10. num. 69. contra Arriag. Leand.

Caramuel. & alios. Ratio est, quia ab initio erat obligatio illud affertive confitendi ut certum, & solum tunc excusavit ignorantia, ergo, hac sublata, redit obligatio, maxime quia notabiliter mutatur judicium Confessarii, debetque alia ferri sententia, & alia imponi satisfactio. Neque obstat primo, quod ab hoc absolutus jam sis directe; nam aliquando etiam datur obligatio iterum fatendi peccata directe absoluta, ut dictum est de consuetudine peccandi: sicuti ergo ibi aperienda est consuetudo Confessario interroganti, ut ferat judicium de præsenti; ita hic etiam non interroganti fatendum mortale certum, ut feratur de eo justa sententia, utpote nondum lata. Neque obstat secundo paritas numeri peccatorum inclusi in illa particula *Circiter;* nam numerus certus deinde deprehensus non multum variaret judicium Confessarii, & sufficienter est expressus in illa particula *Circiter*. Cæterum, si confessus es integre tuum peccatum (v. g. dicendo, te osculatum esse virginem) apud te dubitans, an fuerit mortale, an veniale; non teneris iterum confiteri, si postea deprehendas fuisse mortale; quia confessus es integre, neque ex modo confitendi determinasti Confessarium ad falso judicandum: Sanch. num. 69. & alii. Et à fortiori non teneris, si peccatum quodcunque confessum bona fide, ut dubium, postea deprehendas fuisse tantum veniale, aut nullum.

Similiter, qui bona fide exposuit integre peccata sua Confessario imperito, probabilius non tenetur iterum confiteri Confessario perito, quia prior Confessarius directe absolvit de communiter notis, etiamsi sæpe illa non discernat à venialibus, sed vel judicium suum suspendat, vel etiam judicet mortale, quod fuit veniale: Suar. Henr. Sot. Con. Bon. & alii plures contra Sylv. Ricch. Vasq. Victor. Val. Turr. & alios. Secus vero, si pœnitens mala fide processit, cum sic prior confessio fuerit sacrilega.

CAPUT VI.

Quodnam peccatum sit mendacium in Confessione?

Peccata sunt confitenda, sicut nunc conscientia dictat fuisse tunc commissa, quando fuerunt patrata; unde, si tunc invincibiliter ignorabas malitiam, vel non advertebas ad aliquam circumstantiam, illam non contraxisti, etsi nunc scias talem malitiam, &c. Itaque pecca-

peccata certa confitenda ut certa, dubia ut dubia, nulla omnino non confitenda; si secus feceris, eris mendax in confessione: sed hoc mendacium esse potest, vel circa materiam necessariam, vel circa materiam liberam. Itaque

Dico primo: Mendacium in confessione circa materiam liberam probabilius est tantum veniale: Suar. Vasq. Lug. Tamb. & alii communiter contra D. Bon. Caj. & alios. Ratio est, quia, licet sit aliqua irreverentia, non tamen gravis, tantum enim decipit in materia libera, sine qua potest stare judicium Confessarii circa substantialia, & valor Sacramenti; materia autem libera sunt venialia, & mortalia alias rite confessa. Sic venialiter peccas, si falso affirmes, vel neges aliquod veniale; vel, si interrogatus neges mortale ante hac rite confessum; modo non faciat ad confessionem præsentem, ut diximus de Consuetudinario, &c. Idem est, si mentiaris in re non pertinente ad confessionem, vel si mentiaris in Confessionali quidem, sed ante confessionem, vel post absolutionem: Gob. t. 6. num. 545. Idemque est, si alteri prius confitearis mortalia, & postea tuo ordinario Confessario venialia, à quo interrogatus dicas. te ab ultima confessione illi facta non commisisse mortale, quia decipis circa materiam liberam: Bosc, num. 171.

Dico secundo: Mendacium in confessione circa materiam necessariam est grave sacrilegium contra Sacramentum, ejusque auctorem: ita omnes. Ratio est, quia decipit Judicem in re gravi spectante ad substantiam Judicii Sacramentalis. Tale est, si absque rationabili causa neget quis in confessione mortale, quod fecit; vel affirmet, quod non fecit: item, si mortale certum dicat ut dubium, vel dubium ut certum; item, si numerum dubium mortalium asserat pro determinato, vel determinatum pro dubio, aut majorem, minoremve, quam ipse putet esse; vel demum sciens v. g. se detraxisse dicat, *Accuso me, si detraxissem, &c.*; quia in his omnibus corrumpitur judicium Sacramentale in re gravi, quamvis aliquando excuset bona fides, aut ignorantia. Idem est, si confitens mortale dicat, esse veniale, vel confitens veniale dicat esse mortale; vel confitens mortale falso dicat, se illud esse alias confessum, quia notabiliter immutat judicium Confessarii circa materiam necessariam; Pal. Tamb. & alii communiter contra Dicastil. d. 9. num. 147. Si vero falso dicat, se non

esse antehac confessum mortale, quod tamen sit antea rite confessus, probabiliter peccat tantum venialiter, quia decipit tantum circa materiam liberam: Dicast. contra Pal. Tamb. & alios. Qui autem confitetur mortale antehac rite confessum, sed id non exprimat, non peccat, quia confitetur malitiam, quæ est ex parte peccati, quæ semper est materia confessionis: Suar. Sanch. Con. & alii communiter.

Item, qui confitetur mortale, de quo dubitat, an antehac sit confessus, non tenetur dicere, se de hoc dubitare. Imo, qui confitetur mortale antehac non confessum, nec tenetur id exprimere, nisi interrogetur, quamvis videat, Confessarium forte putare esse antehac confessum, dummodo ex vi confessionis eum non inducat in illum errorem, sed mere permissive se habeat: Bonac. Dian. Lug. Dicast. Tamb. & alii contra Hurt. Pal. Turr. immerito vocantem hanc sententiam pernicioſam, & improbabilem: excipe tamen, si Confessarius imponat pœnitentiam valde levem; tunc enim per accidens esset obligatio id exprimendi, aut saltem petendi pœnitentiam majorem: ita idem Doctores.

Similiter neque peccat, qui dicit, se velle confiteri generaliter, & peccatis alias confessis miscet nova non antehac confessa, tacendo, hæc non esse antehac confessa; quia per verba illa, *Volo confiteri generaliter*, non dicit, se velle confiteri tantum peccata antehac confessa, sed quæ fecit in vita, Lohn. *de Conf. par. 2. c. 12.* dicens, id secure practicari: excipe tamen primo, Si inter nunquam confessa esset reservatum, à quo non posset absolvere hic Confessarius; Secundo, Si species peccati nunquam confessi aliter non intelligeretur, v. g. si recenter vovit castitatem, & peccatum oppositum intelligeretur factum ante votum: Tertio, Si Confessarius imponat pœnitentiam valde levem, ut dictum est supra; ideoque ordinarie semper expedit distinguere non confessa à confessis: maxime etiam, quia circa non confessa communiter diligentius interrogare debent Confessarii, ut bene explicetur species, & numerus: Croix n. 1182. Qui autem dicit, se velle confiteri generaliter de tota vita, & sponte omittit aliqua mortalia antehac rite confessa, non peccat mortaliter, quia non mentitur circa materiam necessariam; imo Tamb. n. 7. Dic. & alii putant, nec peccare venialiter, quia sensus illorum verborum communiter est; quod velit confiteri omnia, prout ipsi videtur, & placet, & ita intelligunt Confessarii.

Simi-

Similiter non peccat, qui ex neceſſitate confitens huic Confeſſario (cui ex rationabili cauſa non tenetur dicere peccatum, quod habet in conſcientia, vel ejus ſpeciem) id ab eo interrogatus neget; quia nullatenus mentitur, ſed loquitur æquivoce: Doctores communiter. Qui autem mentitur circa individuum phyſicum peccati (puta ſi dicat; ſe peccaſſe tali die, cum ſciat, ſe peccaſſe alio die, vel occidiſſe Titium, cum ſciat, ſe occidiſſe Cajum) Arriag. Boſc. & alii dicunt, eſſe tantum veniale mendacium; quia moraliter ſunt idem individuum peccati, & circumſtantiæ illæ phyſice diverſæ non ſunt materia neceſſaria; niſi vero mutent ſpeciem peccati, vel notabiliter judicium Confeſſarii: Suar. d. 22. ſ. 2. n. 3.

CAPUT VII.

Quando valeat Confeſſio formaliter tantum, & non materialiter integra?

Confessio formaliter tantum integra eſt externa quidem accuſatio Sacramentalis, ſed non omnium peccatorum, quæ ſunt in conſcientia, adeoque non eſt materialiter integra; dicitur tamen integra formaliter, quia nihil ei deeſt ad valorem, & formam Sacramenti. Hæc autem præciſe valet, ſi adſit impotentia phyſica, vel moralis confitendi omnia, quæ ſunt in conſcientia, quia tunc ſolum ex benignitate Chriſti ceſſat ſuum præceptum de integritate materiali, & ideo transacta poſtea ea impotentia teneris ex eodem præcepto, mortalia tunc omiſſa ſubjicere clavibus: Doctores communiter. Sit igitur.

§. I.

Quid de impotentia morali?

Si neceſſitas ſit confitendi (v. g. ob præceptum annuæ communionis, vel ad vitandam infamiam, ſcandalum, aliudve malum grave, vel, ſi aliter longo tempore confeſſio eſſet differenda) valida eſt confeſſio non integra materialiter ob impotentiam moralem in ſubſequentibus caſibus.

I. Si pœnitens nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integre confiteri suum peccatum, nisi nominando complicem; tunc enim probabiliter potest illud tacere, quia conservatio famæ, ad quam complex habet jus, videtur excusare: Nav. Armil. Molin. Bon. Busemb. Dian. & alii contra Suar. Lug. D. Bonav. D. Anton. & alios. Si autem sola circumstantia nequeat exprimi sine manifestatione complicis, fatendum est peccatum tacita circumstantia, dicendo v. g. *fornicatus sum*, tacendo circumstantiam incestus, ex qua talis Confessarius facile nosset complicem. Hinc fit, quod, quando confessio fieri integre potest sine complicis manifestatione, illicitum est tum pœnitenti complicem manifestare, tum Confessario complicis nomen interrogare. * Ubi nota, Praxim exquirendi nomen complicis à nonnullis Portugalliæ, nec non Algarbiorum Confessariis usitatam, fuisse nuper à Bened. XIV. felicit. Regn. per literas in forma Brevis ad Episcopos illius Regni scriptas, *Damnatam, ac reprobatam, tanquam scandalosam. & perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad Sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo; & necessario usu Fideles abalienantem.* * Si autem gravia damna timerentur à complice, quæ solus Confessarius posset impedire, esset ei manifestandus, quod expediret etiam fieri extra confessionem: Sot. Dian. Lug. Avdrs. q. 18. s. 7. & alii.

II. Si pœnitens ex confessione sui peccati, vel ejus circumstantiæ prudenter timeat grave damnum, sive spirituale, sive temporale sibi, aut Confessario, aut aliis, potest illud reticere; quia præceptum divinum de integritate materiali non obligat cum tanto incommodo: Doctores communiter: ut si prævideas, talem Confessarium fracturum sigillum, aut te odio gravi habiturum, aut aliis graviter nociturum. Item, si mulier v. g. prævideat ex confessione peccati carnalis fore periculum animæ suæ, vel confessarii; nullatenus potest ei confiteri, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo etiam illud tacere debet, ob periculum alterutrius; nisi vero hoc omnino cessaverit. Doctores communiter apud Lug. d. 16. n. 361. Item, si Confessarius non posset aliter confiteri suum peccatum, nisi violatione sigilli: v. g. si invalide absolvisset simoniacum, nec posset confiteri

fiteri, nisi illi, qui facile posset conjicere, quisnam ille esset. In his omnibus casibus requiritur necessitas supradicta confitendi, & defectus alterius Confessarii; Fill. Lug. & alii communiter, monentes, talia damna, & pericula non esse facile fingenda, & præsertim in Religioso vix posse locum habere.

III. Si pœnitens sit mutus; hic enim probabilius non tenetur confiteri scripto, quia scriptura ex natura sua nata est esse publica: Ledesm. Victor. Sotus, Navar. Val. Barb. Dian. Laym. Pal. & alii contra Suar. Vasq. Lug. Escob. & alios. Hinc satis est, si confiteatur per nutus, etsi prævideat, non posse integre intelligi à Confessario. Debet tamen hic, si fieri potest, instrui prius ab ejus domesticis de significatione nutuum. Si id fieri non potest, absolvere eum potest tempore præcepti, imo etiam jubilæi, aliisque celebribus festis, etsi nequeat ulla peccata in specie intelligere, modo tamen ex signis intelligat, eum dolere, & petere absolutionem: Gob. t. 7. n. 476. At, si quis à nativitate fuerit mutus, surdus, & cœcus, cum non videatur ullo modo posse edisscere mysteria fidei, solum est capax baptismi: Gob. t. 7. n. 476. Eadem dic de surdo, cui pariter satis est, si confiteatur integre, quantum scit se explicare: quod, si sit surdaster, neque est interrogandus à Confessario, nisi de plane necessariis, & sine periculo publicitatis: expedit tamen, ut audiatur, si fieri potest, in loco remoto: Dian. p. 3. t. 4. r. 120. Eadem dic etiam de puero, rudi, bardo (vulgo *locco*) qui nequeunt se in specie accusare; habent enim potius impotentiam physicam; ideoque in dictis necessitatibus impertienda est eis absolutio sub conditione, si dubites, an noverint mysteria fidei, vel an dent signa doloris, &c. qui autem est semifatuus, putat Gob. t. 7. num. 468. quod, etiamsi singulis mensibus petat absolutionem à Confessario, qui novit eum saltem imperfecte exercere actus necessarios ad hoc Sacramentum, absolvendus est: idem dic proportionaliter de pœnitente barbari idiomatis, qui, etsi possit, tamen non tenetur confiteri per interpretem, cum solum præcipiatur confessio secreta, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Quare in dictis necessitatibus, si non habeat Confessarium intelligentem suum idioma, poterit confiteri per signa. Addunt Val. Arr. Bus. & alii contra Con. Laym. Lug. & alios, quod ne in articulo quidem mortis teneatur confiteri

confiteri per interpretem; sed optime monet Averf. teneri tunc per illum confiteri aliquod saltem veniale, ob majorem securitatem salutis: & Dian. suadet, sic etiam tunc confitenda omnia, cum non sit certum non adesse obligationem ad hoc ex præcepto divino.

IV. Magnus concursus pœnitentium non est causa moralis sufficiens dimidiandi confessionem, ex Propos. 59. damn. ab Inn. XI. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ;* adhuc tamen putat Lumb. sufficere, si tunc sit pœnitens non rediturus ad confessionem, vel accedat peregrinus non bene examinatus, qui abire statim debeat: sed hoc negat merito Carden. nisi etiam adsit impossibilitas moralis, qualis esset, si ille esset valde rudis, nec alias posset confiteri; hic enim, si solitus sit confiteri generice tantum non explicando species peccatorum, posset tunc Confessarius audire peccata ab ultima confessione, & rudi aliqua cognitione præcedentium eum absolvere: Laym. l. 5. t. 6. c. 9. n. 4.

§. II.

Quid de impotentia physica?

I. Hæc est in periculo mortis, in quo non sit tempus confitendi omnia, ut in naufragio, terræmotu, prælio, aut alio simili; tunc enim sufficit dicere tantum in genere, *Accuso me de peccatis meis:* Doctores communiter ex Rit. Romano. Imo, quando imminens periculum aliud non permittat, possunt multi simul dolorem ostendere Sacerdoti, & sic omnes simul absolvi. Addunt tamen Con. Lug. Tamb. & alii, quod, quamvis tunc neque obliget publica confessio, tamen pro majori securitate expedit, ut quisque manifestet aliquod saltem veniale in specie, de quo minus erubescit, ut sic ab illo directe absolvatur, & indirecte à reliquis. Idem proportionaliter dic pro tempore pestis; si enim Confessarius accedens ad pestiferum non possit immorari ob periculum contagii, poterit unum tantum peccatum audire, & absolvere: illud tamen debet esse mortale, si sit in conscientia, quia, cum sit materia necessaria, debet dici, si potest. At, si ob tale periculum non possit Confessarius accedere, satis est dicere publice aliquod veniale, ut supra, & sic absolvi: v. Laym. l. 5. t. 6. c. 13.

II. Est

II. Est in articulo mortis, quando probabile periculum est, ne infirmus ante absolutionem moriatur, vel plus animo debilitetur, vel mortem acceleret: sufficit etiam unum mortale, aut, si hoc non habet, veniale fateri Confessario, & sic absolvi: Doctores communiter. Quod si non possit in specie, dicat saltem in genere, *Peccavi graviter;* & si neque hoc totum, proferre possit, dicat, *Peccavi:* si nec loqui possit, det signum doloris, vel desiderii absolutionis, puta, tundat pectus, vel manum Confessarii stringat, vel interroganti annuat, quia sic etiam habetur sufficiens confessio sensibilis, & accusatio externa. Itemque est, si oculos ad cœlum tollat, si Sacram Imaginem devote intueatur, &c. Si autem dubium sit de signo aliquo, absolvendus est sub conditione; quia probabile est, illud esse signum pœnitentiæ, cum probabile sit, quemlibet etiam scelestissimum in eo articulo velle remedium animæ suæ, idque eo signo, cum aliter nequeat, manifestare: Doctores communiter. Quod si Confessarius eum inveniat lapsum in lethargum, phrenesim, aut etiam in delirio dicentem, se nolle absolvi, potest, ac debet pariter absolvere, si unus saltem fide dignus testetur, eum antea petivisse absolutionem, aut dedisse aliquod ex prædictis signis, quia sufficit confiteri per alium, uti per interpretem: & non est certum, se retractasse, aut confessionem sensibilem non perseverare moraliter, Moya, Avers. Dian & alii communiter, ex Rit. Rom. *de Pœnit. c. ult.* Addunt etiam sufficere, si id testetur hæreticus, vel infidelis, quia præsumi non potest, quod hi dicant falsum, ut fiat Sacramentum. Addunt etiam sufficere, si testis referens Sacerdoti id tantum audierit ex relatione alterius. Addunt demum etiam sufficere, si testis hoc dixerit absens à moribundo, ad quem deinde accedat solus Sacerdos.

Difficultas maxima est, si hic talis neque per se, neque per alium dederit signum pœnitentiæ? Qua in re dicendum est, quod, si certum sit, nullum prorsus signum dedisse, non possit ne sub conditione quidem absolvi; quia tunc certum est, absolutionem fore nullam, cum confessio aliqua externa sit de essentia Sacramenti: Doctores communiter, præsertim Societatis Jesu, quibus in ratione studiorum prohibitum est docere hanc thesim: *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos, nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem,*

absolvi

absolvi potest. Talis certitudo haberetur, cum ille vixerit infidelis, vel hæreticus, aut in eo articulo expresse diceret nolle confiteri, velle mori in peccato, &c. & hæc dicat, aut faciat non delirans, sed utens ratione. At, si hæc certitudo indispositionis non sit, sed ita improviso mortis articulo quis obruatur, ut nullum signum externum dare possit doloris, &c. Lug. Haun. Moya, Pallav. & alii dicunt, sufficere vitam christiane anteductam, & confessiones sæpe ante factas in signum externum doloris præsentis, quem etiam probabile est interne habere. Negant Illsl. & alii, quia vita christiane anteacta, &c. non est signum externum, quo ille active manifestet dolorem præsentem; aliter frustra, & deceptorie Concilia, & Canones requirerent in moribundo aliud signum, quod vel ipse Sacerdos viderit, vel de quo alii testentur.

Dico tamen, posse hunc absolvi sub conditione, quia sufficit quodcunque signum externum doloris, quamvis à Sacerdote clare non cognitum, sed sub dubio tantum præsumptum; Avers. s. 19. & alii dicentes, *Locum dubitandi adesse, quandocunque non constat oppositum.* Atqui in casu posito, cum non constet oppositum, præsumi potest, illum dare hoc signum; nam nescitur, an non utatur ratione, & tales moribundi ordinarie dant extrema aliqua signa, quæ possunt, quibus forte manifestare volunt suum dolorem, quale signum esse potest etiam ipsa anxia respiratio moribundis omnibus consueta: ergo absolvi potest conditionate, cum sic nec fiat injuria Sacramento, & succurratur extremæ necessitati. Unde, si potest, debet ex gravi obligatione charitatis ita absolvi: Moya, Sanchez, & alii multi. Quando autem Concil. & Can. requirunt aliud signum, loquuntur de absolutione absoluta, non de conditionata, ut fertur etiam hanc contulisse ipsum Clem. VIII. cuidam decidenti è fabrica D. Petri, dicendo, *Si capax es, absolvo te à peccatis tuis.* Idem dicunt Ponc. Gorm. & alii multi contra Bosc. etiamsi is antehac male vixisset; quia sufficit, si constet, fuisse Catholicum, ut habeatur aliqua saltem tenuis probabilitas accipiendi motus, quos facit, in signum doloris. Unde etiam infert Gorm. num. 226. quod, licet quis actualiter peccando subito destitueretur sensibus, regulariter sine absolutione dimitti non deberet: & Tamb. Carden. aliique addunt, Catholicum in duello, vel adulterio confossum, si supersit aliquid temporis ante mortem,

mortem, vix dimittendum sine absolutione sub conditione. Secus vero, si sit infidelis, vel hæreticus, quia ille est omnino incapax, hic certe dispositus, nisi vero serio antea dixerit, se velle mori ritu catholico. Denique, si quis adveniente Sacerdote sit mortuus, certum est, non posse Sacramentaliter absolvi, quamvis antea dedisset signa pœnitentiæ, cap. *Multiplex 49. de Pœnit. d.* 1. quia non est amplius in statu viæ: neque citetur in oppositum Opusc. 65. D. Th. nam hoc falso ei adscribitur: Moy. n. 16. neque citentur aliqui Medici dicentes, animam rationalem manere etiam uno, vel altero quadrante post mortem vulgariter existimatam; nam ea opinio est communiter improbabilis; si autem auctoritate, vel ratione fieret alicui saltem dubie probabilis, posset is absolvere sub conditione.

QUÆSTIO V.

De Operis Satisfactione.

OPERIS satisfactio, ut vocatur à Florentino, est *Executio pœnitentiæ impositæ à Confessario:* ideoque est pars hujus Sacramenti, non quidem essentialis, cum sine illa adhuc sit essentialiter validum; sed certe integralis pertinens ad integrum ejus complementum. Hinc dicitur pœnitentia Sacramentalis, & causat ex opere operato remissionem pœnæ temporalis, non quidem omnis omnino, cum hoc sit proprium baptismi, sed certe majoris, quam si fieret sine Sacramento. Dividitur autem in mere pœnalem, seu vindicativam culpæ præteritæ, & in medicinalem, seu præservativam etiam à culpa futura. Videnda hic est ejus impositio, acceptatio, executio, & commutatio; tum demum satisfactio per Indulgentias.

CAPUT I.

Quid de impositione Pœnitentiæ?

DICO primo: Confessarius absolvens tenetur imponere pœnitentiam: Doctores communiter. Ratio est,

est, tum quia ex Trid. *sess.* 14. *c.* 5. Confessarius est Judex, & Medicus: ergo debet eam imponere, tum in punitionem, tum in medelam; tum quia ex eodem Trid. c. 8. Sacerdotes tenentur curare integritatem Sacramenti; ideoque *Debent Sacerdotes salutares, & convenientes satisfactiones injungere:* peccant igitur, si non injungant; & quidem graviter, si non injungant in confessione mortalium; si autem non injungant in confessione venialium, aut mortalium alias directe absolutorum, satis probabile est, peccare tantum venialiter ob levitatem materiæ: Lug. Tamb. & alii; & nihil peccant, si pœnitens in articulo mortis nullam exequi possit pœnitentiam, ut si impos sit mentis, omnino debilis, &c.; quia vel physice, vel moraliter est incapax; at si potest minimam, injungi debet, puta proferre semel nomen Jesu, elevare mentem ad Deum, &c. Cæterum non expedit injungere, ut perferat patienter infirmitatem, cum fieri possit, ut id magnam ei molestiam afferat timenti, se non rite satisfacere, ut notat Bon. Si Confessario revelatum sit, quod pœnitens per se perfecte satisfecerit, nec indigeat in futurum remedio, Con. Suar. & alii putant, posse nullam pœnitentiam injungi; sed melius contradicit Croix n. 1238. quia integrandum est Sacramentum; quod, si nulla luenda sit pœna, satisfactio illa manebit in Thesauris Ecclesiæ. Idem est, si pœnitens certo lucratus sit indulgentiam plenariam contra Sotus, Tambur. & alios. Idem, si pœnitens velit lucrari jubilæum; etsi tunc possit minorari pœnitentia vindicativa, non tamen medicinalis; quia æque ac aliis debet impediri relapsus: Suarez, Bon. & alii.

Neque obstat Gloss. in Extrav. *Antiquorum, de Pœnit. & Remiss.* dicens, Bonif. VIII. ibi noluisse per Confessarios in Jubilæo injungi pœnitentias; nam tantum ait, Bonifacium tunc voluisse pro pœnitentia injungi tantum opera jubilæi à se præscripta; ideoque hæc tenebantur injungere Confessarii. Sed, quidquid sit de hoc, nunc Pontifices in jubilæis communiter addunt, ut pœnitentia salutaris injungatur, ideoque imponenda est, præsertim medicinalis.

Si pœnitens statim post absolutionem addat novum peccatum, cujus nova detur absolutio, Amic. putat, non esse opus injungi novam pœnitentiam, si peccatum illud

illud non mutet notabiliter ſtatum pœnitentis ; & idem putat Tamb. ſi ſcrupuloſus ſæpius redeat cum novis culpis; ſed melius Croix n. 1239. ait, ad integrandum Sacramentum aliquam levem addendam, vel ſaltem priorem injungendam pro utraque confeſſione.

Nota demum, pœnitentiam imponendam poſt audita peccata, quia eſt actus judicialis poſt cognitionem cauſæ; ſed ante abſolutionem, ut videatur, an pœnitens ſit parere paratus ; quamvis etiam imponi poſſit poſt abſolutionem, modo moraliter cum ipſa conjugatur: Tambur.

Dico ſecundo : Pœnitentia injungenda eſt pœnitenti ſub aliqua obligatione præcepti : Vaſq. Turrian. Con. Lug. Arriag. Amic. & alii contra alios dicentes, poſſe injungi etiam ſub conſilio. Ratio eſt, Primo, quia Confeſſarius eam injungit, ut Judex, ex Trid. cit. & Judex obligat reum ad pœnam promeritam : Secundo, quia ex eodem Trid. c. 8. eam injungit ex poteſtate, quam habet ligandi, & non ligat, niſi obligat; ergo, &c. Addit tamen Averſa, Primo, Poſſe ex rationabili cauſa pœnitentiam de ſe gravem, & pro mortalibus debitam imponi ſub obligatione tantum levi, puta nimium ſcrupuloſo in ea exequenda: Secundo, Poſſe imponi ſub disjunctione hanc, vel illam, ita ut ad eam obligetur pœnitens, quam ipſemet elegerit: Tertio, Poſſe præter pœnitentiam obligatoriam injungi alia opera pro libertate pœnitentis agenda, quia ſic vi abſolutionis probabiliter elevantur ad ſatisfaciendum etiam ex opere operato; quamvis enim verba illa Confeſſarii, *Quidquid boni feceris, &c.* probabilius nihil operentur ex opere operato, cum non auctoritative, ſed mere deprecatorie dicantur; tamen aliquid operantur ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ poteſt concedere indulgentias, ideoque D. Th. *Quodlib.* 3. a. 13. ait, *Opera per hoc accipere vim expiandi peccata.*

Dico tertio: Pœnitentia debet eſſe proportionata peccatis, non abſolute, ſed reſpective ad pœnitentem : Doctores communiter. Ratio eſt, quia Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 8. ait, Confeſſarios debere injungere *Salutares, & convenientes ſatisfactiones, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit:* ergo pœnitentia non debet eſſe proportionata peccatis abſolute, ſed reſpective ad facultatem, diſpoſitionem, & utilitatem pœnitentis. Hinc, quamvis olim pro quovis mortali injungenda erat pœnitentia ſeptennis, jejunandi in pane, & aqua die Lunæ, Vene-

ris, & Sabbati; ut colligitur ex Canon. Pœnitential. Decr. Gratiani adjectis: tamen hodie merito remissus est talis rigor; non quia refrixit charitas, ut perperam dicunt Rigoristæ, sed primo, ne confessio ab hæreticis impugnata, ut impossibilis, per duras pœnitentias reddatur magis odiosa: Secundo, quia notum est, benignas potius prodesse, quam rigidas, eo quod sic magis alliciantur fideles ad frequentiorem usum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: Tertio, quia usus introductus indulgentiarum occasione Belli Sacri est modus satisfaciendi utilior, & facilior: v. Franc. Cler. Rom. p. 2. c. 1.

Itaque quantitas, & qualitas pœnitentiæ ex Trident. citat. prudentis Confessarii arbitrio relinquitur, *Prout spiritus, & prudentia suggesserit.* Et primo attendi det facultas pœnitentis; nam pro iisdem delictis non eadem pœnitentia injungi debet debili, ac forti, pauperi, ac diviti, puero, vel mulieri, ac viro, &c. Secundo, Utilitas pœnitentis, ob cujus spiritualem infirmitatem sæpe expedit moderata pœnitentia etiam pro gravissimis delictis, ne scilicet scandalizetur, & omittat, ne confessionem fugiat, vel certe Confessarios ineptos adeat, qui eum curare nesciant: Lugo. d. 25. s. 5. addens, monendum tunc pœnitentem de insufficientia pœnitentiæ, & suadendum usum indulgentiarum, & aliquando imponendum, ut per se satisfaciat: Tertio, Dispositio pœnitentis, ob quam multum minui potest pœnitentia, si v. g. pœnitens accesserit maxime contritus, si per se præstet multa bona opera pœnalia, si humiliter exceperit correctionem Confessarii; item, si adsit obligatio restituendi, se reconciliandi cum offenso, vel inimico, vitandi occasiones, &c. cum hæ obligationes sint per se graves, & pro parte pœnitentiæ injungi possint: Quarto demum, si adsit jubilæum, aut indulgentia, minui potest pœnitentia vindicativa, non autem medicinalis, juxta jam dicta. Si autem nulla ex his adsit rationabilis causa, peccant graviter Confessarii imponentes pro gravibus delictis pœnitentiam levem, quia Tridentin. cit. ait, *Eos fieri peccatorum participes, qui sine justa causa, &c.* In dubio autem, an adsit justa causa, inclinandum est in partem benigniorem, quia in ea minus est periculi, juxta illud Auctoris Op. Imperf. in Matth. *Etsi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem?*

delitatem? Quare nunquam imponenda est pœnitentia perpetua, vel ingressus in Religionem, vel votum perpetuum: quod, si in pœnam admittat Confessarius votum pœnitentis de non relabendo, expedit, ut non permittat hoc votum, nisi ad tempus, ut videat, an possit, necne; & similiter, si imponat pœnitentiam conditionatam: v. g. ut toties jejunet, quoties relabitur, præfiniendum est tempus v. g. usque ad proximam confessionem. Neque imponi potest pro delictis occultis pœnitentia publica, quia saltem indirecte revelaretur sigillum: D. Th. Suar. & alii. At pro delictis publicis, si opus esset ad tollendum scandalum, posset, ac deberet imponi, secundum Trident. *sess.* 24. c. 8. *de Refor.* quia aliunde esset jam ad id obligatio, ideoque nec revelaretur sigillum. Denique monet S. Franc. Sales *in instr.* c. 9. non dandas pœnitentias ex multis rebus diversis, quia pœnitens, vel obliviscitur, vel exequitur sine fervore.

Dico quarto; Pœnitentia debet esse opus bonum pœnale: Doctores communiter cum D. Thom. Ratio est, quia non satisfit pro pœna, nisi exhibeatur opus pœnale. Talia ex Trid. *sess.* 14. *can.* 13. sunt jejunia, orationes, & eleemosynæ, &c. Ad jejunia reducuntur quælibet aliæ macerationes corporis, ut verbera, castigationes sensuum, subtractiones commoditatum, &c. quæ & pœnalia sunt, & medicinalia contra peccata carnis, gulæ, &c. Ad eleemosynas spectant quævis opera misericordiæ, etiam spiritualis; & imponi possunt divitibus, avaris, &c. caveat tamen confessarius, ne eleemosynas sibi, vel suis applicare velit. Ad orationes pertinent reliqua bona opera etiam interna, ut actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, &c., item Orationes vocales, Confessiones. Communiones, Meditationes, Lectiones Librorum Spiritualium, Visitationes Ecclesiarum, &c. Quod si ad hæc opera pœnitens aliunde teneatur, possunt etiam injungi pro pœnitentia; & aliquando ita expedit, ut majorem diligentiam in eis pœnitens adhibeat; &, si omittat, contrahit novam malitiam contra integritatem Sacramenti: Vasquez, Lug. & alii. Regulariter tamen expedit imponere opus distinctum; imo, si nihil addat Confessarius, ita intelligitur; v. g. si dicat, *Audias Missam*, intelligitur præter illam, ad quam aliunde teneris. At si dicat, *Hoc die Festo audias duas Missas*, ex tali modo injungendi colligitur,

quod velit, ut præter Missam debitam festo, unam aliam audias, Con. Tambur. & alii: Similiter, si dicat, *Per 15. dies audias quotidie duas Missas*, non ideo teneris die Festo tres audire; &, si dicat, *Quotidie per mensem audias Missam*, satisfacis die Festo audiendo unam; quia ita præsumitur mens Confessarii, cum pœnitentias per plures dies imponit. Dian. Avers. Amic. & alii.

Potest etiam pro pœnitentia imponi opus, cujus tum impetrationem, tum satisfactionem applices pro aliis, pro defunctis, &c, quia satisfactio ex opere operato ratione Sacramenti semper applicatur tibi; & insuper ipsa applicatio pro defunctis est tibi satisfactoria: Lug. d. 25. l. 5. num. 62. Probabiliter etiam potest ipse Confessarius subire partem operis injungendi, eamque applicare pœnitenti; quia sic fit moraliter ejus opus, & satisfacit ex opere operato; & similiter potest concedere pœnitenti facultatem, ut pœnitentiam per alium persolvat D. Thom. Sot. Suar. & alii; quamvis probabilius dicant Vasquez, Layman. Bonac. & alii, tunc partem integralem Sacramenti esse tantum ipsam procurationem, ut alius secundum voluntatem Confessarii ponat opus. Cæterum, si Confessarius nihil exprimat, pœnitentia persolvenda est ab ipso pœnitente; damnatur enim ab Alex. VII. hæc Prop. 15. *Pœnitens propria auctoritate substituere alium sibi potest, qui loco illius pœnitentiam adimpleat:* si autem opus injunctum sit eleemosyna, perinde est, si eam des propria, vel alienam manu, & idem est, si imposita sit restitutio.

CAPUT II.

Quid de acceptatione & exequutione Pœnitentiæ?

Dico primo: Tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam impositam à Confessario, si sit tolerabilis; Doctores communiter ex Trident. cit. Ratio est, quia Confessarius ex dictis tenetur illam imponere: ergo à fortiori tenetur pœnitens eam acceptare, utpote qui tenetur ei obedire, ut Judici recte judicanti, & integrum reddere Sacramentum. Hinc Suar. Bonac. & alii temerariam post Trident. dicunt sententiam Cajet. Med. Nav. & aliorum putantium, posse à pœnitente eligi aliam pœnam, vel eam luere in Purgatorio, quamvis Sot.

Sot. Reginal. & alii addant, hanc ſententiam ſervire ſaltem, ut neminem non abſolutum dimittas, ſi ſaltem levem pœnitentiam ſubire velit: vid. Dian. p. 3. t. 14. r. 51. Dixi, *Si ſit tolerabilis*, nam, ſi pœnitenti juſtis de cauſis videatur ſuæ fragilitati minus accommodata, poteſt rogare Confeſſarium, ut eam minuat, quantum poteſt; & Confeſſarius in tali caſu tenetur ei annuere, ut ſuavius efficiatur jugum confeſſionis. Quod ſi non annuat, poterit pœnitens nolle ab eo abſolvi: v. Suar.

Dico Secundo: Peccat graviter pœnitens, ſi poſtea non exequatur pœnitentiam acceptatam, impoſitam in confeſſione valida pro mortali prima vice confeſſo: Doctores communiter. Ratio eſt, quia facit contra obligationem in re gravi: cenſetur autem materia gravis una Confeſſio, vel Communio, item unum Roſarium, & ſimilia. Si autem omittas unam ex decem communionibus tibi impoſitis, probabile eſt, eſſe tantum veniale, quia unum reſpectu decem videtur quid leve: Gob. Croix n. 1267. Si injunctum ſit abſolute, ut recites v. g. ſeptem Pſalm. Pœnitentiales, potes recitare ſtando, vel ſedendo; at, ſi injunctum ſit, ut eos recites flexis genibus, Dian. Tamb. & alii putant, fore mortale, ſi ita non recites; quia id eſt quid grave ſpectans ad ſubſtantiam moleſtiæ: ſed de hoc vehementer dubitat Croix num. 1280. quia non videtur eſſe moleſtia tanta. Dixi primo *Pœnitentiam gravem:* nam, ſi non exequaris pœnitentiam levem, etiamſi pro mortali injunctam, peccas tantum venialiter, quia materia de ſe levis non eſt capax obligationis gravis: Averſ. l. 6. contra Jo. Sanch. Neque obſtat, quod non integretur Sacramentum; nam completio integralis per materiam levem non obligat, niſi leviter: Croix num. 1276. Cenſetur autem materia levis unum *Miſerere*, & ſimilia; ſi vero hoc imponatur per multos dies, evadit materia gravis, ſi omnino omittatur. Dixi ſecundo *Pro mortali prima vice confeſſo;* nam, ſi quis omittat pœnitentiam gravem impoſitam pro mortalibus alia vice directe abſolutis, probabiliter eſt tantum veniale: quia talis pœnitentia, in quantum eſt gravis, non eſt neceſſaria, cum Confeſſarius neque ſub gravi, neque ſub levi pœnitentiam gravem teneatur pro talibus peccatis imponere; imo nec videtur poſſe, cum debeat obligare ut judex proportionate ad materiam non neceſſariam: Nav. Palud. Ledeſ. Suari Layman. Fill. & alii

contra Con. Fagund. Lug. & alios. Dixi tertio *in confessione valida;* nam, si fuit invalida, nulla est obligatio exequendi pœnitentiam, cum nullum sit Sacramentum, quod compleri debeat; & alias teneretur pœnitens persolvere duas pœnitentias pro iisdem peccatis : Escob, Fagund. & alii. Si vero fuit Sacramentum validum, & informe, tenetur exequi, ut patet.

Cæterum, si pœnitentia injuncta evadat deinde physice, vel moraliter impossibilis, non amplius obligat, nec necesse est aliud opus subrogare; quia id non potes propria auctoritate, nec teneris eadem peccata bis confiteri; idemque est, si omnino sis oblitus : Sot. Nav. Amic. Averf. f. 6. contra Ricch. & Sylvestr. putantes, talem confessionem esse repetendam: neque obstat, quod Sacramentum non integretur; nam sufficiens excusatio est, ne cogaris bis confiteri eadem peccata. Si tamen convenire potes eundem Confessarium, qui saltem confuse minor sit tui status, expedit petere commutationem, ut sic integretur Sacramentum; similiter, si oblitus sis quantitatis pœnitentiæ; si autem non potes commode eum convenire, exequere, quantum videtur pro ratione dubii.

Denique, si materia pœnitentiæ sit divisibilis. nec possis partem majorem exequi, debes persolvere partem minorem, ut colligitur paritate de Horis Canonicis ex Propos. 54. damnata ab Inn. XI. Hinc etiam probabilius videtur contra Dian. p. 9. t. 9. r. 54. quod, si sit injunctum jejunium in pane, & aqua, si sic non possis, tenearis jejunare more Ecclesiastico; quia manet substantia jejunii separabilis ab ea circumstantia; v. dicta in Tract. de Leg. d. 2. q. 4. c. 1.

Dico tertio: Peccat graviter Pœnitens, si pœnitentiam gravem diu differat exequi ultra tempus præfixum à Confessario, Bon. & alii communiter. Ratio est, quia facit contra obligationem in re gravi, ut patet in simili de obligatione restitutionis, vel voti adimplendi. Dixi tamen, *Si diu differat;* nam, qui jussus v. g. jejunare die Veneris, & jejunet Sabbato proximo; aut jussus communicare proxima Dominica, & differat ad octiduum à Confessione, ordinarie peccat tantum venialiter, quia plerumque præceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam, quam in tempus præfixum: Dian. p. 9. t. 7. r. 57. Hinc recte monent Doctores cum Mendo, Bon. Averf. non cessare obligationem Jejunandi, quam-

vis

vis tranſierit ille dies Veneris, utpote qui erat ſtatutus non ad terminandam, ſed urgendam obligationem, ſeu non differendam absque juſta cauſa. Ideoque recte addit Mendo, quod, ſi Confeſſarius unicum tale opus imponat una vice perſolvendum, non præſumitur, quod velit alligare illi diei; quia præſumi non debet, quod voluerit Sacramentum manere poſſe incompletum integraliter. At, ſi injunctum ſit opus perſolvendum pluribus vicibus, tunc ex circumſtantiis colligenda eſt mens Confeſſarii; ſi enim dicat, *Singulis v. g. menſibus confitearis*, præſumitur ſic ſtatuere, non ad terminandam, ſed urgendam obligationem. Hinc, quamvis Lugo putet, eſſe mortale, ſi vel unicum diem differas ultra menſem; tamen melius negat Averſ., quia præſumitur mens Confeſſarii eſſe, ut tunc ſequenti menſe bis confitearis: unde, ſi occaſione Feſti, vel indulgentiæ differas ad octo dies in alterum menſem; Dian. Pal. & alii dicunt nullo modo peccare; quod magis valet, ſi ſimili occaſione anticipes, ut addit Averſ. Si vero dicat, *Jejunes omni Sabbato in honorem B. V.* vel *Communices omni Feſto B. V.* Con. Gob. Bon. & alii putant, quod, ſi tali die negligas, peccas quidem, ſed non teneris alia die ſupplere; quia mens Confeſſarii videtur fuiſſe, alligari opus tali diei.

Dico quarto: Si Confeſſarius nullum præfixit tempus Pœnitentiæ, perſolvenda eſt primo tempore, quo commode fieri poteſt: Doctores communiter. Ratio eſt, quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur: *Reg. Jur.* 14. ubi ly *Præſenti die* ſonat primo quoque tempore. Hinc diu eam differre v. g. ad medium annum communiter cenſetur mortale; maxime ſi pœnitentia fuerit medicinalis. Si vero fuerit tantum pœnalis, non videtur mortale differre ad menſem: Croix n. 1288. Cæterum, exequi pœnitentiam ante communionem, non eſt neceſſe, ut infertur ex Prop. 22. damnata ab Alexand. VIII. cit. in Tract. de Euchar. d. 4. q. 1. c. 4. §. 2.

Quæres primo, An poſſit ſatisfieri pœnitentiæ eodem tempore, quo ſatisfit alteri præcepto?

Reſpondeo affirmative, Si unum opus non impediat alterum: ut ſi pro pœnitentia recitare debeas Roſarium, ſatisfacis recitando intra Miſſam, ad quam tenearis die Feſto: Croix n. 1191. At, ſi pro pœnitentia debeas audire duas Miſſas eodem die, ordinarie præſumitur

præcipi à Confeſſario, ut eas audias ſucceſſivè: Croix n. 1281. contra Sanch. Ledeſ. & alios putantes, poſſe audiri ſimul.

Quæres ſecundo, An pœnitentia ſit perſolvenda cum aliqua intentione ſaltem virtuali integrandi Sacramentum, vel obediendi Confeſſario?

Reſpondeo probabilius affirmative, Quia, ut ea aliquid efficiat ex opere operato, debet eſſe pertinens ad Sacramentum: Vaſq. Dicaſtil. Palav. Mend. Averſ. & alii contra Sanchez. Lug. & alios. Neque obſtat, quod aliis præceptis ſatisfiat ſine tali intentione reflectente ad præceptum; nam illæ non ſunt actiones Sacramentales, uti eſt iſta.

Quæres tertio, An peccet, qui exequitur pœnitentiam exiſtens in mortali?

Reſpondeo probabilius negative; Primo, Quia Confeſſarii ipſi ſæpe imponunt pœnitentiam perſolvendam, antequam abſolvant à mortalibus: Secundo, Quia pœnitentes paſſim non faciunt ſibi ſcrupulum, quod eas expleverint in mortali, creduntque, id melius eſſe, quam diutius differre: ergo ex communi ſenſu non eſt peccatum: Sot. Tann. Lug. Dicaſt. & alii contra Suar. Pal. Layman. Bonac. Buſ. & alios putantes, peccare ſaltem venialiter, eo quod minus digne tractent Sacramentum: ſed hoc videtur falſum; nam etiam dolor, & confeſſio ſunt partes, & quidem eſſentiales Sacramenti, & tamen ſine ullo peccato ponuntur à pœnitente exiſtente in mortali.

Quæres quarto, An ſatisfactio poſita ab exiſtente in mortali habeat ſuum effectum?

Reſpondeo: Etſi nullum habeat effectum ex opere operantis, cum ex ſe ſit opus mortuum; tamen probabiliter habet effectum ex opere operato, ſaltem poſtquam removetur obex; quia ſic eſt actio Sacramentalis ex inſtitutione, & quaſi nomine Chriſti poſita; quo ſenſu Deus ſic eam reſpicit, non prout eſt hominis, ſed prout moraliter eſt Chriſti; ſicut etiam Miſſa ab impio Sacerdote dicta valet ad effectus ſuos ex opere operato: Cajet. Suarez, Henr. Con. Art. Lugo. Fagun. Layman. Dian. & alii contra Ledeſ. Val. Turr. Præp. Dicaſt. & alios ex D. Th., qui tamen expli-

explicari potest de opere operantis. Qui autem implet pœnitentiam in gratia, sed per actionem ex circumstantia venialiter peccaminosam, certe non privatur fructu ex opere operato, quia veniale non impedit effectum remissionis pœnæ debitæ aliis peccatis jam remissis: Croix n. 1257. Imo putat Lug. n. 33. neque id impediri, etsi interveniat mortale, dummodo pœnitentia quoad substantiam impleatur.

CAPUT III.

Quid de Commutatione Pœnitentiæ?

Dico primo: Non potest pœnitens propria auctoritate commutare sibi pœnitentiam in aliud opus, etiamsi melius: Doctores communiter contra Dicast. inclinantem in oppositum. Ratio est, Primo, Quia reus non potest mutare pœnam sibi impositam à Judice; uti nec subditus opus sibi injunctum à Superiore: Secundo, Quia id, in quod commutabit, non erit satisfactio integrans Sacramentum, neque adeo remittet pœnam ex opere operato, quia non veniet à potestate clavium. Neque obstat, quod vovens possit sibi commutare materiam voti in aliquid melius; nam obligatio voti orta erat ab ipso vovente. Hinc, si pœnitentia sit medicinalis, pœnitens non liberabitur ab ejus onere, si lucretur indulgentiam plenariam, quia hæc non ita præservat à lapsu: Doctores communiter cum D. Thom. in 4. d. 29. At, si pœnitentia erat tantum pœnalis, liberari tunc dicunt Tann. Granad. Lug. Medin. Bonac. Dian. p. 5. t. 11. r. 3. & p. 9. t. 6. r. 36. non quidem ex propria auctoritate, sed quia Confessarius ipse ita præsumitur intendere: sed probabilius negant Val. Marchant. Averst. Gob. Croix & alii; tum quia pœnitentia ordinarie est etiam medicinalis; tum quia incertum est, an quis indulgentiam plenariam lucretur; tum demum quia pœnitentia ut à Confessario imposita, pertinet ad integritatem Sacramenti, unde non præsumitur alia mens Confessarii.

Dico secundo: Potest idem Confessarius in alia confessione quocunque tempore facta commutare priorem pœnitentiam, si recordetur status pœnitentis, vel saltem in confuso, peccatorum, ob quæ fuit à se imposita: Doctores communiter. Ratio est, quia potest Judex mutare, & moderari pœnam à se latam, quamdiu

executioni non est data. Extra confessionem negant id fieri posse Suar. Con. Averss. Amic. Dicast. & alii, quia Confessarius nullam habet potestatem clavium, nisi dum sedet pro Tribunali, & agit partes Confessarii. Sed probabiliter etiam affirmant Lugo, Salas, & alii, quia sicut Judex etiam transacto judicio habet jus agendi circa impletionem pœnæ, ita etiam confessarius circa commutationem, si reus petierit; censetur enim moraliter perdurare idem judicium, quamdiu pœna imposita non est impleta; consentiunt Arriag. & Haunold.

Dico tertio: Pœnitentia ab uno Confessario imposita, non potest mutari, aut minui ab alio Confessario, nisi pœnitens apud hunc repetat peccata, ob quæ fuit imposita: Doctores communiter cum Sot. Vasq. & aliis. Ratio est, quia unus Judex, qui non est Superior, non potest ultimam, & definitivam alterius sententiam mutare, aut reformare; cum par in parem non habeat jurisdictionem; & in hoc fere omnes Confessarii sunt pares. Econtra vero, si pœnitens apud secundum Confessarium peccata repetat, poterit ille commutare, & minuere, quia sic secundus Confessarius est veluti successor primi; ideoque, ut potest prior, ita & posterior: idque verum est, etsi prior pœnitentia fuerit medicinalis, dummodo non sit absolute, & simpliciter necessaria, vel substituatur alia similiter medicinalis.

Potest pariter secundus Confessarius commutare pœnitentiam impositam à Confessario Superiore; quia, præscindendo à reservatione casuum, omnes Confessarii habent æqualem potestatem ad ligandum, & solvendum, adeoque etiam ad commutandam pœnitentiam. Si autem hæc fuisset imposita à Superiore propter peccata sibi reservata, Suarez, Lugo, Arriag. & alii negant, commutari posse ab inferiore non habente facultatem in reservata, quia inferior non potest mutare præceptum Superioris. Sed probabiliter etiam affirmant Henr. Sanchez, Bonac., Dicastil., alii, quia, cum semel sublata sit reservatio, æqualis remanet in omnibus Confessariis potestas.

Si pœnitens petat à secundo Confessario commutationem pœnitentiæ, eo quod sit sibi nimis difficilis, Navar. Tol. Henr. Rodr. Sa, Layman. Gob. Dian. Marchant. & alii multi apud Bosc. docent, posse commutari, etiamsi non repetantur peccata; quia, licet sic secun-

dus

dus Confessarius judicare non possit de illis, tamen videtur habere potestatem judicandi, an talis pœnitentia hic & nunc ei expediat. Sed longe melius Suar. Vasq. Con. & alii communius hoc negant; quia nullus Judex potest agere, circa id, quod ad suum Tribunal non est delatum, ut esset in casu: ideoque Jo. Sanch. dicit, priorem sententiam esse improbabilem; quamvis Lug. num. 109. dicat probabilem saltem ex principiis extrinsecis. Cæterum, ut possit secundus Confessarius mutare pœnitentiam, non requiritur exacta repetitio peccatorum, sed sufficit ei aperire præcipua, ob quæ præsertim talis pœnitentia erat injuncta. Et fortasse sufficiat, inquit Aversa, quod ob similia, qualia nunc confitetur, talem pœnitentiam acceperit.

Illud hic principaliter notandum, in commutatione, vel minoratione pœnitentiæ, nullum Confessarium id posse sine justa, & rationabili causa; quia, sicut in dispensatione legum humanarum requiritur justa causa, ita multo magis in commutatione, vel minoratione pœnitentiæ, quæ est pars Sacramenti à Christo instituti. Justæ autem causæ esse possunt necessitas, vel notabilis utilitas pœnitentis, vel ejus difficultas, vel oblivio pœnitentiæ.

Quæres, An post commutationem pœnitentiæ in aliam liberum sit pœnitenti alterutram persolvere?

Respondeo affirmative; Quia commutatio erat in favorem ipsius, & posterior pœnitentia non erat imposita absolute, sed sub conditione, *Si nolit priorem exequi*: Suar. Reginal. Bonac. Les. Dicastil. num. 231. contra Lug. At, si pœnitens, confitendo de novo peccata præterita, taceat priorem confessionem, & impositionem pœnitentiæ, Aversa. Arriag. & alii dicunt, non commutari priorem pœnitentiam, ideoque exequendam esse utramque; quia, quamdiu non revocatur prior obligatio, manet in possessione; sed adhuc alii multi cum Dicastil. num. 119. probabiliter dicunt, posse etiam nunc peragi alterutram pœnitentiam, quam malueris: & Bosc. num. 357. probabiliter ait, secundam esse complementum utriusque Sacramenti. Qui autem sic confiteatur eadem peccata secundo Confessario, ut se liberet à pœnitentia injuncta à primo, Suar. Con. Lug. Aversa. & & alii dicunt, non peccare, nisi venialiter; &, si id faciat ex justa causa, nullo modo peccare.

CAPUT

CAPUT IV.

De Satisfactione per Indulgentias.

QUONIAM nunc alibi de Indulgentiis recurret sermo; idcirco, quæ ad hanc materiam pertinent, duobus hic §§. breviter expendemus, in quorum I. Videbimus, Quid, & Quotuplex sit Iudulgentia, Quis, & Qua causa possit eas concedere? In II. Qui sit Indulgentiarum effectus, & Quæ dispositio requiratur in eas lucraturo?

§. I.

Quid, & Quotuplex sit Indulgentia, Quis, & Qua causa possit eas concedere?

I. INDULGENTIA definitur à Clem. VI. in Extrav. *Unigenitus, de Pœnitentiis, & Remissionibus: Remissio extra Sacramentum pœnæ temporalis Deo debitæ per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum*, idque vel per modum absolutionis erga subditos Ecclesiæ, vel nudæ solutionis erga non subditos, ut defunctos, & catechumenos, quibus proinde tantum dantur indulgentiæ per modum suffragii: Suar. Fil. Sanctarell. Bon. Ubi nota, indulgentiis frui posse etiam, qui eas concessit; &, cum sint gratiæ, non expirare morte concedentis; imo, ex Sa, neque ante notitiam revocationis: largeque esse interpretandas, servata tamen verborum proprietate.

II. Dividitur primo, Ex Extrav. cit. in Totalem, & Partialem: Totalis seu Plenaria remittit totam pœnam in purgatorio luendam: Partialis vero solum pœnæ partem. Totalis dicitur etiam plena, plenior, plenissima ob majorem explicationem gratiæ, & dispensationis à Pontificibus concessæ. Partialis eam tantum pœnam remittit, quæ in ejus concessione exprimitur, quæ aliquando est indeterminata, & proportionaliter ad culpas: ut dum remittitur tertia pars pœnæ pro peccatis debitæ; aliquando est determinata, ut dum conceditur indulgentia septem annorum, &c, & sensus est, remitti pœnam, quæ remitteretur per pœnitentiam 7. annorum ab Ecclesia, ut olim fiebat, impositam, & à Pœnitente completam: Sot. Palud. & alii communiter ap. Suar. d. 50. sect.

sect. 5. Dividitur secundo in personalem, localem, & realem. Personalis est, quæ personæ conceditur, ut si Papa concedat Petro indulgentiam, quoties communicat, ubicunque sit: Localis est, quæ addicitur loco, ut si concedatur indulgentia visitanti Ecclesiam Cathedralem: Realis est, quæ affigitur alicui rei e. g. Cruci, Rosario, Imagini. &c. quæ ab iis acquiritur, qui coram tali Imagine, Cruce, &c. preces impositas ad Deum fundunt. Dividitur tertio in perpetuam, & temporalem: Perpetua est, quæ perseverat, donec revocetur: Temporalis, quæ conceditur ad tempus determinatum, quo finito cessat. Demum Indulgentia carena (sic dicta à *carendo* cibo, potu, hominumque commercio) erat, qua talis abstinentia, seu jejunium remittebatur, non secus ac septena, qua pœna remittebatur septem annorum.

Quæres, An, si pluries Ecclesia visitetur, poterit pluries acquiri indulgentia plenaria tali Ecclesiæ concessa?

Respondeo cum distinctione, ex Suar. & aliis communiter; & affirmo, si concessa sit indulgentia visitantibus Ecclesiam indefinite, quia nulla apparet ratio illam limitandi ad semel in vita, in anno, in hebdomada, &c. (Bene tamen semel in die, tum ex consuet. tum ex Decr. Innoc. XI. quidquid contra senserint Nav. & Laym. hic c. 3.) Nego tamen, si concessa sit definite quoad tempus, puta pro una tantum vice: Suar. Probabile tamen videtur, quod adhuc pluries eodem die lucrari possimus indulgentiam plenariam pro variis defunctis. Neque id videtur derogare cit. Decr. quia stat ejus veritas, si pro se quis non poterit pluries eadem die indulgentias applicare. Eo vel magis, quod in revocatione Indulgentiarum non intelliguntur revocatæ indulgentiæ applicabiles pro defunctis, nisi id exprimatur, cum talis revocatio sit odiosa, proindeque restringenda. Illud hic nota, indulgentias non posse applicari defunctis, nisi à Papa id expresse concedatur.

III. Pontifex habet à Christo facultatem immediate concedendi indulgentias tam pro vivis, quam pro defunctis; ei enim dixit Christus: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, &c.* Doctores communiter. Episcopus non jure divino, sed ex concessione Papæ potest Indulgentias concedere: ita Suar. ex D. Th. & alii communiter. Ratio est, quia in Conc. Later. sub Inn. III. potestas concedendi indulgentias est ita restricta Episcopis, ut non-

nisi

nisi unius anni indulgentia in die Dedicationis Ecclesiæ, & ob aliam justam causam 40. tantum dierum ab iis concedi possit, quæ restrictio certe non facta fuisset à Concilio, si potestatem haberent ex jure divino: probabilius tamen in Episcopis hujusmodi potestas est ordinaria, adeoque delegabilis, ex Lug. & aliis contra Nugnum, quia illis competit ratione proprii muneris, non secus ac potestas jurisdictionis in ordine ad absolvendum à peccatis. Porro relate ad mortuos nulla indulgentia concedi potest ab Episcopis: ita Suar. cum communi; quia Episcopis solum conceditur, ut possint eas suis subditis elargiri ex c. *Quod autem:* Mortui autem non sunt ipsis subditi. Cardinales etiam non Episcopi possunt de jure communi Indulgentias concedere in Ecclesiis suorum titulorum, quia in his habent omnem Episcopalem jurisdictionem ex cap. *Is, qui, de Majoratu, &c.* Non autem Abbates, Parochi, aut alii, qui Episcopi non sunt; unde hi solum ex concessione speciali poterunt illas elargiri, ut infert Bell. ex cap. *Accedentibus, de excessibus Prælatorum.*

IV. Indulgentia sine legitima causa est nulla: Doctores communiter: ratio est, quia per illas dispensatur thesaurus Ecclesiæ, cujus Papa non est Dominus, sed merus dispensator, qui, si sine justa causa res Domini sui dispensat, dispensat nulliter. Adde, quod Dispensator sine causa neque remittere potest credita sui Domini: Papa autem eas largiendo credita remittit Christi Domini; ergo, &c. Justa autem, & rationabilis causa est, quæ pia, & grata sit Deo; & pariter proportionem aliquam habeat cum indulgentia, quæ conceditur: Bon. Nav. aliique communiter apud Bell. l. 1. c. 12. Duo ergo requiruntur, primum, ut concedatur ad pium aliquem finem, puta ad deprimendos hostes Ecclesiæ, &c. alterum, ut opus injunctum ad indulgentiam dicat proportionem cum fine intento, seu aptum sit ad eum consequendum, e. g. preces ad Deum factæ dicuntur opera apta ad assequendam depressionem hostium. Notat Bell. l. c. hæc duo examinanda utique esse à solo concedente indulgentias, non vero à subditis: unde indulgentiæ semper magni faciendæ sunt, etsi Pontifex levissimas ob causas videatur illas concedere. Illud hic certum, quod ad habendam prædictam proportionem non requiritur, ut opus injunctum per se sufficiat pro remissione pœnarum, quæ per indulgentiarum lucrum remittuntur; secus

secus indulgentia non esset indulgentia, quæ ex ipsa nominis etymologia fert remissionem cum liberalitate conjunctam.

Dubium est, An possit aliquando Papa concedere indulgentiam, nullum opus injungendo ad ejus assecutionem? e. g. an possit Petro decedenti in gratia indulgentiam in articulo mortis concedere?

Respondeo affirmative, Ex Suar. & Con. d. 12. d. 6. quia etiam in tali casu haberi potest justa causa, puta ob Petri merita erga Ecclesiam, & alia opera jam præstita, &c. & proportio habetur etiam propter opus proportionatum, sive quod antecessit, ut in casu, sive quod consequatur, cum æque dispensatio sit justa, sive fiat ob bona opera injuncta, sive ob jam posita. Illud hic non omittendum, ex defectu proportionis prædictæ accidere sæpissime, ut licet æquale opus injunctum ponatur ab uno, atque ab altero ob finem lucrandi indulgentias omnibus concessas, non tamen uterque illas plenarie consequatur. Ratio est, quia, qui maximas pro peccatis pœnas debent, si tepide opus injunctum peragant, periculum est, ne ab indulgentia plenaria consequenda deficiant, ex Extrav. 1. Bon. VIII. *de Pœnit. &c.* & ex D. Bonav. dicente, *Homines plus, vel minus participare de indulgentia, prout plus, vel minus ad illius causam accedunt.*

§. II.

Qui sint Indulgentiarum effectus, & Quæ dispositio requiratur in eas lucraturo?

I. RESPONDEO ad primum, Esse remissionem, vel totalem, vel partialem pœnæ temporalis (non culpæ) luendæ tum in Purgatorio, tum in hac vita, sive ea injuncta sit in confessione Sacramentali, sive non. Ratio est, quia secus Pontifex non posset solvere omne vinculum impediens ingressum in Regnum Cœlorum, contra illud Christi Domini, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum . . . . Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Hinc potest quis per indulgentias liberari in omnibus pœnis pro peccato debitis, etiam quando in Bulla indulgentiæ expresse conceduntur *De pœnis injunctis*, quia in cap. *Ex parte* 17. *de decimis* dicitur, *Ubi majus conceditur. etiam minus concessum esse videtur,* quod

quod valet in iis, quæ sunt ejusdem rationis, & per se pertinent ad idem privilegium & potestatem: & clausula illa *De injunctis pœnis* ponitur, non ad limitandam, sed ad augendam concessionem. Porro, An assecutus indulgentiam plenariam teneatur ad pœnitentias Sacramentales, si minus pure satisfactorias, saltem medicinales? v. dicta c. 1. & 3. hujus quæst.

Quæres, Quid requiratur, ut indulgentiæ defunctis applicabiles illis prosint?

Respondeo, Requiri, ut opus injunctum ea intentione fiat, ut indulgentiæ defunctis acquirantur: nec opus esse, ut opus injunctum sit de se satisfactorium, cum id sit solum conditio, qua posita Pontifex applicat indulgentias huic, vel illi: Con. d. 7.

Quæres iterum, An indulgentiæ pro defunctis concessæ prosint infallibiliter illis, quibus applicantur?

Affirmant Sot. Nav. Val. Suar. Con. aliique apud Laym. cap. 7. Negant Bonav. Ricc. Caj. & alii, ex quibus probabilis redditur doctrina Henr. & Rodr. quod Deus longe facilius acceptet suffragia oblata pro iis defunctis, qui in hac vita magis studuerunt satisfacere pro suis peccatis, lucrari indulgentias, & pro defunctis orare.

II. Respondeo ad Secundum, Requiri primo, Ut sit baptizatus: Secundo, Ut sit subditus indulgentiam Concedentis; quamvis ex Laym. & Pal. concedi possit ab Episcopo v. g. Neapolitano suis subditis facultas, ut indulgentias ab alio Episcopo, v. g. Nolano concessas, lucrentur: Tertio, Ut non sit excommunicatus excommunicatione majori: Quarto, Ut saltem, quando ponitur ultimum opus injunctum, sit in gratia. Dixi, *Saltem, &c.* quia Cajet. Sot. & alii apud Bellar. l. 1. c. 12. putant, necesse esse, ut omnia opera injuncta fiant in gratia, quia opera peccatoris, utpote mortua, sunt inutilia ad placandum Deum, ejusque beneficia impetranda. Verum, quamvis hæc sententia tutior sit, probabiliorem tamen putant Suar. & Con. sententiam oppositam, ex usu Ecclesiæ; nam in Jubilæis jejunia præscripta, visitationes Ecclesiæ, &c. plerumque præmittuntur confessioni, & tamen probabile est, quamplurimos non justificari ante confessionem. Quamvis autem opus peccatoris mortuum sit, non tamen in casu nostro est inutile ad finem; valet enim ad excitandam populi devotionem, ad diligentiorem præparationem ad Confessionis, & Communionis Sacramenta, & ad placandam Dei

Dei justitiam; hic enim, licet peccatores obstinatos non audiat, audit tamen volentes converti; aliter frustra clamarent, *Converte nos, Deus salutaris noster.* Hinc, si conceditur in Bulla, ut possit quis pro alio vivente indulgentiam acquirere (quod fieri posse, certum videtur Con.) licet is, cui indulgentia applicatur, debeat esse in gratia, quia non remittitur pœna inimicis ex D. Th. & Theologis communiter, non tamen is, qui ponit opus præscriptum, ut alius indulgentiam assequatur: secus vero, si sibi eam lucretur: Quinto, Ut nullum opus injunctum prætermittatur, etsi inculpabiliter; quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant: Doctores communiter ex D. Th. ap. Bell. l. 1. cap. 13. unde, si quis ponat mediam partem operum præscriptorum, non proinde mediam partem indulgentiarum lucrabitur, nisi hoc ipsum in concessione exprimatur. Quod si in Bulla concedatur, ut possit à Confessario opus injunctum commutari ex justa causa, tunc certe poterit quis indulgentiam lucrari, ponendo opus à Confessario subrogatum: Sexto, Ut habeatur intentio lucrandi indulgentiam, vel actualis, vel virtualis, ex Cordub. Leon. Vega; quamvis Sanctarell. *de Jubill.* cap. 15. dub. 4. & Laym. putent, sufficere habitualem, & interpretativam: imo Lug, Portell. Mol. probabilius docent, indulgentias prodesse posse etiam amentibus, si à Papa iis conferantur, ut possunt, nullo opere iis injuncto, cum satis sit ad indulgentias lucrandas passive se habere, modo is non sit invitus; beneficia enim isthæc invitis conferri non debent.

Hinc infers, Primo, Adhuc lucrari indulgentiam, qui ponit opera injuncta principalius ob alium finem, e. g. ob curiositatem; quia Papa non jubet, poni opus principalius ob indulgentiam lucrandam, sed tantum præcipit, ut opus ponatur: Suar. Gran. Boss. Pasq. Secundo, Videri probabile, quod lucretur indulgentiam, qui e. g. visitat Ecclesiam, præcise ob curiositatem, nil cogitans de indulgentia, dummodo ibi oret; quia ponit conditionem à Papa requisitam: Tertio, Probabile esse, confessionem non requiri in Bullis Indulgentiarum, tanquam opus injunctum, sed tanquam conditionem requisitam ad tollendum obicem, si est, peccati: in quo casu nec requiritur contritio, sed sufficit attritio cum Sacramento, etsi in Bullis concedantur indulgentiæ pœnitentibus *Vere contritis, & confessis*, quæ

omnia nec requiruntur in eo, qui non est in peccato mortali: Quarto, Veniale peccatum impedire tantum ne remittatur pœna ipsi nondum remisso debita, non vero debita aliis venialibus, & mortalibus jam remissis; quia culpa remanente non remittitur pœna: at veniale non impedit, ne remittatur aliud veniale, aut mortale; unde à fortiori non impedit, ne remittatur pœna illis debita: &, dum conceditur indulgentia plenaria, sensus est, quod concedatur plenissime juxta capacitatem subjecti: Demum, Indulgentiam probabiliter reviviscere, recedente fictione, seu peccati obice, ex Henr. Quintan. Palud. Gran. Dian. & aliis apud Pasqu. q. 30. quia effectus indulgentiæ est infallibilis ex opere operato: communius tamen docent oppositum Suar. Sa, Fill. Sot. Pal. quia effectus indulgentiæ pendet à voluntate Papæ concedentis tantum pro tempore, quo sunt primo posita opera à se præscripta, & dummodo tunc ponantur in statu gratiæ, licet possit Papa aliter indulgentias concedere. De Bulla Jubilæi, vide dicenda infra q. 3. c. 3. §. 3. quæsito 5. De Jubilæo autem Anni Sancti, vide uberrime dicta tom. 1. in calce Tr. 1. *in Appendice.*

DISPUTATIO II.

De iis, quæ pertinent ad Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ.

ARS artium est regimen animarum, præsertim in confessionibus audiendis, ut ex D. Gregor. inquit Gerson. ideoque Ludovicus de Ponte ait, *Audire, & absolvere Pœnitentes esse actum plane heroicum, vixque posse porrigi eleemosynam, quæ isti valori. & pretio æquivaleat.* Quinque autem ad tale Ministerium pertinent hic explananda: I. Potestas: II. Officium: III. Casuum reservatio: IV. Absolutio: V. Sigillum. Sit itaque.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Potestate Confessarii.

Ad expeditam potestatem Confessarii tria requiruntur, potestas Ordinis, potestas Jurisdictionis, & approbatio. Si unum horum desit, Sacramentum Pœnitentiæ ministratur invalide.

CAPUT I.

Quid de Potestate Ordinis?

Dico primo: Solus Sacerdos complete ordinatus potest esse Minister hujus Sacramenti, ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. Ratio est, quia solis Sacerdotibus in personis Apostolorum dictum est illud Joannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Per quæ verba traditur potestas clavium, seu tollendi impedimentum intrandi in Regnum Cœlorum. Dixi, *Complete Ordinatus;* nam, si quis esset ordinatus Sacerdos per traditionem Calicis, & non per impositionem manuum, quibus accipitur Spiritus Sanctus, esset incomplete Sacerdos, & tantum haberet potestatem in verum Christi Corpus ad consecrandum, non vero in Corpus Christi mysticum ad absolvendum: Doctores communiter contra Val. & alios ap. Dian. p. 3. t. 4. r. 187. ex quorum sententia, cum sit etiam probabilis, si Episcopus post traditionem calicis deficeret, deberet ab alio Episcopo ordinari per impositionem manuum. Si autem quis esset ordinatus per impositionem manuum, & non per traditionem calicis, nec posset valide consecrare, nec absolvere; quia secunda potestas essentialiter supponit primam, ideoque neque incomplete esset Sacerdos: Arriag, cum communi.

Infers, Neminem non Sacerdotem posse valide absolvere Sacramentaliter, ne per errorem quidem communem, aut titulum coloratum; etsi aliquando ex delegatione absolvere posset à censuris: & ratio est, quia hoc est ex institutione Ecclesiæ, illud ex institutione Christi; ideoque in hoc, non in illo, supplere potest Ecclesia. Imo, si quis non Sacerdos absolvat sacramentaliter, vel incipiat audire confessionem sacramentalem,

est denunciandus, utpote suspectus in Fide; si delictum sit notorium, evadit Irregularis, & infamis.

Dubitatum est olim, an, si quis in extrema necessitate confiteatur Laico, Deus tunc suppleat effectum gratiæ, quæ conferretur ab hoc Sacramento? Nam videtur id affirmari cap. *Quem pœnitet* 88. *de pœnitentia* dist. 1. & à D. Th. & à Magistr. sentent. in 4. Sed id merito negant omnes apud Raynaudum; etsi aliquando esset utile sic confiteri extra Sacramentum Laico, ut ille deinde referat peccata Sacerdoti superventuro; vel ut juvet ad contritionem de illis, vel ut dirigat circa restitutionem, &c. vel ut ea humiliatione impetres à Deo veniam: Atque hoc sensu intelligi debent textus citati.

Denique, quamvis communior sententia neget, posse Laicum in extrema necessitate absolvere à censuris; tamen oppositum probabiliter tenent graves Doctores ap. Dian. p. 3. tr. 40. resol. 133. eo quod putant, piam Matrem Ecclesiam, quæ certe id Laico delegare potest, nolle pro eo articulo pœnitentem moribundum privari beneficio Ecclesiasticæ sepulturæ, & communium suffragiorum; unde infert Sanch. Laicum teneri pro tali casu absolvere à censuris; & Quintanad. infert, etiam posse Laicum in defectu Clerici, adeoque debere, applicare Indulgentias ei concessas in articulo mortis, si talis applicatio fieri debeat per alium.

Dico secundo: Quilibet Sacerdos, etiamsi sit Suspensus, Irregularis, Excommunicatus vitandus, Degradatus etiam realiter, Hæreticus, Apostata, &c. potest quoscunque Fideles à quibuscunque peccatis, & censuris valide, & licite absolvere in articulo mortis: Doctores communiter ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. Ratio est, quia potestas absolvendi data est à Christo, ad salvandas animas; ergo restringi non debet, ubi extreme periclitatur anima. Hinc Durand. Armil. Vasq. & alii putant, simplicem Sacerdotem habere pro tali articulo facultatem expeditam à Jure divino per præcisam potestatem Ordinis; sed melius D. Th. & alii communiter docent, præter potestatem Ordinis, habere tunc à jure Ecclesiastico tacitam approbationem, & jurisdictionem à Papa; ut colligitur ex Trident. cit. ubi dicitur, *Ne aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibuscunque peccatis, & censuris absolvere possunt.*

Infers

Infers primo, Moribundum per simplicem Sacerdotem à quibuscunque peccatis reservatis absolutum, si convaleſcat, non teneri se sistere Superiori, quia ex Trident. cit. nulla tunc fuit reservatio; ideoque absolutus est directe ab illis, & sine ullo onere: Bonac. & alii communiter. Hinc, si ea peccata tunc dicere non potuit, satis est, si postea aperiat cuivis Confessario, quia simplex ille Sacerdos ex potestate, quam habebat, absolvit, quantum potuit: Navar. Reg. & alii.

Infers secundo, Idem dicendum esse de censuris, quæ retardarent moribundum à consecutione Gloriæ, qualis esset excommunicatio, & interdictum personale, non autem si esset suspensio, interdictum locale, aut irregularitas, quia pro his non militat ratio Tridentini *Ne aliquis pereat, &c.* Sanch. Bonac. aliique. At, si excommunicatio erat reservata, fuit quidem directe absolutus ab illa, sed cum onere se præsentandi, quamprimum commode poterit, Superiori, non ut iterum absolvatur, sed ad præstandam obedientiam, ex cap. *Eos, qui, &c. de sententia excommunicationis in* 6. Addunt tamen probabiliter Januar. Marc. & alii apud Dian. p. 10. tr. 14. r. 63. solum haberi hoc onus, si excommunicatio erit denunciata; tum quia simplex ille Sacerdos absolvit tunc ex potestate delegata; tum quia Tridentinum dicens, quod tunc nulla sit reservatio, correxit jus antiquum.

Dubium est primo, An in tali articulo valide absolveret Sacerdos simplex, si præsens etiam adesset Parochus, vel alius Confessarius approbatus? Affirmant Ledesma, Rodriq. Hurt. Barb. Sayr. Reg. Tamb. & alii, quos refert, & sequitur Illsung, quia Trident. dicit universaliter, *Omnes Sacerdotes;* &, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; maxime cum beneficium Principis sit ampliandum. Negant Suar. Valq. Sanch. Con. Laym. Bonac. & alii communiter, tum quia ratio Tridentini est extrema necessitas, *Ne aliquis pereat*; quæ ratio cessat, si adest alius habens facultatem; tum etiam quia idem Tridentinum confirmat, *Quod in Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, & ex cap. *Jubet, &c.* 26. q. 6. custoditum fuit, ut simplex Sacerdos absolvat, *Si absit Prælatus Ordinarius:* ergo, si hic adsit, non potest ille absolvere. Hæc secunda sententia, cum sit tutior, est in praxi tenenda, quia in articulo mortis sequi debemus tutiora. Limita tamen primo

cum Sanch. si Parochus superveniat confessioni jam cœptæ apud simplicem Sacerdotem, quia hic cœpit jam judicium, quod debet complere. Limita secundo cum Bonac. Si Parochus sit excommunicatus, vel habeat aliud impedimentum canonicum, quia sic decentius est confiteri alteri. Limita tertio cum Croix ex D. Th. Si moribundus horreat manifestare sua peccata Parocho, quia secus haberetur periculum confessionis non integræ. Limita demum cum Lessio, si moribundus, præsente privilegiato, eligat suum Parochum, quamvis non habentem potestatem in reservata, quia mens Tridentini, & Canonum est, ut Parochus habeat tunc omnem potestatem.

Dubium est secundo: An, quæ dicta sunt de articulo mortis, procedant etiam in periculo mortis? Negant Sotus, Can. Cov. Valen. & alii, quia extrema necessitas habetur tantum in articulo mortis, quando scilicet hæc certa est moraliter, & proxime instat; non vero in ejus periculo, quando scilicet probabiliter sub dubio timetur. Sed probabilius affirmant Sylv. Med. Suar. Sanch. Laym. Avers. aliique communiter, quia in jure canonico quoad rem præsentem pro eodem sumitur articulus, & periculum mortis, ut constat ex cap. *Si quis suadente, &c.* & cap. *Eos, qui, &c. de sententia excommunicationis in 6.* & ex ratione Tridentini *Ne aliquis pereat*, quæ militat etiam in periculo mortis, in quo scilicet est prudens dubium, quod morte quis præveniatur, antequam Sacerdotem approbatum habeat, ut notat Tamb. &c. Hinc, si nullus haberi possit Confessarius, potest simplex Sacerdos æque absolvere eum, qui suscipere debet navigationem periculosam, iter prædonibus expositum, pugnam, &c. In tali periculo sunt etiam Banniti, item, qui inter pestiferos agere debent: item Prægnans primo partui proxima, vel si sin simili experta sit periculum vitæ; item, qui timet insaniam proximam, vel insidias hostium, vel incidit in febrem malignam, & similia, in quibus sub timore probabili expectatur mors, antequam habeatur copia Confessarii. Cæterum, sicuti in articulo, ita in periculo mortis absolutio à censuris reservatis per simplicem Sacerdotem datur cum triplici onere Pœnitentis, scilicet comparendi coram Superiore sub pœna reincidentiæ, standi mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi parti læsæ, de quibus talis Sacerdos, si potest, debet eum monere: imo, si sit censura Bullæ Cœnæ, tenetur ab eo exigere juramentum, ut colligitur

ex

ex verbis Bullæ: in aliis vero censuris Filliuc. Bosc. Bord. Pelliz, aliique contra alios probabiliter putant, sufficere solam promissionem, quia jura exigentia juramentum videntur loqui de absolutione in foro externo: v. Tambur. *de Pœnitentia* cap. 12. §. 4.

Dico tertio: Extra articulum, vel periculum mortis non potest simplex Sacerdos licite absolvere à venialibus: probabile tamen est, quod valide absolveret. Ratio primæ partis est, quia Innocentius XI. decreto de communione quotidiana An. 1679. sic præcipit Episcopis, & Ordinariis: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario:* ergo talis absolutio nunc est saltem illicita; quidquid antea dixerint Doctores. Ratio secundæ partis est, quia ex hoc, quod Pontifex tantum velit prohiberi, non sequitur irritari talem absolutionem, vel tolli jurisdictionem in venialia concessam cuivis Sacerdoti ex immemorabili consuetudine Ecclesiæ: Carden. & alii contra Platellum; Idemque est de mortalibus alias rite confessis, quia hæc sunt etiam materia libera novæ confessionis. Imo, si quis simplici Sacerdoti bona fide confiteatur prima vice mortalia simul cum venialibus, probabile etiam est valide absolvi à venialibus quidem directe, indirecte à mortalibus, quæ proinde, si resciat, subjicere debet clavibus apud alium approbatum: Lugo d. 19. & alii contra alios. Denique, si veniale habeat adnexam excommunicationem minorem, Nav. Fil. Tamb. & alii &c. adhuc putant, valide absolvi à simplici Sacerdote; sed in hoc melius contradicunt alii communiter quia cap. *Nuper, de sententia Excommunicationis* tantum dicitur, excommunicationem minorem absolvi posse *ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote;* & hoc nomine in jure venit Parochus, vel Confessarius approbatus ab Ordinario.

CAPUT II.

Quid de Potestate Jurisdictionis?

Cum absolutio Sacramentalis sit actus judicialis, & hic exerceri valide non possit sine jurisdictione in subditos, sequitur, ut Sacerdos, præter potestatem Ordinis, quam habet à Christo Domino adnexam characteri, habere etiam debeat ab Ecclesia potestatem jurisdictionis,

nis, per quam fideles fiant ejus ſubditi, & valide abſolvantur. Hinc, quamvis Sacerdoti conſecranti non poſſit Eccleſia reddere irritam conſecrationem, cum hæc ſit actus tantum Ordinis; tamen Sacerdoti ſacramentaliter abſolventi poteſt reddere irritam abſolutionem, cum hæc ſit actus ſimul Ordinis, & jurisdictionis. Dividitur hæc jurisdictio in ordinariam, delegatam, & eam, quæ habetur ex errore communi cum titulo colorato; & de ſingulis hic agendum.

§. I.

Quid de Jurisdictione ordinaria?

HANC habent ii Sacerdotes, qui ex vi proprii Officii habent curam animarum, ut Papa pro tota Eccleſia, Cardinalis pro ſua, Legatus pro ſua Provincia, Epiſcopus pro ſua Diœceſi, & ſimiliter Vicarius ejus Generalis, & Vicarius Capitularis Sede vacante: item Archiepiſcopus pro Diœceſi etiam ſuffraganei, quando actu eam viſitat, vel ſi ſuffraganeus injuſte abſolutionem negaverit, ut addit Barboſa: item Parochus pro ſua Parochia; & ſimiliter Abbas, Archipresbyter, & Archidiaconus pro ſuis Collegiatis, & Superiores Regulares pro ſuis Religioſis. Hi omnes jure ordinario abſolvunt ſuos ſubditos: ſubditi autem Epiſcopo, vel Parocho jure ordinario ſunt, qui intra ejus Diœceſim, vel Parochiam habent domicilium, quod ſcilicet acquiritur à primo die, quo ibi corporaliter habitant cum animo ibidem perpetuo manendi, etiamſi deinde animum mutent, dummodo corporaliter etiam non diſceſſerint. Qui vero habent ibi quaſi domicilium (hoc eſt alibi habent domicilium, ſed habitant ibi majori, vel ſaltem æquali parte anni, ut ſunt ſtudentes, mercatores, litigantes in Curia, famuli, &c.) cenſentur utrobique ſubditi. Vagi vero, qui ſcilicet nullibi habent domicilium, aut quaſi domicilium, cenſetur ſubditi ejus Parochi, in cujus Parochia hic & nunc reperiuntur: Doctores communiter, &c.

Quæres primo, An, qui habet jurisdictionem ordinariam abſolvendi ſuos ſubditos, poſſit eam delegare alteri?

Reſpondeo, Per ſe loquendo, affirmative; quia actus proprius jurisdictionis ordinariæ etiam eſt ipſiusmet delegatio: Doctores communiter: idque verum eſt, etiamſi eam

eam habens non sit Sacerdos, qualis esse potest v. g. Vicarius Generalis Episcopi: licet enim nequeat ipse uti sua jurisdictione absolvendo sacramentaliter, cum non habeat potestatem ordinis, potest tamen illam delegare alteri Sacerdoti, constituendo eum Confessarium. Imo Episcopus v. g. existens extra suam Diœcesim etiam potest eam delegare alteri, constituendo eum Confessarium pro sua Diœcesi; ut dicemus etiam de approbatione cap. 3. Dixi *Per se loquendo*; nam Parochus (& idem est de Abbate, Archipresbytero, & Archidiacono) quamvis habeat jurisdictionem ordinariam absolvendi, tamen non potest eam delegare simplici Sacerdoti ad absolvendos suos subditos; quia ex jure novo Trident. requiritur approbatio Episcopi, vel ejus Vicarii juxta dicenda cap. 3. Potest tamen, Episcopo saltem non contradicente, eam delegare alteri Parocho ejusdem Diœcesis ad absolvendos suos subditos in sua Parochia: Suarez, & alii communiter: imo probabiliter etiam Parocho alterius Diœcesis: ut iidem addunt apud Tambur. c. 5. *de Pœnitentia* §. 3. n. 5. Quamvis quoad hoc probabilius ex dictis videatur oppositum. Econtra vero Superiores Regulares delegare possunt suam jurisdictionem cuivis Sacerdoti etiam alterius Ordinis, etiam Seculari ad audiendas confessiones suorum Religiosorum; etiamsi ille non sit approbatus ab Episcopo; quia Tridentinum requirit hujus approbationem tantum ad audiendas confessiones Secularium.

Quæres secundo, Quando cessat jurisdictio ordinaria?

Respondeo cessare, Primo Amissione officii, cui erat adnexa; destructo enim principali corruit accessorium: hinc Parochus amittens, vel resignans alteri Parochiam, non potest amplius valide absolvere, nisi alias approbetur ab Episcopo; & Vicarius Generalis Episcopi, cum eo mortuo, vel amoto statim desinat esse Vicarius, statim amittit hanc jurisdictionem. Secundo cessat per excommunicationem, aut suspensionem ab officio, in quibus sit vitandus; sic enim, nec absolveret, nec delegaret valide: si vero non sit vitandus, valide absolveret, ac delegaret; &, si esset requisitus, etiam licite. Putant Vasq. Bonac. & alii, posse Parochum per Episcopum suspendi à sua jurisdictione ordinaria. Sed Lugo dist. 21. & alii apud Tambur. negant, quia

ea gaudet Parochus jure Tridentini: ideoque non potest ab Episcopo privari, nisi removeatur ab officio. Denique nec cessat jurisdictio ordinaria per interdictum, & probabiliter neque per irregularitatem, nisi huic officium supervenerit, juxta dicenda in Tract. de censuris.

§. II.

Quid de Jurisdictione delegata?

I. Sacerdotes Regulares, cum constituuntur Confessarii, habent Jurisdictionem delegatam à Papa ad absolvendum sacramentaliter quoscunque Fideles undecunque ad se accedentes; sed communicatur ipsis per suos Superiores, posita etiam approbatione Episcopi tamquam conditione essentialiter requisita à Tridentino pro absolvendis Secularibus, vel Monialibus. Hinc posset Confessarius Regularis absolvere etiam Religiosos alterius Ordinis. Sed hodie quivis ordo habet privilegium, ut sui Religiosi non possint absolvi ab aliis extra Ordinem, nisi ex licentia sui Superioris: si autem Regularis absque licentia sui Superioris approbetur ab Episcopo, tunc nec poterit valide absolvere, quia non habet Jurisdictionem sibi communicatam per suos Superiores, qui possunt eam negare, limitare, &c. Quod si Episcopus approbando communicet etiam suam jurisdictionem (quam, dum approbat, communicat, nisi quid expresse limitet) juxta hanc valide absolveret Seculares, illicite tamen, quia contra voluntatem sui Superioris. Excipe Religiosos Ordinis Prædicatorum, qui, si absque licentia suorum Superiorum approbentur ab Episcopo, invalide omnino absolvunt ex speciali Bull. Jul. III. Vide Tamb. *de Pœnitentia* c. 5. n. 26.

II. Sacerdotes seculares, cum constituuntur Confessarii, habent jurisdictionem sibi delegatam ab Episcopo eos approbante. Hac ergo habita jure non possunt absolvere subditos alterius Diœcesis ad se accedentes; sed hodie possunt ex consuetudine, & tacito simul consensu Ordinariorum, vel potius Papæ, quo subditi alterius Diœcesis per delegationem subduntur illis, dum ad eos accedunt. Putant tamen Bon. Con. Vasq. Garz. & alii, Peregrinum invalide absolvi, si ex industria e

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſua Diœceſi diſcedat, ut abſolvatur à Confeſſario hujus Diœceſis, quia ſic operatur in fraudem, adeoque non præſumitur ſui Ordinarii, vel Papæ conſenſus. Sed probabiliter contradicunt Ponc. Tambur. & alii ex illa regula Juris: *Nullus videtur dolum facere, qui utitur jure ſuo;* unusquisque autem habet jus adeundi alium locum, ibique ſe in ſtatu gratiæ ponendi; nec unquam Ordinarii, vel Papa in dicto caſu ſignum aliquod ſui diſſenſus dederunt: ut notat Tambur. &c.

III. Sacerdos, ſive Regularis, ſive Secularis, conſtitutus jam Confeſſarius, quamvis ex quadam æquitate petere debeat licentiam à Parocho, ut audiat confeſſiones in ejus Eccleſia; tamen ſi non petat, valide abſolvit, quia Confeſſario ſeculari ſufficit jurisdictio delegata ab Ordinario, qui eam habet in tota Diœceſi, & Regulari ſufficit jurisdictio delegata à Papa, qui eſt Ordinarius Ordinariorum. Imo, quamvis Epiſcopus in delegatione addat: *De licentia tamen Rectorum in Eccleſiis eorum*, tamen Suar. d. 27. Bon. & alii contra Abbat. & alios dicunt, illam non eſſe proprie conditionem, ſed modum, quem deberes ſaltem ex æquitate ſervare, etiamſi non admonereris ab Epiſcopo. Similiter ſi Epiſcopus tantum prohibeat, ne Regulares v. g. extra proprias Eccleſias audiant confeſſiones, adhuc hæ erunt validæ extra illas, ob eandem rationem; illicitæ tamen, niſi excuſet hic & nunc Epikeja.

Extra Diœceſim poteſt Parochus absque ulla alia facultate jure ſuo audire confeſſiones ſuorum ſubditorum; quia ratione muneris eſt eorum Paſtor: & ſimiliter Confeſſarii Principum, qui reſpectu illorum ſunt veluti Parochi, poſſunt eos abſolvere, quando per varias Diœceſes, vel Provincias eos comitantur: Illſung, Laur. & alii. Idem dicit Laym. de Miſſionario Caſtrenſi alicui Legioni præfecto, qui merito cenſetur veluti Parochus illius Legionis tamquam Parochiæ ambulantis; ideoque abſolvere eos poterit, ubicunque terrarum Legio fuerit, licet novi milites accedant, vel ſuccedant. Item Confeſſarius ſecularis hujus Diœceſis ex communi Doctorum ſententia apud Suarez d. 28. ſect. 6. poteſt extra hanc Diœceſim audire confeſſiones eorum, qui ſubditi ſunt huic Epiſcopo; quia ad hoc habet jam jurisdictionem delegatam, quæ, cum ſit voluntaria, exerceri poteſt extra territorium Epiſcopi in ejus ſubditos. Econtra vero

vero Confessarius regularis hujus Diœcesis non potest extra hanc Diœcesim audire confessiones eorum, qui subditi sunt huic Episcopo, nisi sit approbatus etiam ab illo Episcopo, juxta dicenda cap. 3.

Quæres primo, Quid requiratur ad acquirendam Jurisdictionem absolvendi sacramentaliter?

Respondeo, Requiri consensum sive expressum, sive tacitum concedentis, dummodo sit de præsenti: Doctores communiter. Hinc, si Episcopus v. g. videat, aut sciat, simplicem Sacerdotem audire confessiones, & non prohibeat, quando sine incommodo posset, valida est absolutio ex tacito ejus consensu: Averf. sect. 4. Si tamen, nondum existente eo consensu, incipiat talis Sacerdos audire confessionem, peccat, quia invalide incipit: Conin. Dian. & alii. Rursus si Sacerdos vi, aut metu extorsit jurisdictionem ab Ordinario, probabiliter etiam valide absolvit, dummodo Episcopus aliquo signo externo annuerit; quia talis concessio, etiam sic extorta, manet simpliciter voluntaria: Sanch. Con. & alii contra Azor. Pont. & alios. Addunt Tancr. & alii, quod, si Sacerdos petat ab Episcopo licentiam audiendi confessiones, & nulla subsit ratio denegandi, & Episcopus taceat, habetur licentia pro concessa, quia positis his conditionibus silentium est signum externum concessionis. Econtra vero non sufficit consensus interpretativus, vel prudenter præsumptus, quem scilicet Episcopus daret, vel certo creditur daturus, si rogaretur. Neque sufficit ratihabitio danda de futuro; quia ad actualem jurisdictionem requiritur consensus de præsenti existens, & aliquo signo saltem tacite manifestatus: Lugo d. 19. & alii communiter. Requiritur etiam, ut Sacerdos delegatus habeat notitiam concessionis sibi factæ, sive oretenus, sive per literas, aut internuncium destinatum à Delegante, alioquin invalide absolvit, etsi aliunde id resciat; quia non censetur concessa facultas, nisi legitime acceptetur: Averf. q. 16. sect. 5. Si autem concessa sit jurisdictio Ordini religioso, Ordo acceptat pro singulis suis Religiosis, ideoque quivis illorum valide absolveret, etiamsi ignoraret, se illam habere: Lug. n. 17. Item, si Sacerdos putans, se habere jurisdictionem ex uno titulo, cum tamen habeat ex alio titulo sibi ignoto, valide absolvit, quia intendit facere, quantum potest, ex quocunque titulo possit: Lugo n. 18.

Quæ-

Quæres secundo, Quando cessat jurisdictio delegata absolvendi sacramentaliter?

Respondeo primo, Cessare, si Sacerdos delegatus incidat in excommunicationem, aut suspensionem ab officio, in quibus sit vitandus; si autem non sit vitandus, adhuc valide absolvit, sed illicite, nisi sit requisitus; Doctores communiter. At non cessat per interdictum, & probabiliter neque per irregularitatem, etsi supervenientem; quia talis jurisdictio, cum sit mere delegata, non fundatur in officio, vel beneficio, quibus privat irregularitas, ex dicendis de censuris. Neque cessat, si Episcopus ipse, postquam delegavit, evadat excommunicatus vitandus, quia est gratia facta jam delegato, quæ neque cessat morte concedentis. Cæterum præscindendo à censuris.

Respondeo secundo, Si jurisdictio concessa sit ad certum tempus, puta ad annum, hoc transacto statim cessare, quia facultas non extenditur ultra voluntatem concedentis. At, si bona fide cœpta sit aliqua confessio, quæ finiri non potuit intra illum terminum præfixum, prosequendus est actus judicialis usque ad absolutionem, & postea cessabit facultas; Doctores communiter. Imo probabiliter potes iterum ea uti, si Pœnitens redeat cum mortali invincibiliter antea oblito, quia tunc sequens confessio pertinet ad integritatem prioris: Tambur. Dicast. & alii contra Fagun. & alios: secus vero, si redeat etiam cum novo peccato; tunc enim neque conjunctim absolvi poterit cum oblito: Dian. p. 11. tr. 7. r. 28.

Respondeo tertio, Si jurisdictio concessa sit ad tempus incertum, ut si Episcopus concedens dicat, *Quamdiu vixero*, eam cessare morte concedentis, nisi vero tunc cœpta sit aliqua confessio, quæ postea est finienda, juxta modo dicta: idem est, si dixerit, *Ad meum beneplacitum*, vel *Donec ego voluero:* quia beneplacitum, seu voluntas finitur morte personæ; Doctores communiter, ex cap. *Gratioſe, &c. de rescriptis in* 6. contra Tamb. & alios, &c. Idemque est, si concedens removeatur ab officio: Perez d. 47. *Matr.* s. 7. n. 15. Si vero dicat: *Pro uno anno ad beneplacitum*, cessat, statim ac concedens intra annum moritur, aut removetur ab officio: Suar. *de Legibus* lib. 8. cap. 31. Idemque est, si dicat, *Ad annum, & beneplacitum meum*; Perez ibid. At, si dicat, *Ex beneplacito ad annum*, non cessat, nisi post annum,

num, quia beneplacitum hic ponitur, ut principium gratiæ factæ per annum: Perez n. 18.

Respondeo quarto: Si jurisdictio concessa sit absolute, nunquam cessare, nisi concedens, vel ejus successor revocaverit; quia Episcopus sic delegans censetur velle favere ipsi Sacerdoti, judicando absolute idoneum ad confessiones; ideoque est gratia facta, quæ non expirat morte concedentis, juxta regulam Doctorum ex cap. *Si cui, &c. de Præbendis in* 6. &c. Idem est, si dicat *Ad beneplacitum Sedis:* Ratio est, quia cum Sedes sit perpetua, perpetua erit concessio, donec revocetur. Idem, si dicat *Ad beneplacitum Sedis, & personæ:* Sanch. lib. 8. *de Matrim.* dist. 28. num. 5. Idem demum, si dicat, *Donec revocavero:* vel *Donec aliud ordinavero,* quia revocatio, & ordinatio sunt actus positivi, qui non habentur præcise post mortem: Perez num. 10.

Respondeo quinto, Si jurisdictio concessa sit certo Sacerdoti ad audiendam pro una vice confessionem certi Pœnitentis, non cessare morte concedentis, si tunc res non sit integra, hoc est, si Sacerdos cœperit jam audire confessionem, quam nondum potuit perficere; quæ per actum juridicum firmata est in eo jurisdictio, donec ponatur Absolutio: at, si res sit integra; hoc est nondum cœpit audiri confessio, Sanch. num. 82. & alii communiter dicunt, cessare; quia sic non est gratia facta, sed facienda, & gratia facienda cessat morte concedentis, ex opposita regula Doctorum in cap, cit. Sed probabiliter etiam contradicunt Con. Lug. Perez, Tamb. & alii &c. quia sic concedens voluit favere Pœnitenti, ideoque talis jurisdictio concessa Confessario est gratia à concedente facta ipsi Pœnitenti, & consequenter neque exspirat per ejus mortem, & idem dicunt in aliis concessionibus, nisi aliter sit receptum in jure. Vide dicta in Tract. de Leg. d. 4. q. 4. c. 2.

§. III.

Quid de errore communi cum titulo colorato?

Error communis habetur, quando Sacerdos communiter putatur habere jurisdictionem ad absolvendum, quam non habet, titulus coloratus, seu putativus habetur, quando fuit à legitimo Superiore collatus ei titulus ad talem jurisdictionem, ut titulus Parochi,

rochi, Confessarii, &c. Sed vel fuit nullus ob aliquod occultum impedimentum, vel jam amissus, & talis amissio communiter ignoratur. Certum communiter est apud Doctores ex *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris,* & cap. *Infamis* 3. q. 7., errorem communem cum titulo colorato dare tali jurisdictionem absolvendi, etiamsi cæteroqui illam non habeat. Ratio est, quia tunc Ecclesia, cum possit, tacite supplet talem jurisdictionem ob bonum communitatis bona fide ita existimantis; aliter innumeræ animæ invincibili errore perirent: ergo valide absolvit talis Sacerdos, si adsit error communis cum titulo colorato; peccat tamen, si sciat nullitatem sui tituli, quia scienter usurpat jurisdictionem, quam non habet.

Porro ad talem errorem communem sufficit, si sit communis in hac Civitate, etiamsi alibi non sit talis error; puta si Confessarius sit alibi excommunicatus denunciatus: sed id communiter hic ignoretur: Tamb. *de Pœnitent.* cap. 5. §. 7. Idem valide absolvit, si fuerit excommunicatus denunciatus, sed tantum temporis sit elapsum, ut communiter ignoretur ejus denunciatio: Navar. Cajet. & alii, &c. Item Sacerdos approbatus per annum, hoc elapso, etiam valide absolvit, si id communiter ignoretur. Idemque est, si absolvat virtute privilegii jam revocati, si revocatio communiter ignoretur: Henriq, & alii, &c. Idem, si Episcopus ficto dederit licentiam audiendi confessionem, sed fictio illa communiter ignoretur: Sanch. lib. 3. *Matrim.* d. 22. Si post errorem communem incipiat populus dubitare de jurisdictione talis Sacerdotis, tunc debet investigari prius veritas; aliter error esset crassus, & supinus, nec sufficiens ad dandam jurisdictionem ex tacito consensu Ecclesiæ: at, si facta morali diligentia, adhuc manet dubium, erunt validæ absolutiones, quia, dum vinci non potest dubium, prævalet possessio acquisita ex præcedenti errore communi. Si tu, vel etiam alii pauci privati sciant talem Sacerdotis defectum, adhuc valet ejus absolutio, quia scientia privata non tollit errorem communem; tu tamen, si scias, illum scire suum defectum, invalide absolveris, quia cooperaris ejus peccato: secus vero, si prudenter putes, illum nescire, & tu non possis aliter confiteri, quia sic necessitas te excusat à cooperatione illa peccato materiali alterius. Econtra vero, si non sit error communis, sed

tuus

tuus tantum, vel etiam paucorum, invalide absolveris, saltem à mortalibus prima vice confessis; quia Ecclesia non supplet jurisdictionem ob errorem privatum: Doctores communiter.

Quæres primo: An Ecclesia suppleat jurisdictionem, si adsit error communis, sed sine titulo colorato?

Respondeo, Duas esse in hac re sententias: Prima cum Suar. Con. Bon. & aliis comm. negat; quia, quoties jura statuunt ex errore communi suppleri jurisdictionem, semper faciunt mentionem auctoritatis Superioris, quæ intervenire debuerit conferendo titulum: ergo non sufficit solus error communis. Secunda cum Poncio, Sanch. Rod. Dian. & aliis affirmat; quia etiam hic militat ratio Boni communis, ob quam Ecclesia tacite supplet jurisdictionem, ut scilicet provideatur saluti communi animarum inculpabili errore laborantium: quod autem jura id concesserint, cum adest titulus, hic fuit occasio concedendi; absolute tamen concesserunt, quoties vitandum est commune damnum, ut notat Con. ergo credendum, piam matrem Ecclesiam etiam velle supplere stante solum errore communi; si nimirum Sacerdos communiter putetur Parochus, vel legitimus Confessarius, quamvis absquè auctoritate Superioris per se sit intrusus in Parochiam, vel Confessionale. Prima sententia est probabilior, saltem auctoritate extrinseca: tamen Castro, Tambur. & alii plurimi dicunt, utramque esse probabilem.

Quæres secundo: An Ecclesia suppleat, seu tacite det jurisdictionem Confessario absolventi ex opinione probabili citra suam jurisdictionem?

Respondeo affirmative. Dummodo talis opinio sit solide probabilis: Ratio est, quia licet ex cap. *Si Episcopus: &c. de Pœnit. & remissionib. in* 6. se sola non conferat jurisdictionem absolvendi Sacramentaliter; tamen potest conferre, si accedat consensus saltem tacitus Ecclesiæ, ut docent communiter Doctores ex Trident. *sess. 22. de reform. cap.* 3. Sed apud Confessarios communiter adest consuetudo absolvendi ex opinione probabili circa suam jurisdictionem, idque scit Ecclesia: ergo videtur tacite consentire, adeoque dare jurisdictionem, si ea forte non esset. Ita communior sententia apud Carden. cum Suar. Sanch. Con. Bon, & aliis plurimis; ita ut Lugo dicat, hanc esse praxim omnium fidelium, & totius

totius Ecclesiæ; &, cum hæc communis persuasio sit saltem error communis cum titulo colorato, nempe auctoritate Ecclesiæ per communem praxim satis nobis explicata, est tutissima; cum non exponatur Sacramentum periculo nullitatis, eo quod suppleat Ecclesia jurisdictionem, quam Sacerdos probabiliter putat se habere. Hinc infert Bonac. quod, qui sequitur opinionem probabilem Doctorum sentientium, ipsum habere jurisdictionem absolvendi ab hoc, vel illo reservato in tali, vel tali casu, &c. valide, & licite absolvit, etiamsi forte opinio illa sit falsa; nam Ecclesia supplet jurisdictionem, ne sequantur incommoda in communitatem. Addit Vericelli apud Tamb. contra Aversa, id valere, sive probabilitas sit circa jus, sive circa factum, ut si probabile sit, quod in hoc, vel illo casu non sit incursa reservatio; si probabile sit, quod jurisdictio nondum expiraverit, non sit revocata, &c., quia ratio utrobique est eadem. Addit insuper id etiam valere, quomodocunque ea ratio sit probabilis, sive ex auctoritate extrinseca, sive ex intrinseca ratione de novo à docto viro considerata, dummodo sit solide probabilis.

Dixi, *Si sit solide probabilis*, hoc est nixa gravi fundamento apto movere virum prudentem ad ejus assensum, vel de ejus probabilitate, etsi æque, vel etiam probabilius sit oppositum; quia sic etiam prudenter operaris; &, si forte ea opinio sit falsa, cum communiter ignoretur, supplet Ecclesia: contra vero invalide absolvis ex opinione tenuiter probabili circa tuam jurisdictionem; puta, si sit opinio, quam unus, vel alter asserit, & non habet rationem intrinsecam, vel adeo levem, ut virum prudentem non moveat; si unus, vel alter eam docet: complures autem Doctores eam parum tutam pronuntiant; si per transitum unus, aut alter eam innuit sine sufficienti examine, præsertim si alius, qui ex professo de ea agit, firma ratione oppositum docet: in his enim opinio sit leviter probabilis, vel ad summum dubiæ probabilitatis; ideoque Ecclesia non dat jurisdictionem sic imprudenter operanti.

Quæres tertio, An licite absolvat Sacerdos in dubio de sua jurisdictione?

Respondeo, Affirmative, si cœpit bona fide eam possidere, & postea negative dubitet, an valide eam obtinuerit; quia sic melior est conditio possidentis, &,

si forte adsit error, supplet Ecclesia: Con. Dicast. Gobat. tract. 7. n. 21. Econtra vero, si cœpit mala, vel dubia fide possidere; aut negative dubitet; an unquam eam obtinuerit, vel an jurisdictio, quam habet, extendat se ad casum allatum à pœnitente, an peccatum à pœnitente allatum sit reservatum, necne, &c., quia tunc non ipse est in possessione; Lugo d. 19. n. 28. Cæterum, si legitimus Confessarius cœpit audire pœnitentem asserentem plura peccata, & oriatur dubium, an habeat jurisdictionem circa unum, aut alterum illorum, licite etiam absolvit (monendo tamen pœnitentem, ut postea accedat ad habentem certam jurisdictionem; si adsit necessitas: puta ad vitandum scandalum, aut infamiam, si tunc pœnitens non communicet; vel si alioquin deberet omittere Confessionem annuam, vel diu manere deberet in statu peccati mortalis: Gobat. n. 120., ubi Hurtadus non audet resolvere, an spatium unius noctis sit in hac materia habendum pro diuturno, quod tamen merito negat Diana, quicquid ingeniose dicat Caramuel. Addit tamen Laym. c. 12. n. 11., aliqualem urgere necessitatem, si talis pœnitens bona fide confessus ægro animo discedat non absolutus, & coactus bis confiteri, modo ejus peccato non sit adnexa excommunicatio reservata.

CAPUT III.

Quid de Approbatione?

APPROBATIO est *Judicium, quo Superior declarat, aliquem Sacerdotem esse idoneum ad audiendas confessiones.* Sine hac Sacerdos, sive secularis, sive regularis invalide absolvit; quia ex dictis potestas ordinis non censetur expedita, nisi accedat potestas jurisdictionis, & hæc non confertur, nisi per approbationem. Agendum de Approbato I. Ad confessiones secularium: II. Ad confessiones Regularium: III. Ad Confessiones Monialium: IV. Ad Confessiones Privilegiatorum.

§. I.

Quid de Approbatis ad Confessiones Secularium?

TRIDENTINUM *sess. 23. cap. 15.* statuit: *Nullum etiam Regularem posse confessiones secularium; etiam Sacer-*

Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari; nisi, aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat. Itaque

Primo, Approbatio fieri potest tripliciter, vel per collationem beneficii Parochialis. vel per examen: si est necessarium, vel sine examine, si alias idoneus quis judicetur. Præcipitur etiam, ut detur gratis; tamen, quamvis peccet, qui eam non det gratis, at probabile est, sic etiam valere, quia verba Tridentini quoad hoc sunt tantum præceptiva, non irritantia: Suarez, Lugo, disp. 21. Probabile etiam est valere, si detur ex vi, & metu, juxta dicta de jurisdictione: probabile item est valere, si Episcopus in approbando erret circa idoneitatem: Suar. Bon. & alii, &c. Addit Lugo num. 25., probabiliter etiam valere, si Episcopus externe tantum approbet, quem non judicat idoneum, sed in hoc contradicunt Suar. Bon. & alii, &c. quia Trid. dicit, *Si idoneus judicetur.*

Secundo, Superior approbans ad confessiones secularium est Episcopus ex Tridentino citato, vel ejus Vicarius Generalis, qui habet potestatem ordinariam, & facit unum Tribunal cum illo; vel Vicarius Capitularis sede vacante, qui succedit Episcopo: Doctores communiter. Approbare potest Episcopus, etiamsi nondum sit consecratus, modo sit actus, & confirmatus; quia approbatio non est actus o dinis, seu meræ jurisdictionis: Lug. n. 27. Addunt Bossius, & Tambur. Episcopum etiam excommunicatum vitandum posse valide approbare; quia approbatio est tantum simplex testificatio Episcopi, prout Superior est, qualis in excommunicatione videtur etiam manere: sed communius negant Avers. Poncius, & alii; quia approbatio est actus jurisdictionis Episcopalis, quam non habet Episcopus vitandus: Possunt pariter approbare, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem in Diœcesim nulli Episcopo subjectam. Item Nuncius Apostolicus, & Legatus à latere pro sua Provincia. Item Capellani Majores relate ad confessiones militum, vel domus Regiæ: Episcopus existens extra suam Diœcesim potest approbare Sacerdotem pro sua Diœcesi; quia approbatio non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, quæ extra proprium territorium exerceri potest: Putant tamen Doctores cum

Lugo Lib. 1. *Respons. Moral.* dubio 17., Episcopum v. g. Neapolitanum existentem Capuæ non posse approbare Sacerdotem Capuanum pro suis subditis ibidem existentibus; quia sic nullo modo potest esse Superior respectu talis Sacerdotis, cum non posset illum punire, si Capuæ circa confessiones Neapolitanorum delinqueret: & ideo nec potest ipsemet Episcopus ibidem confiteri tali Sacerdoti non approbato, ut supponitur à suo Episcopo Capuano, ut constat ex declaratione Sacræ Congregationis apud eundem: Econtra vero poterit eum ibi approbare pro audiendis Confessionibus in sua Diœcesi Neapolitana; quia sic evadere potest ejus superior potens illum punire, si quoad hoc deliquerit in sua Diœcesi. Uti etiam potest Capuæ approbare Sacerdotem Neapolitanum pro audiendis confessionibus Neapolitanorum Capuæ existentium, cum sit verus ejus Superior.

Tertio, Sacerdos, sive secularis, sive regularis, hoc ipso, quod obtinet beneficium Parochiale, est ipso jure approbatus, quia Canones volunt, illud obtineri per concursum, vel saltem prævio examine ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 18. Hinc, si per fraudem, vel per incuriam Episcopi, vel aliter sine examine, aut Episcopi judicio perveniisset ad Parochiam, indigeret approbatione: Croix num. 1533. Item indiget approbatione Superior Regularis; quia talis revera non est Parochus, cum non habeat beneficium Parochiale, ut requiritur à Tridentino: Doctores communiter contra Valerum, & alios paucos. Si Parochus mutet Parochiam, quamvis in aliquibus Diœcesibus non iterum examinetur, tamen merito in aliis fit oppositum; quia idoneus pro uno loco, non semper est idoneus pro alio, in quo esse possunt oves diversæ exigentes in Parocho diversas qualitates, & scientiam. Si autem desinat esse Parochus, desinit ejus approbatio, nisi prius fuisset aliunde approbatus absolute: Suarez, Henriq. & alii communiter: At, si moriatur, non ideo desinit approbatio Sacellani dati ei ab Episcopo, ut requisitus eum adjuvaret: quia hic approbationem habet ab Episcopo, & non præcise ratione Parochi, sed loci: tamen non potest assistere matrimoniis, quia hæc pendebant immediate à Parocho ad singulos actus suo modo ipsum delegante: Croix n. 1543. Putant Suar. Sanch. Lugo, Aversa, & alii, Parochum vi beneficii Parochialis approbatum esse jure communi Tridentini, tamquam publicum Ministrum Ecclesiæ;

cleſiæ; unde inferunt, Parochum unius Diœceſis poſſe etiam in alia Diœceſi abſolvere illius Parochianos ex licentia tantum illius Parochi (modo non contradicat Epiſcopus, ut addit Suarez diſp. 28. ſect. 4. n. 9.) quia ex jure communi Eccleſiæ habet approbationem, & ibi acquirit jurisdictionem ex delegatione illius Parochi. Probabiliter tamen contradicunt Layman. Guttierez: Garzia, & alii, &c. quia ex diſpoſitione Tridentini videtur approbatus tantum à ſuo Epiſcopo, cujus ſolius examen, & judicium requiritur. Illud videtur communius admiſſum, Parochum etiam extra Diœceſim poſſe audire confeſſiones ſuorum ſubditorum, juxta dicta, & mox fuſius dicenda.

Quarto, Sacerdos ſive ſecularis, ſive regularis ad confeſſiones ſecularium indiget approbatione Epiſcopi ex Tridentino cit. Quare non ſufficit approbatio Univerſitatis ad gradus Licentiati, Magiſtri, Doctoris, &c., quia Tridentinum requirit approbationem ab Epiſcopi judicio provenientem. Nec ſufficit, eſſe ſemel approbatum in Urbe à Vicario Papæ, ut cenſeatur approbatus in toto orbe; quia Urbanus VIII. anno 1628. revocavit omnia Privilegia audiendi confeſſiones ſine approbatione ab Epiſcopis Diœceſanis, & absque examine facto ab Ordinario.

Dubium eſt primo, A quonam Epiſcopo fieri debeat hæc approbatio? An ſcilicet ab Epiſcopo Pœnitentis, ut ait Sylveſter, an Confeſſarii, ut Suarez, an Loci, in qua fit confeſſio, ut Guttierez, an demum à quovis Epiſcopo, ſive Loci, ſive Confeſſarii, ſive Pœnitentis, ut Henriquez?

Equidem dico cum Lugo diſp. 21. n. 35., requiri, & ſufficere approbationem ab Epiſcopo, qui ſit Ordinarius ipſius Confeſſarii, non quomodocunque, ſed in ordine ad hoc miniſterium audiendi Confeſſiones talium Pœnitentium: Ratio eſt, quia ſic optime verificantur verba Tridentini, & Decretorum ſubſequentium, ut mox patebit. Hinc quivis Sacerdos etiam Regularis, etiam Peregrinus, poteſt in hac Diœceſi approbari ab hoc Epiſcopo ad Confeſſiones ſuorum Diœceſanorum; quia in ordine ad iſtos quivis Sacerdos poteſt hic ei ſubdi, tanquam ſuo ordinario, hoc ipſo, quod velit eos audire: ergo poteſt, ac debet ab illo approbari, cum ad illum ſpectet judicare de idoneitate volentis curare ſuas oves; &, ſi deinde in hoc deliquerit, punire. Item Sacerdos Pere-

grinus, sive secularis, sive regularis ab hoc Episcopo approbatus, hoc ipso, quod egreditur extra hanc Diœcesim, amittit approbationem; quia non amplius subditur huic Episcopo, à quo nec potest, si deliquerit, puniri; Similiter Sacerdos Diœcesanus, sive secularis, sive regularis, hoc ipso quod mutat domicilium extra hanc Diœcesim, amittit approbationem. At, si deinde redeat ad pristinum domicilium, eam reparat, si fuerat absoluta, necdum ab Episcopo revocata: Lug. loc. cit.

Dubium est secundo, An Confessarius secularis Diœcesanus approbatus absolute quoad locum, si peregrinetur extra hanc Diœcesim, possit ibi absolvere subditos hujus Diœcesis pariter peregrinantes?

Communis sententia cum Suar. & Sanch. lib. 3. *Matr.* disp. 19. num. 8. contra Mattheucci, & alios paucos affirmat; quia etiam ibi manet subditus sui Episcopi approbantis in ordine ad tales Pœnitentes, & exercet jurisdictionem in foro conscientiæ; & in iis, quæ fiunt sine strepitu judicii, non violatur jus alterius: Neque obstat primo responsum Sacræ Congregationis Episcopo Valentino, *Approbatum ab alio, quam à Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario:* Nam, ut bene notat Lugo num. 42. hoc responsum intelligi debet juxta intentionem interrogantis, quæ erat ad confessiones illorum, qui subduntur Episcopo Valentino. Neque obstat secundo Constitutio Innocentii XII. *Cum sicut, &c.* 19. *Aprillis* 1700. *Confessarios, tam seculares, quam regulares, quicunque illi sint, nullatenus posse audire pœnitentes Bulla-Cruciatos sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt; neque ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum Diœcesium obtentam, etiamsi pœnitentes illorum Ordinariorum, qui tales Confessarios approbassent, subditi sint.* Non, inquam, obstat; nam hæc etiam intelligi debent secundum intentionem Episcoporum Portugalliæ, quorum querelis Pontifex hac constitutione respondet. Querelæ autem non erant, imo nec esse poterant, quod subditi alterius Episcopi peregrinantes in sua Diœcesi absolvebantur vi Bullæ Cruciatæ à Confessariis illius Episcopi pariter peregrinantibus; quia id, etiam præcisa Bulla, erat communiter à Doctoribus admissum; & Episcopi ipsi ratum haberent, cum sic possent etiam ipsi extra suam Diœcesim confiteri suo Confessario Diœcesano absque approbatione

alterius

alterius Episcopi. Quærelæ ergo erant, quod absque sua licentia sui subditi in sua Diœcesi, vi Bullæ Cruciatæ hispanico sermone traditæ, eligebant in Confessarium Sacerdotem per quemcunque alium ordinarium approbatum; & extra Diœcesim eligebant Regularem *Semel tantum* ab ipsis approbatum, etiamsi ipsi repugnassent, vel approbationem revocassent; ut videre est apud Doctores tractantes de Bulla Cruciatæ apud Tamb. cap. 5. §. 4. num. 11. Remanet ergo integra sententia communis, quod possit Confessarius secularis Diœcesanus absolute approbatus audire extra Diœcesim Diœcesanum suum peregrinantem.

Dubium est tertio, an idem dici possit de Confessario Regulari Diœcesano pariter extra Diœcesim peregrinante? Affirmant Ledesma, Peyrinus, Lugo num. 49. & alii, qui scripserunt ante Clementem X. Sed Constitutio Clementis X. *Superna*, &c. 2. Augusti 1670. ita statuit: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium approbatos non posse in alia Diœcesi eos absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati.* Adhuc tamen Platellius, Taberna, & alii apud Croix n. 1513. putant, Confessarium Regularem in una Diœcesi approbatum, dum iter agit per alias Diœceses, audire posse confessiones quorumcunque secularium in locis, in quibus Ordinarii non existunt, dummodo Parochi non repugnent, ex privilegio Gregorii XIII.; putant enim plures apud Dianam, Decreta Pontificum, quæ videntur talem facultatem revocare, tantum loqui de potestate audiendi confessiones permanenter, non autem transeunter. Verum, cum Clemens X. loquatur indefinite, & revocet qualiacunque data privilegia, non auderem hanc sententiam sequi.

Quinto, Ad approbationem pro confessione secularium non sufficit esse idoneum, & esse præsentatum Episcopo, sed requiritur ejus judicium tacite, vel expresse manifestatum. Hinc ab Alexandro VII. damnatur hæc Prop. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato; sed ab eo injuste reprobato.* Si ergo non satisfacit, ideo est, quia confessio est invalida, etsi bona fide accesserit: Doctores communiter. Hinc Episcopus potest approbare, vel absolute, vel limitate ad tempus, locum, aut personas: puta ad sex menses, in Cathedrali, pro viris tantum, &c.

Putant tamen Henriq. Fagundez, & alii apud Diam. pag. 1. tr. 11. r. 10. restrictionem approbationis v. g. pro viris tantum non valere, si fiat ex mero Episcopi arbitrio, & Sacerdos, præsertim regularis, sit absolute idoneus: sed communiter rejiciuntur, quia, sicut non est simpliciter Confessarius, qui etiam ex arbitrio Episcopi non est simpliciter approbatus, utut cæteroqui sit idoneus, ita &c. Cæterum, licet Episcopus possit non admittere ad examen, si tamen admiserit, & repererit idoneum, peccat contra justitiam, si sine justa causa neget approbationem, quia intervenit quasi contractus: Lug. Gorm. & alii: & quoad Regulares ex Constit. Clem. X. cit. debet Episcopus Regularem repertum idoneum simpliciter approbare; nec potest iterum examinare, revocare, aut limitare priorem approbationem, quam ipsemet dedit (secus vero, si eam dederit suus Vicarius, vel Antecessor) nisi accedat nova justa causa ad confessiones pertinens. Nec potest, inconsulta Sede Apostolica, suspendere facultatem audiendi confessiones omnium simul unius Conventus. Denique Regularis simpliciter approbatus potest in ea Diœcesi quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque, etiam infirmorum, confessiones audire absque ulla Parochorum licentia: tenetur tamen eorundem infirmorum Parochum illico certiorem facere, saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Hæc ex Constit. cit.

§. II.

Quid de Approbato ad Confessiones Regularium?

Ad Confessiones Regularium exemptorum (uti hodie sunt fere omnes) non requiritur approbatio Episcopi, quia Tridentinum hanc tantum requirit ad confessiones secularium. Requiritur tamen approbatio, seu designatio Superioris regularis, qui ad confessiones suorum subditorum potest deputare quemvis Sacerdotem, etiam alterius ordinis, imo etiam secularem non approbatum ab Episcopo: Doctores communiter: Nomine Religiosorum veniunt hic etiam equites melitenses, secundum Sanch. contra Aversa: & ex praxi id eis conceditur Melitæ, negatur extra Melitam: Diana, Tamb. & alii.

Exten-

Extenditur hoc etiam ad Novitios, quia in favorabilibus communicant cum Religiosis: Sanch. & alii communiter: possunt tamen Novitii, etiam absque licentia Superioris (quod non possunt Religiosi) confiteri Confessario seculari, vel alterius Ordinis approbato ab Episcopo; quia in odiosis non communicant cum regularibus: Doctores communiter. Extenditur etiam ad seculares domus Religiosæ, *Qui inibi sunt veluti de familia, & continui commensales; non autem qui tantum illis serviunt:* ex citata Constit. Clem. X. quæ, cum sit novissima in hac materia, ad eam reduci debent reliqua in hoc punctum privilegia. Itaque familiares domus Religiosæ non sunt Hospites, Ruricolæ, aliive ei inservientes, sed extra commorantes. Sunt vero Tertiarii, Oblati, Educandi, Famuli, etiamsi Mercenarii, cæteríque Seculares, etsi solventes expensas, modo hi omnes intra septa Religiosorum degentes communi eorum tecto, & victu continenter utantur. Item Alumni, & Convictores in Seminariis Religiosorum, ut addit Bordonus, modo locus ille sit Religiosorum; secus vero, si immediate, & per se sit erectus in Seminarium, cui Religiosi ministrent, ut recte limitat Lug. l. 4. *Resp. Moral.* dub. 33. Tenentur tamen prædicti familiares ire ad Parochialem Ecclesiam pro communione Paschali, ex Decr. S. Congreg. 2. Febr. 1676. quamvis non desint, qui dicant oppositum de famulis, de quibus est privilegium bullatum concessum à Leone X. cui per Decretum S. Congreg. derogari non potuit.

Confessarius Regularium potest etiam extra Conventum, imo in quacunque Diœcesi peregrinetur, absolvere Regulares ejusdem Conventus pariter itinerantes; & similiter etiam Novitios, & Familiares ejusdem Conventus, quia Constitutio Clementis X. tantum id limitat de secularibus non familiaribus, Cespedes, & alii: imo Regularis (saltem Societatis Jesu) in itinere confiteri debet Socio ejusdem Ordinis, etiamsi alias à Superiore non approbato; quia Superior tacite tunc illum approbat. Si vero non habeat Socium ejusdem Ordinis, poterit (nisi sit Carthusianus, aut Capuccinus) confiteri cuivis Confessario alterius Ordinis, vel etiam seculari approbato ab Episcopo; imo etiam simplici Sacerdoti, ut addunt Suar. Tamb. & alii, &c. contra Vasq. & alios, quia præsumitur Superior illum tacite approbare, si sit consuetudo, vel necessitas communicandi in via. Denique,

si talis Religiosus in itinere divertat ad aliquam Domum sui Ordinis, tenetur confiteri aut Socio itineris, aut uni ex Confessariis illius Domus, qui in quovis conventu esse debent duo, vel tres, aut plures, juxta numerum Religiosorum ex Decr. Urbani VIII. & usus est, ut in magno Conventu sint quatuor.

§. III.

Quid de Approbatis ad Confessiones Monialium?

Ut dicatur quis approbatus ad confessiones Monialium, non satis est, eum esse generaliter approbatum ad omnes Christi-fideles; sed requiritur specialis approbatio, in qua fiat expressa mentio de Monialibus: imo approbatus pro uno earum Monasterio non censetur approbatus pro alio, & approbatus pro una vice non potest pro pluribus vicibus, nisi iterum approbetur: Doctores communiter ex Decreto Sacræ Congregationis confirmato à Gregorio XV. & Urbano VIII. & novissime ex citata Constitutione Clementis X. Addit Pellizarius, approbatum ad audiendam confessionem duarum, vel trium Monialium ex aliqua peculiari occasione non posse audire confessionem aliarum Monialium ejusdem Monasterii; quia approbatio est limitata.

Approbatio ad confessiones Monialium dari debet ab Episcopo Diœcesano, etiamsi Moniales sint exemptæ, seu subjectæ regularibus ex citata Constitutione Clementis X. Ut autem audiri possint exemptæ, præter specialem approbationem Episcopi, requiritur etiam licentia Superiorum Ordinis, in quo est ista exemptio; quia Pontifices non intendunt derogare Constitutionibus, & Privilegiis Religionum, vi quorum non possunt Regulares confiteri, nisi Confessariis ab eorum Superiore designatis: si autem non sint exemptæ, sufficit sola specialis approbatio Episcopi, quamvis Superiores Ordinis nollent: Croix num. 1533.

Hæc omnia procedunt de Confessario Monialium, sive ordinario, qui durat ad tres annos, sive extraordinario, qui bis, aut ter in anno offeratur ab Episcopo, & aliis Superioribus ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 10. *de Regularibus.* Itaque, si Monasterium sit subjectum Episcopo, hic debet bis, aut ter in anno offerre extraordinarium; si sit subjectum Prælatis regularibus, ad hos spectat offerre, appro-

approbante Episcopo; quod si hi non offerant, potest de se assignare Episcopus: Pellizar. tr. 10. *de Regularibus* cap. 10.

Cæterum, Novitiæ, Educandæ, aliæve feminæ in Monasteriis Monialium commorantes, confiteri etiam possunt cuivis Confessario generaliter approbato ab Episcopo; quia in odiosis non veniunt nomine Monialium; ob quam rationem Pellizarius cum aliis idem probabiliter dicit de Abbatissis, nisi obstet consuetudo. Et certum est, idem esse de iis, quæ vivunt in Conservatoriis, etiamsi ibidem votum emittant; quia Conservatoria non veniunt nomine Monasterii, aut Monialium. Idem demum est de Moniali, quæ cum licentia degit extra Monasterium, quia Constitutio Clementis X. intelligitur de Monialibus in Monasterio degentibus: Croix, & alii.

§. IV.

Quid de Approbatis ad Confessiones Privilegiatorum?

PRIVILEGIATI hic sunt, qui, sive à jure, sive à consuetudine, sive ab homine habent facultatem eligendi sibi Confessarium non approbatum ab Ordinario.

I. A jure hoc habent Episcopi, ex cap. *Ne pro dilatione, &c. de Pœnit. & Remiss.*; etiamsi sint Episcopi tantum titulares, vel tantum confirmati; imo etiamsi sint excommunicati, suspensi, aut depositi, cum neque sic priventur dignitate, neque adeo ejus privilegiis; secus vero, si sint degradati, aut nondum confirmati, licet sint electi: Pasqual. dec. 87. Cæterum, Episcopus sic eligendo approbat; ideoque potest Episcopus v. g. Neapolitanus, etiam existens in Diœcesi Nolana, eligere sibi Sacerdotem Neapolitanum, cum possit etiam ibi eum approbare; imo etiam potest ibi eligere sibi Sacerdotem Capuanum approbatum tantum à suo Episcopo; quia ille est vere approbatus idoneus, & ipse ex vi privilegii potest sibi eligere Sacerdotem idoneum, nec ibi est alius Ordinarius, ad quem spectat de hoc ei providere, Lug. d. 21. n. 38. At non potest ibi eligere Sacerdotem sive Nolanum, sive Capuanum non approbatum à suo Episcopo; quia ibi non potest ei dare approbationem ex Decr. Sacr. Congr.; quidquid dicant Pasqu. & alii, quod tale Decr. non sit in forma authentica.

A jure etiam privilegium habent Prælati minores exempti, ex text. cit. ut sunt Abbates exempti, non autem Abbatissæ exemptæ: item Vicarii Generales Episcopi: item Prælati Curiæ Romanæ, ut Auditores Rotæ, Clerici Cameræ Apostolicæ, Magister Sacri Palatii, &c. Quamvis, ut notat Dian. non audeant uti privilegio. Hoc certe non habent Parochi, ut constat ex Prop. 16. damnata ab Alex. VII. *Qui beneficium curatum habet, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Ratio est, quia non sunt exempti: à jure etiam privilegium habent Superiores Regulares, ex text. cit. apud Pasqu. qui etiam id concedit eorum Vicariis; sed quidquid sit de aliis Religionibus, id certe non competit nostris Oeconomis, nisi sint Vice-Rectores.

II. Ex consuetudine, vel etiam à jure, ut addunt Abbas, & alii, &c. hoc privilegium habent Cardinales, etiamsi non sint Episcopi; quia habent jurisdictionem Episcopalem in suis Ecclesiis titularibus; &, cum sint Prælati universalis Ecclesiæ, possunt, sive Romæ, sive alibi commorentur, eligere sibi non approbatum ab Ordinario. Imo, cum Cardinales sint Ordinarii propriæ familiæ, possunt unicuique de familia providere de Confessario, vel tribuere facultatem eligendi sibi Sacerdotem idoneum; talis enim concessio est simul approbatio. Ex consuetudine etiam, tacitaque approbatione Ecclesiæ possunt Reges, & Principes Absoluti eligere sibi in Confessarium Sacerdotem simplicem, ubicunque fuerint: sed id ad eorum familiam non extenditur: Bus. & alii, &c.

III. Ab homine privilegium habere possunt ii, quibus Pontifex, vel Episcopus concesserit. Hi autem nunquam concedunt, ut possis eligere Confessarium non approbatum; imo, si Episcopus id concederet, invalide concederet; quia non potest dispensare in jure Trident. In Suarez d. 28. s. 3. Cæterum, qui habet Bullam Cruciatæ, nullam habet in hoc speciale privilegium, ex Constitut. Innoc. XII. cit. §. 1. idemque est de Bulla Jubilæi.

Hinc infertur, Approbatum pro viris tantum non posse tempore Jubilæi audire confessiones mulierum: Suar. Lug. & alii contra alios apud Dian. An autem tempore Jubilæi possint Regulares absque licentia Superioris eligere sibi Confessarium approbatum tantum ab Episcopo? Affirmant Lug. Pelliz. Fill. & alii; quia in Bulla Jubilæi Pon-

Pontifices derogant privilegiis omnibus in oppositum, etiamsi speciali mentione dignis: sed melius negant Rodriguez, Reginald. & alii; quia cap. 1. *de Privilegiis* prohibetur, ne quis Religiosos absolvat invitis suis Superioribus. Idem à fortiori dicunt Faustus, Pelliz. & alii contra Bonac. Peyrin, & alios, &c. de Monialibus; quia, sicut approbatus pro viris tantum non potest tempore Jubilæi eligi à Mulieribus, ita nec à Monialibus, qui non est specialiter approbatus pro illis.

QUÆSTIO II.

De Officio Confessarii.

Confessarius quadruplex gerit Officium, Ministri, Judicis, Medici, & Doctoris, ex Trid. *sess.* 14. *de Pœnit.* c. 2. 5. 6. & 7. Hinc plures habet obligationes, nimirum probitatis, & scientiæ: item admittendi, ac docendi Pœnitentem: item injungendi Pœnitentias, Restitutiones, Denunciationes, Juramenta, & Ecclesiasticam Sepulturam. Porro de Pœnitentiis, necnon de Restitutionibus nihil hic, cum abunde dictum de eis sit propriis locis. De cæteris hic agendum. Itaque sit

CAPUT I.

Quid de probitate Confessarii?

Præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ dos est *Vitæ integritas, ac morum honestas*, ex cit. Constit. Clem. X. Maxime requiritur status gratiæ, dum absolvit: hinc

Quæres primo, Qualiter peccat Confessarius ministrans hoc Sacramentum in statu peccati mortalis?

Respondeo, Committere grave sacrilegium, utpote qui agit ut Minister Christi specialiter consecratus, adeoque est reus gravis irreverentiæ in Sacramentum; ejusque auctorem, cujus nomine conficit Sacramentum, & confert Gratiam: ergo omnino illicite, quamvis valide operatur: Doctores communissime.

Quæres secundo, Quid agere debeat talis Confessarius, si petatur ad audiendas confessiones?

Respon-

Respondeo, Non teneri determinate ad confitendum suum peccatum; teneri tamen vel confiteri, vel elicere actum contritionis juxta dicta d. 1. q. 1. c. 5. Si autem incipiat audire confessionem, & se conterat, antequam absolvat, per se loquendo, non videtur peccare, quia dum audit, nondum operatur, ut Minister Christi, seu nondum causat gratiam: Henr. Lug. Dian. Tambur. & alii contra Suarez, Arriag. Gon. & alios; per accidens tamen peccat, si nimirum temere, & imprudenter differat suam contritionem ad illas angustias temporis, quia se exponit se periculo non bene tunc conterendi. At, si vocetur ad audiendam confessionem alicujus mox morituri, & ob angustias temporis non possit sine magna difficultate se recolligere ad conterendum, non peccat, si non conterat; quia defectus contritionis in tali casu non imputatur illi, sed extremæ necessitati alterius; imo peccaret contra charitatem, si tunc non absolveret: Tamb. Lugo, & alii.

Quæres tertio, An Confessarius ligatus censura peccet absolvendo, si per contritionem se ponat in gratia? Respondeo affirmative, loquendo extra casum necessitatis, & de censura impediente actum Ordinis, & Jurisdictionis: qualis est excommunicatio major, suspensio ab officio, & interdictum personale speciale: & invalide quidem absolveret, si hæ censuræ essent vitandæ. Si vero non sunt vitandæ, illicite tantum, & quando se ingereret; si enim non se ingerat, sed esset requisitus, valide, & licite absolveret: Doctores communiter, ex Concil. Constant.

CAPUT II.

Quid de Scientia Confessarii?

Confessarius ea scire debet, quæ ad officium suum pertinent; ita ut mortaliter peccat, si sine debita scientia extorqueat licentiam audiendi confessiones, aut hanc exerceat extra articulum mortis: & similiter peccat Superior, qui scienter ipsum eligit, tolerat, aut permittit; quia exponitur periculo non rite administrandi hoc Sacramentum: Doctores communiter. Igitur, ut licite ministret Confessarius, triplicem habere debet scientiam, Habitualem, Actualem, & per interrogationes acquisitam.

§. I.

§. I.

Quid de Scientia Habituali?

ANTEQUAM ad audiendas confessiones accedat, tria scire debet Confessarius: Primo, Quæ pertinent ad seipsum, quam scilicet habeat potestatem, in quos pœnitentes, ad quæ peccata, ad quos casus, & censuras, & quænam sit formula absolutionis? Quare scire debet saltem in confuso, quot sint casus, & censuræ, à quibus ob reservationem nequit ipse absolvere, de quibus agendum q. seq. Secundo, Scire debet, quæ pertinent ad Pœnitentem, quo scilicet examine, dolore, ac proposito debeat esse dispositus, qua integritate confessionem instituere debeat, quam pœnitentiam pro qualitate peccatorum, & personæ subire debeat, de quibus actum est disp. anteced. Tertio, Scire debet, quæ pertinent ad ipsa peccata, quænam scilicet habent onus restitutionis, aut satisfactionis parti, denunciationis, aut alterius obligationis; quænam ex se sint mortalia, quænam venialia, unde discerni possint eorum species, & circumstantiæ mutantes speciem, de quibus partim actum est etiam disput. anteced. partim agendum infra.

Quæres primo, An talium scientia sit in Confessario requisita tum ad licite, tum ad valide absolvendum?

Respondeo, Requiri tantum ad licite absolvendum, dummodo sciat formam essentialem absolutionis, quia valor Sacramenti satis habetur, si ponatur à pœnitente materia proxima, & à Confessario forma cum debita intentione; & ad hoc sufficit, si Confessarius sciat formam essentialem, & peccatum sub ratione saltem confusa peccati, ut patet in articulo mortis, in quo quilibet indoctus Sacerdos moribundum valide absolvit: Suar. d. 28. s. 2. n. 12. & alii communiter contra Boss. putantem, invalide absolvere, qui ignorat distinguere inter mortale, & veniale. Si autem sit ita indoctus, ut ne sciat quidem rationem confusam peccati, invalide absolvit, quia non potest habere intentionem absolvendi, quod ne confuse quidem agnoscit: Tamb. c. 6, n. 6. addens, hunc casum esse difficilem, nisi is sit mente læsus.

Quæres secundo, Quanta debeat esse talis scientia in Confessario ad licite ministrandum hoc Sacramentum?

Respon-

Respondeo, Non requiri scientiam summam; imo hæc aliquando est minus utilis, quam scientia mediocris conjuncta cum naturali judicio, & praxi; quia, qui subtiliter vult omnia revocare ad apices theologiæ, sæpe seipsum, & pœnitentem implicat scrupulis, redditque odiosam Confessionem: Croix n. 1787. Satis ergo est scientia mediocris, qua ita in communi cognoscat, quæ frequenter in Confessionibus occurrunt, ut de aliis minus frequentibus saltem dubitare possit, sicque ea, vel ex libris, vel ex aliis Doctoribus scisciari possit; quia secus nullus reperiretur aptus ad confessiones, cum nullus fere cognoscat omnes peccatorum rationes, & omnes casus difficiliores: Suarez d. 28. s. 2. Bon. & alii. Addunt etiam communiter Doctores, majorem scientiam requiri in Confessario pro Civitate, quam pro oppido, rure, &c. quia majores, & magis impliciti sunt ibi casus, quam hic; item majorem in Confessario Ecclesiasticorum, quam tantum laicorum, quia ibi requiritur scientia etiam suspensionum, irregularitatum, &c. Cæterum, si Confessarius ipse dubitet, se non habere scientiam suo muneri sufficientem, deponere potest dubium, dum videt se rite approbari ab Ordinario: Bon. Tamb. & alii. Addunt demum Gob. t. 7. n. 321. & alii communiter, Confessarium debere scire plures sententias oppositas, quæ tamen solide sint probabiles, circa materias morales, quia sæpe, ubi non agitur de valore Sacramenti, non potest, nec expedit dirigere pœnitentem secundum unicam sententiam; sicuti nec Medicus potest omnes unica methodo curare. Tenetur autem sequi eas sententias, quæ, salvo valore Sacramenti, sunt utiliores pœnitenti; &, si sic possit, debet sequi probabiliores, ad magis vitandum periculum erroris etiam materialis: quare, si pœnitens sit paratus, eas sequi debet etiam Confessarius; sin minus, poterit se accommodare opinioni illius, juxta dicenda quæst. 4.

Quæres tertio, An peccat pœnitens, qui de industria quærit Confessarium minus doctum?

Respondeo affirmative; quia talis Confessarius nequit ei utiliter mederi: Suarez d. 27. s. 2. Præp. Dian. Tambur. & alii; secus vero, si non de industria; nam præsumere semper debet, omnes Confessarios expositos sufficienter esse doctos: quare, nisi contrarium tibi constet, potes pro libito mutare Confessarium, si forte ob verecundiam

cundiam nolis confiteri tuo ordinario, dummodo vere doleas, & proponas emendationem; quia uteris jure tuo; adeoque non est fraus ulla, aut dolus malus. Hinc monent communiter Doctores cum Bosc. d. 7. s. 7. n. 172. Confessarios non debere ita arctare pœnitentem, ut sibi tantum confiteatur; hoc enim esset tyrannice sibi usurpare libertatem à Christo omnibus pœnitentibus exhibitam, inquit Sanchez; quare, etsi sit valde expediens semper uni confiteri, tamen relinquenda est talis libertas, ne detur occasio sacrilegii; cum infirmum pœnitentem sæpe pudeat aliquid fateri suo ordinario, ne bonam æstimationem apud eum perdat.

§. II.

Quid de Scientia actuali?

SCIENTIAM actualem voco, quam habere debet Confessarius hic & nunc ex ipso pœnitente, audiendo ejus confessionem; quæ scientia consistit in attentione ad peccata, quæ affert pœnitens, & in judicio, quod de his ferre debet ipse Confessarius. Hinc

Dico primo: Peccat Confessarius, si audiendo confessionem non attendat ad peccata pœnitentis: Doctores communiter cum Suar. d. 28. s. 2. Ratio est, quia debet ferre sententiam per modum judicii, adeoque cum cognitione causæ: ergo debet, quantum moraliter fieri potest, ad omnia peccata pœnitentis attendere: uti debet pœnitens omnia, & singula ei dicere: peccat ergo, si eum absolvit, cujus peccata ob negligentiam non satis intellexerit; valide tamen absolvit, si propter somnum, aut aliorum cantum, aut animi distractionem, aliqua mortalia non intellexit; quæ tamen, si pœnitens postea sciat non fuisse tunc audita, tenetur iterum confiteri apud eundem, aut alium Confessarium ad integritatem confessionis servandam: Doctores communiter. Hinc specialiter cavere debet Confessarius, ne inter audiendum dormitet, ne distrahatur, ne omnino obliviscatur peccatorum, antequam injunxerit pœnitentiam. Si autem casu distrahatur, & ob notam sibi conscientiam pœnitentis præsumere possit id, quod non intellexit, esse quid leve, nec possit sine ejus molestia interrogare, potest tacere, & absolvere. Imo addit Gob. t. 7. n. 239.

quod, si per experientiam sciat, suum pœnitentem non solere committere mortalia, sed tantum se accusare v. g. de mendaciis possit illum absolvere, etiamsi ob distractionem non sit memor ullius peccati ab eo expressi: sed pro praxi expedit, ut jubeat repeti unum saltem veniale, puta ultimum, & sic absolvat.

Quæres, Quomodo Confessarius debeat recordari peccatorum pœnitentis, dum eum absolvit?

Respondeo, Si confessio fuerit valde longa, vel interrupta, satis esse, si recordetur, vel peccatorum in confuso, vel status pœnitentis, vel pœnitentiæ impositæ; & sic, si confessio fuerit interrupta per aliquot dies, sufficit, si pœnitens uno verbo dicat, *Accuso me de omnibus, quæ jam dixi* (addendo tamen alia, si forte de novo occurrerint) Ratio est, quia hæc sufficiunt Confessario ad judicium, vel absolutionem ferendam: Suarez d. 22. s. 6. in fine. Imo, si Confessarius pœnitentiam jam imposuerat, non est necesse, quod recordetur peccatorum, aut status pœnitentis, aut pœnitentiæ impositæ, dum actu absolvit; quia status ille recolendus fuerat ad formandum judicium, & taxandam pœnitentiam; ergo satis tunc erit recordari, quod ille fuerit sibi confessus, & judicatus dignus absolutione: Suar. ibidem. Si autem, quando audiebat confessionem, non habebat jurisdictionem, non audiebat ut Judex; ideoque debet repeti confessio saltem in confuso dicendo, *Me accuso de illis, quæ jam tibi dixi;* quia sic Confessarius poterit resumere cognitionem peccatorum, vel status pœnitentis: v. Tamb. l. 3. *Conf.* c. 2.

Dico secundo: Debet Confessarius formare judicium de auditis in confessione, antequam absolvat; non tamen tenetur judicare de singulis peccatis in particulari: Doctores communiter cum Suarez d. 20. s. 2. Bonac. & aliis. Ratio primæ partis est, quia tenetur taxare debitam, ac proportionatam pœnitentiam: ergo debet prius facere judicium de merito causæ. Ratio secundæ partis est, quia multoties nequit ferre judicium determinatum in hoc vel illud peccatum pœnitentis, an fuerit mortale, an veniale; sive quia pœnitens nequeat se melius explicare; sive quia discerni nequeat, an adfuerit plena advertentia, plenus consensus, &c. sive demum quia ipse Confessarius ignoret omnes rationes, & circumstantias peccatorum in particulari, ad quod ex dictis

non

non tenetur, sed sufficit, si sciat communiter, quæ sint mortalia, quæ venialia, ut possit debitam pœnitentiam, & remedia prudenter humano modo injungere; sic enim virtualiter fert judicium eo modo, quo ea potuit cognoscere: Bon. Tamb. & alii.

Hinc, si post datam in tali casu absolutionem Confessarius, vel Pœnitens, re melius considerata, advertat, esse veniale, quod absolutum fuit, ut mortale, ad nihil tenetur; si advertat esse mortale, quod absolutum fuit ut veniale, tunc, si Confessarius poterat illud mortale absolvere, ad nihil etiam tenetur; quia fuit directe absolutum; si vero non poterat absolvere, utpote reservatum. &c. tenetur pœnitens illud iterum confiteri, ut absolvatur directe; ut & Confessarius eum monere de hoc debet, juxta infra dicenda. Cæterum, si pœnitens confitendo afferat casum difficilem, quem Confessarius nequeat hic & nunc resolvere, potest primo Confessarius adjuvari ab ipsomet pœnitente, si is satis pius, & doctus sit, cujus judicio stare possit; præsertim quando casus est de professione, quam pœnitens peritus exercet, ut si sit peritus mercator, poterit Confessarius ei fidem dare dicenti v. g. talem contractum non continere usuram, &c. Secundo, Potest differre absolutionem, donec libros consulat, vel doctiores interroget de casu tacita persona, quod fit præsertim in casibus pertinentibus ad jus: Tertio, Si agatur de restitutione, satisfactione partis, &c. poterit etiam tunc absolvere, si pœnitens promittat, se facturum quidquid deinde judicatum fuerit: Bonac. & alii.

§. III.

Quid de interrogationibus Pœnitenti à Confessario faciendis?

Dico primo: Confessarius non tenetur interrogare pœnitentem, si sciat, eum bene nosse quid requiratur ad validam confessionem: Doctores communiter. Ratio est, quia obligatio Confessarii ad interrogandum succedit ad defectum pœnitentis: ergo, &c. Hinc pœnitentes, qui prudenter existimantur docti, ut Religiosi, Sacerdotes, aliique in Theologia versati, non sunt facile interrogandi, nisi manifestum sit omitti, vel non

facile discerni aliquod necessarium. Imo, si vir doctus in aliis peccatis addat circumstantias, numerum, &c. & in uno aliquo hæc omittat, præsumi potest, quod in ejus commissione, vel non advertit ad tales circumstantias, vel non apprehenderit ut mortale.

Dico secundo: Confessarius tenetur interrogare pœnitentem, si advertat, eum deficere in integritate confessionis, aut ignorare, quid requiratur ad ejus valorem, &c. Doctores cum D. Th. contra Med. Sot. Henr. Vasq. & alios putantes, non teneri interrogare eum, qui se examinavit, nisi quando cederet in detrimentum tertii. Ratio communis sententiæ est, quia Confessarius, ut Judex, cognoscere debet causam pœnitentis secundum omnia mortalia, numerum, species, & circumstantias mutantes speciem, quæ pœnitens tenetur ei dicere, ejusque sententiæ submittere: ergo, si advertat pœnitentem in his deficere, tenetur interrogare, etiamsi pœnitens sit Princeps, Imperator, &c. Similiter tenetur interrogare peccata omissionis spectato statu pœnitentis, si advertat, eum ad hæc non animadvertere; & similiter interrogare tenetur, si advertat, eum deficere in dolore, &c. ideoque etiam pœnitentem sæpe lapsum post ultimam confessionem tenetur interrogare de consuetudine præterita, occasione proxima, &c. juxta dicta d. 1. q. 4. Cæterum pro praxi sit hæc regula: Confessarius non tenetur exactius interrogare, quam teneatur pœnitens se examinare. Hinc

Infers primo, Confessarium post moralem diligentiam in interrogando non teneri amplius interrogare, etiamsi putet, quod, si plus interrogaret, plus nosceret, aut distinctius intelligeret tale peccatum; ideoque non expedit minutissimis interrogationibus torquere pœnitentem, sed humano modo, quamvis omittenda sit aliqua differentia, aut numerus alias aperiendus: Tamb. & alii.

Infers secundo, Non teneri, nisi leviter interrogare, si timeat, vel sibi, vel pœnitenti aliquod periculum peccati exactius examinando; quia præceptum integritatis materialis non obligat, si impleri non possit sine periculo, scandalo, aut gravi molestia. Hinc caute procedendum in peccatis præsertim carnalibus, ut non instruat pœnitentem ad peccandum, ut inquit D. Thom. ne Confessarius ipse, maxime si juvenis sit, scandalum pariat, vel de seipso suspicionem faciat, ut ait Gob.

Quare,

Quare, si spectatis omnibus prudenter judicet Confessarius interrogandum de peccatis carnalibus, utatur formulis, quoad fieri potest, honestis, & primo interroget de verbis; si pœnitens neget, & sit puer, vel puella, plerumque non opus est ulterius procedere. Si affirmet, interroga, quo fine hæc dixerit, &, si fateatur finem pravum, interroga, quid inde fecerit, & sic deinceps procedendo ad opera: si enim non sic interrogentur pueri, sæpe tacebunt. Sæpe etiam homines rudes interrogandi sunt de cogitationibus pravis, quia plerumque putant, quod non sint peccata. At non facile interroges conjuges de debito conjugali: sed, si prudenter suspiceris, quod illud denegent, quære, an inter se sint unanimes, &, si rei sint, facile erumpent.

Infers tertio, Interrogationem debere esse discretam, spectato statu, sexu, ætate, qualitate, natura, & viribus pœnitentis: ideoque minus interrogandus est æger, quam sanus, ne nimium fatigetur; magis rusticus, quam civis, quia rudiores minus sciunt confiteri; magis qui è longo tempore, quam qui brevi non est confessus; magis qui plura peccata, quam qui pauciora solet afferre, quia hic facilius recordatur. Sæpe etiam ex circumstantiis personæ oritur motivum interrogandi, ut si homo alias innocens dicat, se habuisse delectationem morosam, est interrogandus, an voluntariam, an cum plena advertentia; secus vero, si assuetus sit rebus venereis. Denique complicum nomina nullatenus requirat, ne sub prætextu quidem, quod velit, aut possit eis prodesse.

Infers quarto, Pœnitentem rudiorem ordinarie interrogandum, an sciat articulos fidei, quando ultimo sit confessus, an aliquid tunc omiserit, an tunc doluerit, an pœnitentiam expleverit, & an sit ligatus matrimonio: si incidat dubium, an prior Confessarius satis illum examinaverit, præsume satis examinatum, nisi clare deprehendas oppositum, quia præsumi debet officium suum bene expleviisse: Gob. t. 7. n. 321. An autem possit Confessarius supplere defectum pœnitentis, qui nihil se examinavit, dictum est d. 1. q. 2. c. 1. ubi id fieri tantum posse diximus, cum pœnitens est ita rudis, ut nequeat seipsum examinare.

Infers demum, Confessarium teneri interrogare pœnitentem tacentem mortale, quod clare commisit, dum-

modo advertat, tale silentium oriri ex malo examine, aut verecundia. At quid, si ille interrogatus neget? Dico, si Confessarius scit illud peccatum ex aliorum relatione, potest dissimulare, & absolvere, quia in tali casu pœnitentis potius dicto stare tenetur, cum non sit major ratio credendi aliis; si vero ipsemet Confessarius illud vidit; tunc, si non constat, eum scienter, & deliberate peccasse, nec alias confessum fuisse, nec habere causam rationabilem negandi, potest etiam absolvere, quia in dubio quilibet debet præsumi bonus, atque ideo recte dispositus, nisi contrarium clare constet: si vero Confessarius sciat evidenter, quod peccatum commiserit, & quod alias confessus non sit, & quod non habeat rationabilem causam negandi, non potest absolvere, quia tunc constat, absolutionem esse nullam: Suarez d. 31. s. 3. & alii: sed, ut bene Tambur. rarissima est talis evidentia, ideoque regulariter videtur danda absolutio.

CAPUT III.

Quid de obligatione admittendi, & docendi pœnitentem?

VIDENDUM, Quis Confessarius, & Quoties teneatur admittere pœnitentem ad confessionem, ejusque ignorantiam docendo, ac monendo tollere? Sit

§. I.

Quid de Confessario admittente Pœnitentem ad Confessionem?

DICO primo: Parochus, aut alius habens ex officio curam animarum, regulariter tenetur sub gravi admittere subditum ad confessionem toties, quoties subditus vult ei confiteri: Doctores communiter cum Suarez d. 32. s. 1. n. 4. contra Med. Armil. Reginal. & alios paucos. Ratio est, quia Parochus tenetur ex justitia ministrare Sacramenta suis subditis, ideoque dicitur Confessarius ex officio: ergo regulariter toties tenebitur, quoties subditus petierit ei confiteri. Dixi *Regulariter*; nam non peccat, si tunc temporis detineatur gravioribus negotiis, ita ut nequeat illius confessionem excipere; neque,

que, si subditus irrationabiliter petat, aut si non expediat ejus saluti, ut accidit cum scrupulosis, qui sæpius redeunt ob inanes apprehensiones: excusant tamen à mortali Nugnus, & alii Parochum, qui semel, aut iterum deneget confessionem petenti etiam rationabiliter, quod nec improbat Bonac. d. 5. q. 7. p. 4. n. 23. modo sciat, illum non solere confiteri nisi venialia, & importune, & nimis frequenter confiteri velit; quia habenda est etiam ratio aliorum negotiorum, & obligationum, quibus premuntur Parochi, ut notat etiam Suar. Ex qua ratione à fortiori excusatur Episcopus, cum habeat universalius regimen, & quamplura negotia, quibus passim detinetur; ideoque, si petatur à subdito, potest (præcisa gravi necessitate) eum remittere ad Parochum, vel ad alium substitutum, ut audiatur: Bon. ib.

Infers ex dictis, Parochum tempore pestis non posse populum suum deserere, nisi alteri æque idoneo officium suum cum consensu Episcopi committat, aut resignet: Laym. Val. & alii communiter. Si autem tunc sit solus, potest deserere, quem prudenter putat non esse reum mortalis, ut se servet incolumem pro aliis indigentibus confessione; ideoque etiam curare debet, ut ex loco libero, seu aere non infecto eorum confessiones audiat, & tunc pœnitens peste affectus dicere publice potest unum tantum veniale, juxta dicta q. 1. c. 1.

Dico secundo: Reliqui Confessarii, qui non habent ex officio curam animarum, non tenentur admittere ad confessionem pœnitentes, nisi in extrema necessitate: Doctores communiter. Ratio est, quia hi non sunt Confessarii ex officio, sed voluntarii: ergo liberum ipsis est, quos volunt, & quando volunt, ad confessiones admittere; nisi urgeat præceptum charitatis: puta, si peccator moriturus sit, nec adsit Parochus, à quo absolvatur; idemque est, si populus laboret peste, nec adsit Parochus, aliusque Confessarius, in quibus casibus tenetur etiam simplex Sacerdos assistere, quia *Debemus pro fratribus animam ponere*, Joan. Ep. 1. Si autem simplex Confessarius suscipit curam alicujus pœnitentis, quem existimat dignum frequenti communione, & is petat confiteri, quoties communicat, agit saltem contra consilium si non admittat, inquit Jo. Sanch. d. 31. n. 12. imo etiam contra decretum Inn. XI. *de Communione quotidiana*, inquit Croix l. 6. p. 1. num. 670.

§. II.

Quid de Confessario Pœnitentem docente?

SI Confessarius advertat pœnitentem ignorare mysteria necessaria fidei, tenetur ante omnia eum docere, vel absque absolutione remittere ad Parochum, ut addiscat, juxta dicenda q. 4. Si advertat, eum ob ignorantiam, sive culpabilem, sive inculpabilem accedere indispositum, tenetur ante omnia docere, ac disponere, quia tunc proprie debet agere munus Doctoris. Cæterum homines bene educati, & qui frequenter confitentur, prudenter supponuntur scire hæc omnia; ubi tamen esset prudens ratio dubitandi, tenetur Confessarius docere. Difficultas est, quando pœnitens accedit cum ignorantia inculpabili circa tale, vel tale peccatum, vel circa obligationes inde sequentes? Qua in re

Dico primo: Si talis ignorantia est contra pœnitentem, tenetur Confessarius eum docere: Sanch. l. 2. *Matrim.* d. 38. num. 5. Tamb. Franc. & alii communiter. Ratio est, quia secus maximum pœnitenti damnum enascereretur: v. g. si Confessarius advertat, pœnitentem putare aliquid, quod aliquando fecit, esse peccatum, quod in se tale non est; vel esse mortale, quod tantum est veniale; debet dedocere talem errorem, ne ob conscientiam erroneam pergat sic peccare.

Dico secundo: Si ignorantia inculpabilis sit in favorem pœnitentis, per se loquendo, tenetur etiam Confessarius eum docere: Sanch. loc. cit. & alii communiter. Ratio est, quia tenetur Confessarius, per se loquendo, cavere peccata etiam materialia pœnitentis: v. g. si is putet, aliquod non esse peccatum, quod in se peccatum est; & sic speciatim est docendus, qui laborat ignorantia turpitudinis, quæ reperitur in mollitie, si eam committat; nam vix est in hoc ignorantia invincibilis: &, quamvis esset, tamen prudenter judicari potest, admonitionem profuturam; adde quod ignari hujus malitiæ facile alios seducunt, aut pessimum habitum inducunt, quam postea difficile emendant. Dixi, *Per se loquendo*; nam per accidens aliquando præstat tacere, si nimirum prævideat, pœnitentem, ignorantia ablata, satis difficulter emendandum; quia minus malum est millies peccare materialiter, quam semel formaliter: Suar. Vasqu. Sanch. Con. & alii plusquam 48.

Docto-

Doctores apud Dian. p. 3. t. 4. r. 80. contra Gonzal. Elizald. aliosque probabilioristas. Neque dicas, talem non esse dispositum, cum non sit paratus implere omnem Dei legem; nam ratione ignorantiæ invincibilis est pro nunc rite dispositus, & paratus implere omnem Dei legem, quam cognoscit, & aliunde nulla est necessitas explicandi aliam legem, quam prævidetur difficillime observaturus: hinc D. August. citatus cap. *Si quis autem, de Pœnitent. d.* 7, ait, *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, te non terrerem.*

Hinc, si Confessarius prudenter judicet, pœnitentem ignorantem invaliditatem sui matrimonii adhuc remansurum in eo, si aperiat impedimentum, expedit non aperire, nisi interrogetur, nec sit in promptu dispensatio, ex dicendis de Matr.; idque verum est, etiamsi pœnitens sciat, se contraxisse illicite, non autem invalide: Tamb. & alii. Similiter, si prævideat confessarius, pœnitentem non restituturum, si ei aperiat obligationem, quam habet, sed ignorat, neque expedit aperire, si non interrogetur, etiamsi id sit in præjudicium tertii; quia frustra erit talis admonitio, & nocens potius pœnitenti: Sanch. num. 7. Tamb. & alii. Addit Lug. d. 22. s. 2. n. 30. hæc procedere, etiamsi putares quidem, pœnitentem susceperum admonitionem, sed tamen remedium esse difficillimum ratione infamiæ, scandali, &c. quia majus est tale damnum, quam peccatum materiale: & similiter, si putares, pœnitentem nunc difficile accepturum remedium, sed alia vice melius accepturum, poteris nunc eum relictum in bona fide absolvere. At, si nesciat, vel dubitet, an sua admonitio profutura sit pœnitenti, an damnum allatura; tunc comparanda est utilitas, quæ sub eo dubio speratur, & damnum, quod sub dubio timetur; atque illud fiat, quod magis præponderare in Domino judicabitur: Tamb. & alii.

Dico tertio: Si pœnitens prudenter dubitans interroget Confessarium de re aliqua, an sit peccatum, vel an ad aliquid obligetur, necne; per se loquendo, tenetur Confessarius aperire veritatem: Sanch. & alii communiter. Ratio est, quia, si tunc taceret, illud silentium esset erroris approbatio, quod nunquam licet. Dixi primo, *Prudenter dubitans*, nam, si sit merus scrupulus sine fundamento, posset non responderi, quia non tollitur bona fides, ut explicat Sanch. num. 51. Dixi secundo, *Per se loquendo*, quia, si veritas esset pœnitenti, vel aliis

gravius obfutura, adhuc posset Confessarius dissimulare, quasi non audivisset, aut oblitus esset respondere; quia tunc dicere veritatem esset gladium illi porrigere, quo se, vel alium formaliter jugularet : Lug. apud Arr. Tann. Dicast. & alii. Ad quid autem teneatur Confessarius, si, cum deberet, non admonuit pœnitentem de restitutione facienda, vide in Tract. de Restit. dicta d. 1. q. 5. c. 6. quæsit. 2.

CAPUT IV.

Quid de obligatione monendi Pœnitentem ad denunciationem ?

In multis tenetur Confessarius monere pœnitentem ad denunciandum, & primo in impedimentis dirimentibus matrimonium, juxta dicenda in Tract. de Matrim. Secundo, In monitoriis contra scientes, & non revelantes, juxta dicenda in Tract. de Censuris : Tertio, In delictis pendentibus in damnum tertii, communitatis, aut innocentium, juxta dicta de Charitate proximi tract. 2. d. 2. q. 1. c. 2. §. 6. Quarto, Præcipue monere debet de obligatione, quam habet pœnitens sub pœna excommunicationis ipso facto reservatæ Papæ, si intra 12. dies (nunc intra mensem ex Decr. Congr. Generalis Inquisit. 1677.) à scientia delicti non denunciet hæreticos (modo non sint publice tolerati, etsi commixtim vivant cum Catholicis) vel quomodolibet suspectos de hæresi, ex præcepto Inquisit. Generalis Cardin. ann. 1623. Quinam autem sint hujusmodi suspecti de hæresi, fuse habes tr. 2. d. 1. q. 1. c. 2. §, 4. *de Suspectis de hæresi*, ubi etiam circa finem habes, quid de libris tantum contra bonos mores? Porro de libris hæreticorum recurret fusior sermo q. seq. in Append. ubi de casibus reservatis in Bul. Cœn. Jam vero de Confessariis sollicitantibus ; proindeque denunciandis, quoniam hic proprie locus, idcirco de iis hic fusius agam. Igitur obligatio denunciandi Confessarios sollicitantes habetur ex Constitutionibus Pauli IV. Pii IV. Pauli V. & Greg. XV. sed quoniam Bulla Greg. XV. præcipua est in præsenti materia regula, ac norma, idcirco ejus præcipue verba hic referemus, & explicabimus.

Itaque Bulla Greg. XV. quæ incipit *Universi Dominici gregis*, edita an. 1622. sic habet : *Statuimus, &c. quod omnes,*

omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares cujuscunque dignitatis, &c. qui perſonas, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet pertractanda in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediate, ſive occaſione, vel prætextu confeſſionis hujusmodi, etiam ipſa Sacramentali confeſſione non ſequuta, ſive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut loco quocunque, ubi confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquiſitionis ſeveriſſime puniantur, &c. mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis. Quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra; iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant, &c.

* Præfatam Greg. Conſtitutionem nuperrime confirmavit Ben. XIV. in Bulla edita an. 1741. quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, ubi declarat, ſollicitantem eſſe denunciandum, *Etiamſi Sacerdos ſit, qui jurisdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſollicitatio inter Confeſſarium, & Pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitanti pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit.* Venio jam ad explanationem Bullæ Greg. XV.

I. *Omnes, & ſinguli Sacerdotes, &c.* Eſt ergo denunciandus etiam ſimplex Sacerdos ſollicitans: Pal. tr. 4. d. 9. p. 9. & alii communiter contra Bordon. & Leand. * quorum ſententia nullo modo cenſenda eſt probabilis, præſertim, poſt laudatam Ben. XIV. Declarationem * Non autem, ſi Confeſſarius ſollicitans ſit Epiſcopus, vel Nuncius, vel Legatus, vel Officialis Sedis Apoſtolicæ, quia hi non ſunt ſubjecti Inquiſitoribus: Pal. num. 2. & alii. Neque, qui fingens, ſe eſſe Sacerdotem, ſollicitet, audiendo confeſſionem: Pal. p. 9. n. 5. & alii communiter: ſi autem hic etiam abſolvat, etiamſi non ſollicitet, eſt denunciandus, utpote ficte miniſtrans Sacramentum ex Conſtit. Greg. XIII. Neque demum eſt denunciandus interpres, licet ſit Sacerdos, ſi pœnitentem ita

in

in confessione sollicitet, quia potius se tenet ex parte pœnitentis, ut nec denunciandus est ipse pœnitens sollicitans Confessarium. Pal. & alii.

II. *Personas, quæcunque illæ sint.* Hoc est, sive mares sint, sive feminæ; imo, etiamsi sint pueri, vel puellæ rationis expertes; solent enim parentes filios suos nondum rationis capaces Confessariis præsentare, ut eos paulatim ad hoc Sacramentum alliciant; unde, si Confessarius aliquem ex ipsis sollicitet, est denunciandus: Poteſt. t. 2. p. 3. c. 3.

III. *Ad inhonesta, &c.* Si Confessarius sollicitet ad furtum, homicidium, aut aliud gravius crimen, quamvis mortaliter peccet, non est denunciandus, sed tantum, si sollicitet ad res venereas, quod habetur, quomodolibet turpiter agat, tangat, loquatur, vel provocet ad obscæna, sive secum, sive cum aliis, sive etiam, ut mediet pro se, vel pro aliis, & probabilius, etiamsi turpiter tangat feminam inter confitendum somno, aut gravi morbo correptam; quia sic etiam tentat provocare: Bonac. Graff. & alii contra Jo. Sanc. aliosque. Imo, licet tantum tradat chartam continentem obscæna postea legendam, ut constat ex Prop. 6. damnata ab Alex. VII. *Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.* Imo, etiamsi famulo hujusmodi chartam det, alteri tradendam, quia in confessione ponit medium aptum ad sollicitationem. Denique, si inhonestos sermones, vel tractatus habeat, etiam sine animo provocandi pœnitentem ad turpia. Si autem actus externus sollicitationis sit de se venialis, ut si manum, vel pedem feminæ tangat, laudet de pulchritudine, &c. Pal. & alii apud Dian. putant, non esse denunciandum, dummodo pœnitens intelligat, Confessarium non habere animum progrediendi ulterius. Sed communiter contradicunt alii apud eundem Dian. quia, quamvis hæc extra Sacramentum forent venialia; tamen sunt mortalia, si fiant tempore confessionis, ob gravem injuriam irrogatam Sacramento: sicuti parum cibi relate ad jejunium prævium communioni. Hinc Peyrin. & alii apud eundem Dian. docent, esse denunciandum, etiamsi sollicitatio fiat verbis ambiguis, & obscuris: nisi tamen constet, vel rationabiliter præsumatur, hæc prolata esse absque animo sollicitandi.

In

In dubio autem de hac prava intentione : Bonac. Sanctarel. & alii dicunt, ita esse præsumendum, ex communiter contingentibus: addit tamen, oppositum à nonnullis Doctoribus existimari, quia in dubiis, & obscuris benignior interpretatio est facienda: *Reg. Jur. in* 6.

IV. *In actu Sacramentalis, &c,* Sex hic designantur casus sollicitationis denunciandæ: Primo, Si fiat *in actu Sacramentalis confessionis!* non ergo est denuncianda sollicitatio facta in administratione aliorum Sacramentorum: Castropal. & alii: Secundo, Si fiat *Immediate ante, vel post confessionem*, ita ut inter hanc, & sollicitationem nihil aliud mediet, quo se uterque diverterit; unde, si extra Confessionale impudice loquantur sine ulla intentione prævia confessionis, & postea pœnitens tactus conscientia confessionem postulet, non tenetur denunciare, quia per accidens sequuta est confessio. Similiter, si post absolutionem alio externe divertant, & confessarius postea sollicitet extra confessionale, non videtur denunciandus. Pal. Jo. Sanc. Ægyd. Tertio, *Occasione confessionis*, nimirum petitæ, vel factæ, ut si hodie vocatus ad audiendam cras confessionem, cras accedat, & nullo facto verbo de confessione sollicitet; vel si post auditam hodie confessionem, & peccatum venereum pœnitentis, cras ad id eum sollicitet, Doctores communiter; vel si pœnitens dicat Confessario, velle cras confiteri, & is statim sollicitet; sumit enim occasionem ex petitione confessionis: Potestà, & alii contra Leand. Quarto, *Prætextu confessionis*, hoc est ejus ficto colore, ac velamine, ut si Confessarius ficte invitet ad confessionem, & accedentem ad Ecclesiam sollicitet, nullo sequuto verbo de confessione: Bord. & alii; vel si mulier ex condicto vocet domum suam Confessarium, fingens, se velle confiteri, & pariter sequantur obscœna: Potestà, & alii communiter: Quinto, *In Confessionali*, quod scilicet construi solet ex tabulis ligneis cum lamina perforata, & collocatur in Ecclesia, Sacristia, Aula, &c. unice ad audiendas confessiones; in hoc ergo Confessarius sedens, si turpiter loquatur cum quavis persona stante, aut sedente ante illud, est denunciandus, etsi nulla adsit intentio, occasio, prætextus, aut simulatio confessionis. Potestà, & alii contra Leand. requirentem simulationem confessionis. Sexto, *In loco quocunque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur*, quale est genuflexorium in Sacristiis pro præparatione Sacerdotum,

tum, & gratiarum actione, ubi etiam confessiones audiri solent: *seu ad confessionem audiendam electo*, scilicet hic & nunc ex placito Confessarii, ut scamnum, domus &c. Atque in his locis pro denunciando sollicitante requiritur simulatio confessionis; additur enim in Bulla *Simulantes ibidem confessiones audire.*

V. *Mandantes omnibus Confessariis, &c.* Ex quibus verbis eruitur, teneri Confessarios sub gravi monere pœnitentem ab alio sollicitatum de denunciatione facienda; ita ut, si culpabiliter non moneat, aut positive deobliget, puniri possit ab Ordinariis locorum, & ab Inquisitoribus, & incurrat etiam excommunicationem reservatam, aliasque pœnas latas contra non monentes, aut deobligantes à denunciando hæreticos, vel quomodolibet suspectos de hæresi: Potestà, & alii ex Bulla Alexand. VII. *Licet alias*, an. 1660. confirmante ampliative Bullam Pauli V. *Romanus*, an. 1606. Quod si Confessarius sit idem, qui sollicitavit; tunc, si potest se ipsum deferre ad Inquisitores, vel Ordinarium, antequam denuncietur à pœnitente, tenetur monere pœnitentem de denunciatione facienda, quia sic sibi non nocet; cum omnem pœnam declinet: si autem id facere nequeat, non tenetur monere contra se; pœnitens tamen non declinabit obligationem suam, ut mox dicam.

VI. *De Obligatione, &c.* Obligatio denunciandi Confessarium sollicitantem urget personam sollicitatam, seu mas sit, seu femina. Item eum, qui talem sollicitationem vidit, aut propriis auribus audivit. Item eum, qui scit auditu immediato ex dicto ipsius sollicitantis, aut personæ sollicitatæ, dummodo sit fide digna; idque, etiamsi ab his sciverit sub secreto naturali, & jurato: nisi vero secretum sit ex consilio petito, cum consilium inductum in favorem non sit retorquendum in detrimentum: Potestà, & alii. Qui autem scit auditu mediato, nempe à tertia persona etiam fide digna, excusatur à denunciando à Bordon. quia *l. 2. ff. de Aqu. pluv.* de auditu mediato dicitur: *Quod audis, nescire diceris.* Sed non excusatur à Bon. Potest. & aliis, quia dat viam inquirendi in causa Fidei, & hoc colligitur ex edicto Inquisitionis universalis, ubi habetur, *Qui scierit, vel audierit.*

Quæres primo, Cui fieri debeat hujusmodi denunciatio?

Re-

Reſpondeo, Deberę fieri judicialiter Tribunali S. Officii, ubi eſt, vel Ordinario loci ex hac ipſa conſt. Greg. XV. & quidem nulla præmiſſa correctione fraterna, utpote in cauſa Fidei ex citata Bull. Alex. VII. *Licet alias;* quidquid olim docuerunt Doctores. Fieri autem debet, ubi non eſt Tribunal S. Officii, intra 12. dies à ſcientia delicti ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſervata Papæ ex præcepto Inquiſit. univerſalis an. 1623., ſed nunc ſatis eſt, ſi fiat intra menſem ex decreto Inquiſitionis Generalis an. 1677. Si autem pœnitens obligatus ad denunciandum ante dictum tempus petat confeſſionem, abſolvi poterit, modo ſit timoratæ conſcientiæ, & promittat, ſe ante præſtitutum tempus denunciaturum, quia ſic ſatis eſt diſpoſitus ad Sacramentum: Bordon. & alii. Si vero ob denunciationem tempore præfinito omiſſam incidit jam in excommunicationem, Dian. contra Lucium ait, nec poſſe abſolvi ab habente privilegium in caſus papales, niſi prius denunciet, quia ſatisfaciendum eſt parti in cauſa ſpectante ad Fidem.

Quæres ſecundo, Quinam ſollicitantes excuſentur ab hac obligatione denunciandi?

Reſpondeo primo, Non excuſari ſollicitatum à denunciatione per hoc, quod confiteatur cum ſollicitante, & hic eum abſolvat abſque onere denunciandi, ut conſtat ex Prop. 7. ab Alex. VII. damnata: *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitans confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt illum abſolvere abſque onere denunciandi.* Ratio eſt, quia onus denunciandi imponitur pœnitenti ſollicitato à Pontifice, non à Confeſſario: qui tantum illud declarat: ergo, licet Confeſſarius id non faciat, adhuc tenetur pœnitens ad denunciaciationem. Neque excuſatur, ſi ſollicitationem probare non poſſint, ut docent communiſſime contra nonnullos apud Mendo. Ratio deſumitur tum ex praxi inquiſitionis, tum ex verbis hujus conſtitutionis, *Teſtibus etiam ſingularibus.* Similiter non excuſatur, ſi femina ſollicitata ſit complex, ſeu ſollicitationi conſenſerit: ita contra Portell. Simanch. Pegna, & alios apud Dian. docent communius cæteri cum Bonac. Avegn. Sanctarel. Dian., & patet ex quadam epiſtola nomine Urbani VIII. ad Archiepiſcopum Mediolanenſem miſſa an. 1624. apud eundem Dian. & alia miſſa ad Archiepiſco-

piscopum Neapolitanum Caracciolo 27. Sept. 1614. * & præcipue ex supra citata declaratione Bened. XIV. * Esto non debeat talis femina suum consensum prodere, nec de eo interrogari, nec in actis Curiæ scribi, etiamsi à complice Confessario manifestaretur; idemque est, si ipsa prior sollicitaverit, & Confessarius etiam minis coactus consenserit, quia jam habetur tractatus de rebus obscœnis: secus vero, si Confessarius eam repulerit, ut patet. Probabilius nec excusatur, si constet, Confessarium esse emendatum, ut contra Sot. Peyr. Lez. Pal. docent Suar. Bonac. Dian. Potest. & alii, quia finis denunciationis etiam in suspectis de hæresi est punitio delinqnentis ad aliorum exemplum. * Accedit, quod Bened. XIV. declaravit, denunciationem esse faciendam, etiamsi longum tempus post sollicitationem effluxerit. *

Respondeo secundo, Sollicitatum excusari à denunciatione facienda ob impotentiam physicam, vel morlem. Hinc, si ob ægritudinem, vel clausuram, aliudve impedimentum non possit personaliter accedere ad Judicem, ad id non tenetur; sed in hoc casu, quamquam Sanch. Henr. Azor. & alii dicant, non teneri pœnitentem ad denunciandum per literas, quia hæ amitti pos. sunt, neque per internuncium, quia apud hunc infamaret Confessarium: tamen absolute dicendum, quod, qui non potest personaliter accedere ad denunciandum, monere debet Judicem per internuncium, ut mittat domum Notarium, & aptior Nuncius esse potest aliquis Confessarius, cui etiam Judex committere potest, ut recipiat denunciationem in scriptis cum juramento, & subscriptione denunciantis ex Decr. S. Congr. jussu Urb. VIII. an, 1624. apud Bordon. Ratio est, quia sumus in causa spectante ad bonum publicum. Quod si pœnitens, neque per internuncium denunciare possit, Tambur. & alii dicunt, Confessarium non teneri vices pœnitentis supplere, quia onus denunciandi non est Confessarii, sed pœnitentis; sed oppositum eruitur ex citata Epistola ad Archiepiscopnm Mediolanensem, & ratio est, quia agitur de causa Fidei. Neque tenetur pœnitens denunciare, si ex denunciatione immineat damnum notabile, puta jactura famæ, honoris, vitæ, aut magnæ partis bonorum sibi, vel suis consaguineis, & affinibus, quia sollicitans non est hæreticus formalis, sed suspectus de hæresi, ideoque præceptum denunciationis non obligat cum tanto onere: Lezan. & alii

apud

apud Dian., qui idem docent, si Confessarius sollicitans sit consanguineus personæ sollicitatæ, quia damnum illius censetur damnum proprium, quod extendunt aliqui ad quartum gradum, sed nimis laxe, alii etiam ad vinculum arctissimum amicitiæ, sed laxissime: excusatur pariter, si sollicitator sit mortuus: Potest., & alii. Si persona sollicitata denunciavit, excusatur, qui ab ea audivit, quia nihil adderet; secus vero, si fuerit testis oculatus, aut auritus, aut si audierit ab ipso sollicitante: nisi vero iste seipsum detulerit apud Judicem.

Si femina sollicitata, eo quod sollicitationi consenserit, non possit induci ad denunciandum, videndum primo, an possit opinionibus benignis (vere tamen, ac solide probabilibus) liberari. Si non potest, Sacra Congregatio Inquisitionis annuente Pontifice decrevit in supra cit. Epist. ad Archiepisc. Mediolanens., ut Episcopus, vel Inquisitor tribuat Confessario facultatem accipiendi denunciationem in scriptis, & sub juramento, quam statim deferat ad Judicem competentem. At, si neque ad id possit pœnitens induci, voluit Pontifex, ut ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio, & interim non absolvatur pœnitens, utpote indispositus, & aliquando S. Sedes rescripsit, dando facultatem absolvendi pro ea vice pœnitentem citra onus denunciandi, quod fatebatur subire non posse prætextu magnæ verecundiæ, & panici cujusdam timoris.

VII. *Quod si hoc Officium, &c.* Ex his verbis eruitur, Confessarium, qui non monet pœnitentem de obligatione denunciandi, & sic eum absolvit, esse & ipsum denunciandum, ut suspectum de Fide. De obligatione autem denunciandi Confessarium non monentem eodem modo discurrendum, ac supra dictum est de obligatione denunciandi Confessarium sollicitantem.

* Illud denique hic adverte, quod ex Decreto Bened. XIV. die 5. Augusti 1745. Sacerdotes; vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel illius occasione, aut prætextu ad turpia sollicitantes perpetuam inhabilitationem incurrunt ad Sacrificii Missæ celebrationem. Eandem pœnam ex eod. Decr. incurrunt Sacerdotes abutentes Sacrificio Missæ ad sortilegia. *

CAPUT V.

De reliquis obligationibus Confessarii monendi Pœnitentem, & præsertim quoad Ecclesiasticam sepulturam eligendam.

CONFESSARIUS imponere debet pœnitentiam sub præcepto juxta dicta d. 1. q. 5. Supersunt exponendæ quatuor aliæ obligationes, quas hic quatuor numeris expendemus.

I. Confessarius in mortis articulo, vel periculo (vel etiam in impedimento perpetuo, juxta dicenda q. sequ.) absolvere potest pœnitentem ab omnibus casibus reservatis, & à qualibet etiam excommunicatione, juxta dicta q. 1. c. 1. ubi etiam dictum est, absolutionem à casibus reservatis, quibus non est adnexa excommunicatio, tunc impendi sine ullo onere pœnitentis; à casibus vero, quibus adnexa est excommunicatio reservata, impendi cum onere, de non reincidentia. Hinc, in percussione Clerici ex cap. *Ex tenore, de Sent. Excom.* & in omnibus casibus Bull. Cœn. ex clausul. 20. injungere debet Confessarius pœnitenti juramentum de standō mandatis Ecclesiæ, id est, quod iterum talia pœnitens non sit committurus; quod tamen Pelliz. & Dian. p. 5. t. 9. r. 23. dicunt, non esse ex necessitate sub mortali, quando absolutio datur in foro occulto conscientiæ. Rursus in casibus Bull. Cœn. aliud juramentum injungere debet, nempe de satisfacienda parte, si, quæ læsa fuit, nondum remisisse appareat, ex eadem clausul. 20. Addunt tamen Pelliz. & Dian. p. 2. t. 15. r. 42. quod, quando absolutio est in foro conscientiæ, & pœnitens non potest satisfacere parti, nec est imponendum tale juramentum, sed sufficit simplex propositum, ut in cæteris obligationibus: v. Sanch. l. 1. *Decal.* c. 13. n. 17. Denique in omnibus excommunicationibus reservatis aliud juramentum est exposcendum, quod scilicet pœnitens, propter impedimentum diuturnum ab ea absolutus à non habente alias facultatem, comparere debeat, si convalescat, quamprimum coram Superiore, sub pœna reincidentiæ in eandem excommunicationem, à qua fuerat absolutus, ex cap. *Eos, qui, de Sentent. Exc. in* 6. Addit tamen Tambur. l. 3. *Conf.* c. 6. n. 4. juramentum hoc de comparendo probabilius imponendum esse in sola percussione Clerici; cum in aliis excommunicatio-

nicationibus nullo jure caveatur; ideoque tantum expoſcendum erit onus comparendi; & Bordon, tr. 3. contr. 27. n. 20. putat, onus comparendi adeſſe ſolum, quando quis abſolvitur ab excommunicatione deducta ad forum contentioſum, cui conſentit Avil., eſto oppoſitum ſentiat Pal. Cæterum, ab impubere ejusmodi juramenta non ſunt expoſcenda; quia non præſumitur pollere uſu rationis, ut juramentum pro dignitate præſtet: Sanch. l. 2. *Decal.* c. 13, n. 26. Bonac. & alii. Neque quando judicatur, ea juramenta, aut onera impleri non poſſe, v. g. quando pœnitens ſit brevi moriturus, vel impedimentum fore perpetuum, quia fruſtra imponerentur: Pal. Tamb. & alii.

II. Confeſſarius magi, aut veneficæ, &c. monere debet eos teneri: Primo, Pactum expreſſum, ſi quod habent cum dæmone, aut commercium, abjurare, & diſſolvere: Secundo, Libros ſuos, ſchedas, ligaturas, aliaque inſtrumenta artis comburere: præſtat ea tradere Confeſſario ad comburendum; uti etiam chirographum, ſi quod habent: ſi vero ſolus dæmon id habeat, non neceſſario cogendus eſt, ut reddat; quia pactum ſufficienter diſſolvitur per pœnitentiam: Tertio, Damna illata reſarcire; ad quod proinde tenentur etiam hæredes, ſi ad eos bona deveniant; & ſimiliter fiſcus, ubi veneficorum bona confiſcantur: Laym. Suar. Sanchez, Fil. Buſemb. l. 3. t. 1. Denique energumenum, etſi propter peccata prius commiſſa obſideatur à dæmone, abſolvere poteſt vere pœnitentem; item poteſt aliquos exorciſmos exhibere ante ejus confeſſiones, ſi expertus ſit ſolere tunc à dæmone turbari; ex officio autem confeſſarius non exorcizet ſine præſcientia Superioris, ſed regulariter remittat ad Parochum, cui id munus incumbit: Gob. t. 8. n. 56.

III. Confeſſarius Rei, ſi hic tenetur crimen etiam capitale fateri Judici hic & nunc legitime interroganti, ſuadere, imo & obligare poteſt, ut fateatur; nec ideo ſit irregularis: Vaſq. Turr. Lug. Averſ., & alii. Dixi, *Si teneatur, &c.*, nam communior ſententia cum D. Th. eſt, teneri; probabile tamen eſt, etiam non teneri ſaltem ſub mortali fateri ſuum crimen, modo crimen ſit capitale, Judici etiam legitime interroganti, & ſimul ſit ſpes evadendi, & nullum grave damnum Reipublicæ timeatur, Sylv. Sa, Leſſ. Tann. cum Lugo dicente, eſſe ſententiam valde probabilem, & in pra-

xi tutam; quia inhumanum videtur, ut, qui convinci non potest, teneatur præbere arma contra se, quibus occidatur, aut gravem pœnam v. g. perpetui carceris subeat. Ideoque non semper opus est, ut Confessarius Reum urgeat ad crimen Judici fatendum.

Hinc, si per testimonia convictus neget Judici suum crimen, quamvis Suar. & Sanch. nolint, absolvi; tamen Hurt. & Portel. volunt, absolvi; quod, si etiam neget Confessario, Aversa. dicit, absolvendum, si saltem dubie præsumi possit non feciisse, quia hic potius credendum est Reo.

At, si ad vitanda tormenta falsum sibi crimen imposuit, non tenetur postea crimen revocare, quamvis antea perjurio confirmasset; quia non peccavit mortaliter ratione mendacii, cum non sit mentitus pernicioſe: Less. Lug. & alii; peccavit quidem ratione perjurii, sed hoc jam transiit; & sic non retractando nemini facit injuriam, ideoque sufficit coram Deo pœnitere: Tann. Less. Excipe, nisi inde grave damnum aliis sequeretur: Doctores cit.

Demum, si Reus coactus denunciavit alium innocentem, tenetur sub mortali ante suam condemnationem, &, si tunc non fecit, etiam post sententiam revocare; ad quod etiam à Confessario est obligandus: Tol. Less. Tann. & alii communiter: excipe, nisi tunc revocatio esset inutilis. At, si Reus sciat complices, tenetur revelare etiam non rogatus, si crimen sit exceptum: puta hæresis; &, si nolit, non est absolvendus: Nav. & alii. Si vero crimen non sit exceptum, & sit occultum, ita ut nec aliis indiciis, aut testimoniis convinci possit, non tenetur; imo nec potest eos revelare, si tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinarie non peccabit: Less. Laym.

IV. Demum, Confessarius moribundi monere eum potest de testamento, cui tamen ipse non assistat; tum etiam de electione sepulturæ, de qua, quoniam alibi non est locus agendi, aliqua hic breviter explicabo. Quilibet utriusque sexus (exceptis tantum Religiosis, & Impuberibus) etiamsi sit Uxor, Filiusfamilias, Clericus, Novitius, aut Servus, potest sibi eligere sepulturam in quavis Ecclesia, sive Seculari, sive Regulari, sive propinqua, sive remota, sive etiam in claustro, aut sacristia: Doctores communiter ex tit. *de Sepult.*; solum enim prohibetur, ne ullus intra Monasteria Mo-

nia-

nialium ſepeliatur: bene vero intra Eccleſiam exteriorem, ut addit Pelliz. *de Regul.* tr. 8. c. 5. n. 174. Denique, qui poteſt eligere, juxta communem ſententiam poteſt etiam committere alteri, ut pro ſe eligat; hic vero id poteſt etiam poſt ejus mortem, quia ejus mandatum, cum debeat habere effectum poſt ejus mortem, non exſpirat, ſed ex ejus intentione intenditur: Spial. Gutt. Paſq., & alii contra Gen., & alios. Non poteſt Parochus impedire electionem, dummodo ei detur quarta pars funeralium ſecundum conſuetudinem ſuæ Parochiæ; quod ſi quis plus petat, eo quod quis ſepeliatur apud Regulares, peccat, & excommunicatur per Clement., & Urban. VIII., Pignat. tom. 4. conſult. 208., & econtra peccant, & excommunicantur excommunicatione reſervata Religioſi, & Clerici ſeculares, qui aliquem inducunt ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias ad promittendum, ut eligat ſepulturam apud eorum Eccleſiam, vel ut non immutet eam electam: Clem. *Cupientes, §. fin. de Pœnitent.*; & talis electio eſt nulla, & per ipſam annullatur etiam alia electio libere ab eo facta, aut facienda, ex c. *Animarum, de Sepult. in* 6. Si autem ad id hortentur adhibitis etiam precibus non incurrunt, dummodo non obligent: Suar. Rodr. Nav. Portel., & alii contra Gloſſ. neque ſi obligent ad eligendam ſepulturam in Eccleſia alterius: Rodr. Tol, & alii, niſi fiat cum fraude, nempe ad inſtantiam alterius: Doctores cit.; neque ſi obligent ad eligendam ſepulturam in Eccleſia, in qua de jure debet ſepeliri, quia eſt in favorem Eccleſiæ, cui de jure: Rodr., &, quamvis in hoc opponantur Portel. & Paſq., dicunt tamen eſſe invalidam electionem.

Dum quis ex electione, ſive ex jure, ſepelitur in Eccleſia Regularium, Pignat. t. 3. conſult. 48. late probat, Parochum non tantum poſſe proſequi, ſed etiam cum Cruce, Superpelliceo, & Stola adſtare funeri in eorum Eccleſia: attamen officium ſepulturæ peragendum eſſe à Regularibus; quod ſi in Eccleſia Regularium, vel quibuscunque aliis funeralia non peragantur, his non competit pars ulla funeralium, ſed ſoli Parochiæ: Pignat. tom. 6. conſ. 88. Poſſunt etiam Regulares concordare cum Parocho, ut hic officium illud peragat in eorum Eccleſia: tom. 3. conſ. 30., ſed Parochus non poteſt petere quartam partem, ſi quis ſepeliatur apud Regulares ab eo onere privilegiatos, ſi apud eos fiant etiam

funeralia : tom. 9. conſ. 145., & econtra Regulares non poſſunt cum ſtola funus apud ſe ſepeliendum proſequi, quia ſtola denotat jurisdictionem externam, quam ad hoc non habent, niſi deleget Parochus : t. 5. conſ. 54. Statutum etiam eſt à S. Congr., ut in funeralibus una tantum Crux deferatur, non Regularium, ſed ſolius Parochiæ, vel certe ſolius Capituli Cathedralis, ſi hoc comitetur, niſi alia alicubi ſit conſuetudo : t. 6. conſ. 59. Pleraque alia v. t. 8. conſ. 73.

Dubitatur, An peccetur, ſi cadaver occulte transferatur de uno loco in alium, non perſoluta quarta funeralium illis Parochis, per quorum Parochias tranſit? Pelliz. tr. 8. c. 5. n. 177. negat, quia uſus etiam timoratorum habet, ut ex eo ſibi non faciant ſcrupulum; unde talis lex non cenſetur habere locum in foro conſcientiæ ; ex Decl. tamen S. Congr. 1604. nullus Regularis, invito Parocho poteſt efferre funus per Parochiam.

Electio ſepulturæ probari poteſt etiam per duos teſtes ſingulares, quia in eo, quod principaliter probant, evadunt conteſtes : Gloſſ.. & alii communiter: imo etiam per dictum ſolius Confeſſarii, ex praxi Cur. Neap. Sufficit etiam ſimplex ſcriptura manu propria ſubſcripta, quæ æquivalet voci ipſius defuncti : Paſqual.. & alii: imo etiam codicillus invalidus quoad jus civile, validus tamen quoad jus canonicum in ordine ad pias cauſas; ſi autem neque quoad hoc ſit validus, ſi per teſtes probari poteſt, quod in eo voluerit declarare ſuam voluntatem, ſufficit etiam pro foro externo; ſin minus, ſufficit tantum pro foro interno : Paſqual. & alii.

Impubes ob conſilii imbecillitatem non poteſt ſibi eligere ſepulturam, ex cap. *Licet, de Sepult. in 6.*, niſi malitia ſuppleat ætatem, ut addit Sperell. deciſ. 89. Ubi vero eſt conſuetudo legitime præſcripta, poteſt ei eligere pater, ex text. cit., etiamſi filius ſit naturalis, ſpurius, aut adoptatus : Pignat. t. 4. conſ. 208., quod t. 7. conſ. 21. intelligit, vivente adhuc, non autem mortuo filio ; ſed Nav. ait, etiam hoc mortuo, quia textus univerſaliter ait, *Pater minores filios poteſt, quo voluerit, loco ſepelire*; ſi autem poſt electionem patris filius evadat pubes, non valet, niſi hic ratificet: Nav. Sperel. & alii communiter. Eadem dicunt Sperel., & alii communiter de matre. ubi eſt conſuetudo ; negant tamen Genuenſ. & Ricc. in Prax. Neapol. Eadem de tutore, & conſanguineo, qui ſuccedat patri in cura impuberis, dicit

dicit Paſq. quamvis negent Ricc. & alii. Eadem de domino relate ad ſervum impuberem dicunt Barboſ. & alii.

Religioſus non poteſt ſibi eligere ſepulturam, cum careat voluntate propria, cap. *Religioſi, de Sepult. in* 6. ubi addatur, qnod, ſi moriatur extra clauſtra, ſit apud ſuum Monaſterium tumulandus, niſi commode illuc deferri non poſſit. Hinc addunt Doctores cum Gloſ. contra Inn. Franc. & alios, poſſe eligere ſepulturam, ſi commode illuc deferri non poſſit, quia talis electio fit cum voluntate interpretativa Superioris; niſi vero ibi adſit aliud Monaſterium ſui Ordinis, & ille teneatur obedire illi Prælato: Sanchez, Paſqal. & alii; ſi autem nec ibi ſit Monaſterium, nec ipſe eligat, pertinet ad Parochiam, in qua moritur: Doctores communiter. Superior autem Regularis, ubicunque ſit, poteſt ſibi eligere ſepulturam etiam extra Monaſterium ſui ordinis, dummodo moriatur in gradu Superioris, quia in multis habet propriam voluntatem, etiamſi Generali ſit ſubjectus: Sanchez l. 6. *Decal.* c. 14. n. 7. Ab. Franc. & alii; imo poteſt eligere ſepulturam ſubdito, ut pater filio impuberi. Novitius vero in domo paterna moriens cum habitu Religioſo, ſi non eligat ſepulturam, ſepeliatur in Monaſterio, ſi commode fieri poteſt, ſine obligatione ſolvendi Parocho canonicam, quia gaudet juribus, & privilegiis: Sanch. Dicaſt. Pign. t. 7. conſ. 70.

Qui autem moritur non electa ſepultura, ſoluta quarta parte funeralium Parocho, ubi moritur, debet ſepeliri in ſepulchro ſuæ familiæ, ex cap. *Nos, de Sepult.* etiamſi filius renunciavit paternæ hæreditati; imo, etjamſi ſit exhæredatus, niſi ſit ſpecialiter excluſus à ſepulchro familiæ; imo, etiamſi ſit filius adoptivus, qui, ſi non habeat ſepulchrum adoptantis, ſepeliatur in ſepulchro patris naturalis: Doctores communiter apud Paſqual. Filius vero damnati læſæ Majeſtatis nequit ſepeliri in ſepulchro familiæ, ex l. 1. *ff. de Suis, & legitimis.* Canonicus autem Cathedralis debet ſepeliri in Cathedrali, ubi eſt ſepulchrum proprium Canonicorum, &, ſi hoc non fit, ſepeliatur in ſepulchro ſuæ familiæ: Pign. t. 8. conſ. 5. item Clericus, qui adminiſtrationem habuit in Eccleſia, vel ex alio titulo tenebatur ibi reſidere, ſepeliri debet in ea Eccleſia: Barb. & alii. Item vidua in ſepulchro ultimi mariti, ex c. *Is, qui, de Sepul. in* 6. etiamſi alibi habitaſſet, &c. Sperell. deciſ. 88.

Si autem quis nec sepulchrum habet, nec sepulturam elegerit, sepeliendus in Parochia sui domicilii, ex cap. *Licet, de Sepult. in* 6. quo etiam deferri debet, etsi moriatur ruri extra territorium suæ Parochiæ, si absque periculo valeat eo deportari, ex cap. *Is. qui* cit. Si autem non valeat deportari, sepeliatur in Parochia, ubi moritur, soluta tamen quarta parte funeralium Ecclesiæ domicilii: Pignat. t. 7. conf. 63. nisi vero moriatur, ubi habet quasi domicilium: Sperel. decis. 87. Advenæ, & Viatores, secundum Pign. t. 1. conf. 145. ex decl. S. Congr. debent sepeliri in Cathedrali; sed recte cum aliis Sperel. decis. 87. ait, si non sunt Clerici, ex consuetudine sepeliri in Parochia, in qua moriuntur, & in qua acceperunt Sacramenta. Moriens in carcere secundum aliquos debet sepeliri in Parochia sui domicilii, quod non deseruit; ideoque huic Ecclesiæ deberi quartam funeralium, si alibi elegisset sepulturam; sed probabilius alii cum Pignat. t. 7. conf. 86. ajunt, spectare ad Parochiam carceris; quod certum videtur saltem de alibi damnatis ad perpetuum carcerem, vel in exilium involuntarium missis; ubi enim mori, vel exulare debent, ibi censentur etiam inviti habere domicilium, *L. Filii, ff. ad Municip.* Si Secularis moriatur in Monasterio, ubi, relicto suo domicilio, habitabat, Pign. t. 7. conf. 63. ait, jus sepulturæ spectare ad Parochum illius Parochiæ, in qua est Monasterium, &, si in eo petierit sepeliri, soli Parochiæ deberi quartam funeralium; & idem dicit de pueris, & famulis in Monasterio habitantibus; sed recte contradicunt alii, quia acquisivit in Monasterio saltem quasi domicilium: sic etiam si quis moriatur in hospitali intra Parochiam constituto, & in eo sepeliatur, nihil debetur Parocho; nisi vero sepeliatur alibi extra hospitale: De Luc. *de Paroch.* disc. 23. Præterea per Bull. Paul. III. in nostris Cœmeteriis sepelire possumus omnes, qui in nostris morantur obsequiis; &, quamvis Gob. hoc intelligat de illis famulis tantum, qui serviunt, & habitant permanenter in domiciliis nostris, alii tamen cum Dian. intelligunt etiam illos domesticos, qui perpetuo commensales sunt; hi enim etiam sunt de familia, & Clement. X. tantum dicit, *Qui ibi sunt vere de familia, & continui commensales.* Denique, si quis in testamento disposuerit, ut sepeliatur in Parochia, in qua fuerit moriens, & casu moriatur in aliena Parochia, adhuc debet in Parochia

chia sui domicilii sepeliri, quia per illam brevem absentiam non amiserat eam Parochiam, nec alteram acquisierat: Pignat. t. 4. cons. 151. notatque Shiarra l. 4. diff. 44. legatum, quod quis fecit Ecclesiæ sub conditione, *Si ibi sepeliatur*, valere, si quid accidat, per quod non possit, aut non debeat ibi sepeliri, quia tale legatum ad pias causas secundum jus, & mentem disponentis est favorabile ipsi, & ei, pro quo disponit.

Denique solus Episcopus, & non Parochus (nisi alia alicubi sit consuetudo) potest alicui concedere jus proprium, & perpetuum sepulturæ in certo loco, è quo alios possit excludere; & hac quidem conditione addita à Pio V. *Ut cadavera profunde insepeliantur;* Tenentur autem Regulares accedere ad Ecclesiam Parochialem, & inde cum Parocho se conferre domum, à qua funus efferendum ex S. C. in Senogal. 26. August. 1616. apud Cesp. Habens vero jus patronatus, non ideo habet jus sepulturæ in Ecclesia: Barb. *de Off. Ep. alleg.* 3. Cæterum Regulares possunt vendere sepulturam, nec prohiberi possunt ab Episcopo, cum sint exempti; nec est simonia, si accipiatur pretium pro loco honoratiori: Sanch. Dian. & alii contra alios ap. Cesped. nec potest quis in eorum Ecclesia sepeliri ipsis invitis, ex Decr. S Congr. apud eundem; nec in eorum Ecclesiis Presbyteri seculares, postquam corpus associarunt, cantare possunt officia, ex Decr. S. Congr. in una Turritan. 1617. non obstante quacunque consuetudine: Tamb. tom. 1. d. 15. q. 18. Ad Parochum autem spectat determinare iter in associando cadavera, ex S. Congreg. in una Castell. at in Ecclesiis Societatis Jesu non recipiuntur defuncti sine licentia Generalis, exceptis fundatoribus, fundationem juvantibus, Principibus, & Prælatis: Congreg. 3.

QUÆSTIO III.

De Reservatione Casuum.

VIDENDUM hic I. Quid sit Reservatio, Quæ peccata, & à Quibus reservari possint? II. Quinam reservationem incurrant, aut ab ea excusentur? III. Quis possit absolvere à Reservatis? IV. Demum addemus in calce Appendicem de Casibus Reservatis.

CAPUT I.

Quid sit Reservatio, Quæ peccata, & à Quibus reservari possint?

QUÆRES primo, Quid sit Reservatio?

Respondeo, Est *Restrictio jurisdictionis concessæ Sacerdoti inferiori in ordine ad aliquod peccatum, seu censuram.* Esse autem convenientissimum, ut Superiores aliquorum peccatorum absolutionem sibi reservent, tum ut atrociora quædam, & graviora crimina exactius judicentur, iisque efficacius remedium adhibeatur, tum ut fideles ab iis committendis coerceantur ob difficultatem obtinendæ absolutionis, docet Trid. *sess.* 14. *c.* 7.

Quæres secundo, Quæ peccata reservari possint?

Respondeo primo: Peccata etiam venialia reservari probabiliter possunt à Summo Pontifice, cum ab eo omnis jurisdictio in alios Prælatos derivetur; de facto tamen nunquam reservantur peccata venialia; imo Con. Laym. docent, Episcopos, aliosque Prælatos Pontifice inferiores invalide sibi reservare venialia, quia universali Ecclesiæ consuetudine, cui solus Pontifex derogare potest, cuilibet Sacerdoti concessa est facultas absolvendi à venialibus.

Respondeo secundo: Peccata mortalia mere interna reservari possunt, sicuti reservantur Papæ vota aliqua mere interna; quia, licet Ecclesia non judicet de internis, tamen jurisdictio ad absolvenda peccata mere interna conceditur ab Ecclesia, quæ proinde potest eam limitare. De facto tamen non reservantur, nisi peccata externa. Hinc nec reservationem, nec excommunicationem incurrit, qui hæresim mere internam habuit: si autem illam aliquo actu externo de se mortaliter malo manifestat, etiamsi id occulte faciat, reservationem, & excommunicationem incurrit, quia, quotiescunque in reservatione aliud non exprimitur, incurritur, licet externum peccatum sit occultissimum. Duo præterea requiruntur ad reservationem incurrendam: primum, ut actus externus de se sit gravis: secundum, ut actus internus mortaliter peccaminosus influat in actum externum de se gravem; quare excusatur ab incursu reservationis, & excommunicationis, qui volens Clericum occidere, illum solum leviter percutit, vel qui intendens

dens levem Clerici percuſſionem, caſu illum occidat. Quoniam vero ex Trid. ſupra cit. reſervatio fieri debet *In ædificationem, non in deſtructionem*, & quoad *atrociora, & graviora crimina*, illicite Pontifex reſervaret omnia ſimul mortalia externa, vel majorem eorum partem: Epiſcopus vero etiam invalide, ut contra Suarez addit Vaſq. præſertim ſi notabiliter minueret jurisdictionem Parochi, ut concludit Lug.

Quæres tertio, Quis poſſit caſus reſervare?

Reſpondeo, Poſſe illos omnes reſervare, qui habent jurisdictionem ordinariam, eamque aliis delegant; poſſunt enim illam delegare vel plene, vel reſtricte tantum; unde non ſolum Summus Pontifex, Epiſcopus, aliique Prælati, verum etiam Parochus poſſet caſus reſervare reſpectu illius, cui ab ipſo debet delegari jurisdictio: Vaſq. Dicaſt. Croix contra Suarez, & Buſemb. qui negant Parocho hanc poteſtatem.

CAPUT II.

Quinam incurrant Reſervationem, & quinam ab ea excuſentur?

CERTUM eſt, neminem incurrere reſervationem, aut cenſuram, qui ex conſcientia erronea peccat, falſo putando eam incurrere, quia non incurritur pœna humana, ubi à lege non eſt ſtatuta. Videndum igitur hic, An, & quam reſervationem incurrant, & à qua excuſentur Pueri ante pubertatem, Ignorantes, Peccantes ex metu, Vagi, Peregrini, Regulares, & Moniales?

Quæres primo, An pueri ante pubertatem peccantes incurrant caſus reſervatos?

Reſpondeo, Certe non incurrere ullum caſum etiam cum excommunicatione, aut interdicto reſervatum in hac Diœceſi Neapolitana, in cujus tabella expreſſe excipiuntur, ſi peccarent ante 14. annum completum: at, quoad caſus Papales, & Epiſcopales alterius Diœceſis, ubi non expreſſe excipiuntur, eſt dubium: negant etiam Palud. Graf. Belloch. & alii cum Dian. p. 2. t. 15. r. 1. quia, ſicut minor ætas excuſat impuberes à pœna in foro externo, ita pariter in foro interno, & conſequenter etiam à reſervatione, maxime ſi hæc

adnexam

adnexam habeat excommunicationem, quæ est pœna atrox, & improportionata imbecilli eorum ætati, ex cap. 1. *de Delict. Puer.* Verum probabilius affirmant Homob. Lug. Averſ. & alii; quia ad bonum regimen Eccleſiæ etiam pertinet, ut impuberes à committendis atrocioribus delictis per talem reſervationem abſterreantur; text. autem cit. intelligitur de pœnis latis ab homine, ex cap. ult. *de Jud. in* 6. non de pœnis latis à jure. Et quidem quoad caſus Papales, certum eſt impuberes incurrere caſum cum excommunicatione Can. *Si quis ſuadente*; nam Cap. *Pueri, de Sent. Excomm.* expreſſa datur facultas Epiſcopis, ut eos ab hac excommunicatione abſolvant. Certum etiam videtur, eos incurrere caſum ingredientium Monaſteria Monialium; nam Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 5. *de Regular.* dicit, *Cujuscunque ſint ætatis;* dummodo ſcilicet ſint doli capaces, ut hic ſupponuntur impuberes: ergo idem dicendum quoad reliquos caſus Papales, & etiam Epiſcopales, niſi expreſſe excludantur, cum certum ſit, Epiſcopum poſſe reſervare mortalia impuberum; & conſequenter, niſi hi excipiantur, ligantur, ſicut alii; ubi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, ut arguit Fluron.

Quæres ſecundo, An incurrat reſervationem, qui committit caſum reſervatum ignorans reſervationem?

Reſpondeo primo, Si caſus ſit Papalis, & illud committens ignorabat excommunicationem ei adnexam, probabiliter non incurrere reſervationem; quia caſus de facto nullus eſt reſervatus Papæ, niſi quando conjunctus eſt cum excommunicatione, ac cenſura. * Ab hac generali regula excipiendus eſt caſus falſo inſimulantium ſollicitationis apud Judices Eccleſiaſticos innoxios Sacerdotes, ſive per ſeipſos calumniando, ſive procurando, ut id ab aliis fiat, qui caſus à Bened. XIV. in Conſt. *Sacramentum Pœnitentiæ* Papæ reſervatur ſine cenſura *. Porro ignorans excommunicationem, eam non incurrit, ex cap. *Cum animarum, de Conſt. in* 6.; ergo neque reſervationem Papalem. Excipe, niſi ignorantia fuerit craſſa, & ſupina, ex eod. cap.; imo, ſi in lege Pontificia feratur excommunicatio contra *Scienter, Temerario, &c.* excuſat etiam ignorantia craſſa, & ſupina, modo non ſit affectata, juxta dicenda in Tract. de Cenſur. Si autem ſciens excommunicationem caſui adnexam, ignorabat, eam eſſe reſervatam, Bon. & alii putant, etiam

etiam excusari à reservatione, atque adeo posse à quovis Confessario absolvi; sed probabilius videtur oppositum, quia jam consentit in pœnam excommunicationis, adeoque implicite in ejus reservationem, sicuti etiam in alios ejus effectus licet ignoratos: Quart. & alii.

Secundo, Si casus sit Episcopalis, eique adnexa sit excommunicatio, qui hanc ignorat ut supra, certe hanc non incurrit: & hinc etiam inferunt Fagund. Avers. Januar. Bonac. Quart. & alii, neque incurrere reservationem talis casus; quia pariter in tali casu Episcopali fit una, & indivisibilis reservatio peccati sub excommunicatione; neque in pœnalibus facienda est ampla, sed stricta interpretatio. Sed probabilius Suar. d. 3. s. 3. Bos. Tamb. Merol. & alii docent, incurrere reservationem talis casus; quia, cum soleant Episcopi, & de facto sibi reservent plures casus, tum sub excommunicatione, tum absque excommunicatione, quando atrociora reservant sub excommunicatione, intendunt fortius ligare, & duplici reservatione punire.

Tertio, Si demum casus Episcopalis non habeat adnexam excommunicationem, Sanch. Lug. Avers. & alii communius apud Dian. & Pell. t. 2. s. 31. docent, etiam, qui ignorat, reservationem incurrere; quia reservatio casus non est pœna peccantis, sed restrictio jurisdictionis Confessarii; atqui ignorantia privata peccantis nequit dare confessario jurisdictionem, quam non habet: ergo, quamvis ignorantia pœnæ excuset à pœna, non tamen à reservatione, & consequenter hic talis nequit absolvi à quovis Confessario. Sed oppositum probabile etiam reputant Nav. Graf. Jan. Coriolan. Chapeavil. Mald. Reginald. Quintanad. Bas. Burgheb. Quart. & alii apud Dian. p. 10. t. 4. r. 95. & p. 6. t. 6. r. 42. quibus ipse etiam mutata opinione adhæret; quia, quamvis reservatio sit restrictio jurisdictionis Confessarii, non tamen absolute, sed respective ad pœnitentes, qui cum notitia reservationis ausi sunt peccare; ut colligitur ex ejus fine, qui est, ut scientes utique reservationem, à talibus casibus patrandis absterreantur: ergo relate ad tales habet simul rationem pœnæ, & consequenter non est restrictio jurisdictionis relate ad alios, qui peccando eam ignorarunt, cum pœnæ sint restringendæ. Idem dicunt de eo, qui, dum peccat, invincibiliter non advertit ad reservationem; quia inadvertentia æquiparatur ignorantiæ, ex Sanch. l. 1. cap. 10.

num.

num. 31. secus vero, si nullam adhibuit diligentiam pro deponendo dubio, quia sic habetur ignorantia crassa, & supina, quæ non excusat : Quart. & alii. Idem demum dicunt, si reservatio ab Episcopo fiat, postquam delictum est commissum, vel etiam omissum in antecedenti confessione, vel postquam cœpta sit, sed nondum finita confessio ; quia talis reservatio non poterat à tali delinquente cognosci : Pasq. t. 2. q. 166. num. 6.

Quæres tertio, An incurrat reservationem, qui compulsus metu committit casum reservatum?

Respondeo affirmative, Si metus sit levis, quia facile contemni posset : negative vero, si metus sit gravis, seu cadens in constantem virum, qualis est metus mortis, mutilationis, carceris diuturni, infamiæ gravis, amissionis majoris partis bonorum, aut rei notabilis, & pretiosæ, sive suæ, sive suorum, & probabiliter etiam usque ad 4. gradum, cum damnum suorum censeatur etiam proprium : ratio est, quia ex benignitate Ecclesiæ reservantis præsumitur nolle comprehendere sub reservatione peccantem ex tali metu gravi ; nec enim leges humanæ obligant cum damno notabili ; quamvis lex naturalis, & divina tunc etiam obliget, ita ut peccet graviter, qui ex tali metu committit casum prohibitum etiam lege naturali, aut divina : Suar. Avers. Bordon. Graff. & alii communiter. Excipiunt tamen Doctores cum Suar. contra Salas, nisi talis metus incutiatur in contemptum Ecclesiæ, aut Religionis ; quia sic Ecclesia ipsa per se, & directe obligat etiam cum periculo vitæ : v. dicenda fusius in Tract. de Censur. disp. 1.

Quæres quarto, Quos casus incurrant Vagi, & Peregrini?

Respondeo, Certum esse, hos omnes incurrere casus Papales, ubicunque eos commiserint, etiam inter infideles, quia ubique terrarum territorium est Papæ. Item vagi probabilius incurrunt casus Episcopales illius Diœcesis, in qua illos committunt ; quia ex communi Doctorum sententia contra Sayr. Less. Ugol. subjacent legibus illius loci, in quo hic & nunc versantur : nisi vero eos excuset ignorantia, juxta dicta quæsit. 1. At peregrini, juxta Pelliz. *de Monial.* c. 5. num. 211. Dian. p. 3. t. 2. r. 48. & alios, probabiliter non incurrunt casum reservatum in Diœcesi, in qua versantur, si ibi illum committant ; quia non tenentur legibus loci, in quo

quo sunt per transitum, ex Sanch. Azor. Con. & aliis. Probabilius tamen tenendum oppositum cum communiori apud Averss. q. 17. s. 3. quia, etsi peregrini non teneantur legibus locorum quoad forum externum, tamen quoad forum pœnitentiæ Sacramentalis ex communi consuetudine, & praxi judicantur à Confessario juxta leges loci, in quo confitentur; ergo non possunt hic absolvi à quovis Confessario, cui restricta est jurisdictio relate ad omnes, qui ausi sunt in hac Diœcesi committere talem casum, nisi excuset metus gravis, vel ignorantia. Atque hæc sententia est in praxi tenenda, ita tamen, ut, quamvis peregrinus hic peccans incurrat casum hic reservatum; non tamen excommunicationem, aliamve censuram illi adnexam; quia hæc, cum sit pœna fori exterioris, non ligat, nisi supponat subditum, ut not. Con. d. 13. dub. 7. num. 58. & nos dicemus in Tract. de Censuris. Contra vero, si Neapolitanus v. g. peregrinans Nolæ committat ibi delictum reservatum Neapoli, non autem Nolæ, Fagund. Bon. Januar. & alii apud Quart. probabiliter putant, non incurrere reservationem, neque excommunicationem adnexam: unde etiam probabiliter inferunt Pelliz. Bord. Pasq. Januar. & alii apud Dian. p. 10. t. 4. r. 7. contra Dicast. Croix & alios, Neapolitanum committentem talem casum Nolæ, posse etiam Neapoli absolvi à quovis Confessario, quia, cum statuta Synodalia affigantur territorio, non restringunt jurisdictionem Confessarii relate ad transgressores extra territorium. Idem pariter dicunt, si commisit in loco intra Diœcesim exempto, qui æquiparatur loco sito extra territorium; hic tamen locus quinam sit, vide dicta tract. 2. disp. 2. quæst. 3. cap. 4. quæst. 4.

Quæres quinto, Quos casus reservatos incurrant Regulares?

Respondeo, Si excipias casus Papales, & proprios suæ Religionis, aut Monasterii, de quibus agemus mox in Appendice, non incurrere casus Episcopales, si sint Religiosi exempti, quales hodie sunt fere omnes; quia non subjacent Episcopo. Et similiter etiam eorum Novitii, quia in favorabilibus gaudent privilegiis suæ Religionis. Extendunt hoc Peyrin. & alii ad familiares Religiosorum, modo *Inibi sint, quasi de familia, & continui commensales*, ex Constit. Clem. X. *Superna*; & Bord.

Bord. extendit etiam ad alumnos degentes in Monasteriis Religiosorum. Illud videtur certum, hos familiares, & alumnos non posse per quemcunque Confessarium secularem absolvi à casibus Episcopalibus, ut dictum est de peregrinis; vide, quæ in hanc rem fusius dicemus in Tract. de Censuris. Cæterum, si Novitius ante ingressum in Novitiatum incidit in casum reservatum Episcopalem, manet reservatio: unde non potest absolvi per quemcunque Confessarium secularem approbatum ab Episcopo; potest tamen absolvi à Confessario suæ Religionis, quia hic habet jurisdictionem à Superiore Religionis, cujus privilegiis gaudent Novitii: Sanch. Tamb. & alii. Idem dicunt Peyrin. Vecch. Tamb. *de Jur. Abb.* t. 2. d. 13. q. 15. num. 29. de existente in Novitiatu, veluti in prima probatione, etsi nondum habitum induerit. Idem addit Vecch. de petente admitti in Religionem cum animo sincero ingrediendi quamprimum, nimirum absolvi posse per Confessarium Regularium ab omnibus casibus, censuris, imo etiam sententiis, & pœnis Episcopalibus, cum hoc tamen, ut incidat in pristinas sententias, nisi mox ingredi, & peractis experimentis vota emittere paratus sit.

Quæres sexto, Quos casus reservatos incurrant Moniales?

Respondeo, Moniales, alias esse exemptas à jurisdictione Episcopi, alias non exemptas; omnes tamen incurrere casus Papales, uti est certum; & exemptas, si subditæ sint Superiori Regulari, incurrere casus reservatos in sua Religione: secus vero, si non sint subditæ tali Superiori. Quoad casus autem Episcopales, Pelliz. Quintanad. Tamb. & alii putant, Moniales exemptas non incurrere, quia non sunt subjectæ Episcopo: quod Pelliz. extendit etiam ad earum educandas, quia per quasi domicilium commorantur in eo loco exempto, ideoque participant de earum exemptione. Cæterum cum Confessarius Monialium etiam exemptarum approbandus sit ab Episcopo, ex cit. Constit. Clem. X. ideo casus commissus à Moniali, sive exempta, sive non exempta censendus est reservatus respectu talis Confessarii, nisi specialiter ei delegetur facultas ab Episcopo: Sylv. p. 1. v. Cas. Reserv. cas. 2. Croix num. 1645.

CAPUT

CAPUT III.

De Absolutione à Reservatis?

De potestate absolvendi in articulo, vel periculo mortis dictum est jam q. 2. agendum ergo remanet de potestate extra tale periculum. Quare sit

§. I.

Quis possit absolvere à casibus Papalibus extra articulum, vel periculum mortis?

Videndum hic Primo, Quid possit Summus Pœnitentiarius, aut Legatus à latere? Secundo, Quid Episcopus, ejusque Vicarius Generalis, ac Vicarius Capitularis? Tertio, Quid possit Prælatus Regularis, aut Confessarius Regularis? Quarto, Quid possit Parochus, aut Confessarius secularis? Itaque

I. Summus Pœnitentiarius Cardinalis ex concessione Papæ officio adnexa potest quoscunque absolvere ab omnibus Papalibus: item Legatus à latere in Provincia suæ legationis absolvere potest quoscunque etiam pro foro externo; & utraque facultas, cum sit ordinaria, durat etiam mortuo Pontifice. Itaque accedere ad hos possunt etiam Religiosi absque licentia suorum Superiorum, ut absolvantur à quovis casu Papali, etiam Bull. Cœn. etiam ab hæresi: Doctores communiter.

II. Episcopus, ex Trid. *sess.* 14. c. 6. potest in sua Diœcesi per seipsum. aut Vicarium ad id specialiter deputandum absolvere in foro conscientiæ subditos suos à quibuscunque casibus etiam Sedi Apostolicæ reservatis, dummodo sint occulti; & etiam ab hæresi occulta, per seipsum tantum, non per Vicarium: item potest dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Hactenus ex Trid. cit. ubi ly *Per Episcopum* intelligunt Doctores etiam habentem jurisdictionem quasi Episcopalem. Per ly *In sua Diœcesi* non intelligunt taxative, sed mere demonstrative; ideoque dicunt, posse etiam extra Diœcesim, cum non sit actus fori contentiosi. Per ly *Non per Vicarium*, intelligunt ex commissione universali, posse tamen ex commissione particulari, juxta dicenda de

Cenſuris. Cæterum hodie probabilius non poteſt Epiſcopus abſolvere ab occultis Bul. Cœn. & præſertim ab hæreſi; quia ab Alex. VII. damnatur hæc Prop. 3. *Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno* 1629. *die* 8. *Julii in Conſiſt. S. Cong. Emin. Card. viſa, & tolerata eſt.* Quamvis oppoſitum adhuc probabile putent Dicaſt. d. 3. *de Cenſur.* num. 130. & alii apud ipſum, dicentes, in hac propoſitione ſolum declarari, quod ea non ſit hactenus in Conſiſtorio perpenſa: &, quamvis in Bull. Cœn. dicatur, quod nemo, niſi in articulo mortis poſſit ab his abſolvere; tamen dicunt, id non derogare Trid. cit. utpote non expreſſe ibi nominato. Sed quidquid ſit de hac ſententia, Epiſcopi hodie ſolent petere, & obtinere à Roma ad quinquennium facultatem abſolvendi à caſibus Bull. Cœn. & ab hæreſi. Poteſt Epiſcopus ex conceſſione perpetuo adnexa ejus dignitati abſolvere à ſequentibus Papalibus etiam publicis: Primo, A percuſſione Clerici, dummodo ſit levis, vel facta inter Clericos collegialiter viventes, aut ab Officialibus cauſa arcendi turbam (dummodo non ſit enormis) vel facta à muliere, aut ab impubere, etiamſi ſit enormis, & etiamſi petatur abſolutio poſt pubertatem: Doctores communiter ex plur. text. *de Sent. Excomm.* Secundo, Ab abortu fœtus animati effectu etiam ſecuto, ex Bull. Gregor. XIV. Tertio, Fratres Minores admittentes tempore interdicti Fratres tertii ordinis ad divina officia, ex Clement. *Cum eo. de Sent. Excomm.* Poteſt etiam Epiſcopus abſolvere ab omnibus Papalibus, quantumvis publicis, etiam Bul. Cœn. etiam hæreſis in caſu legitimi impedimenti adeundi Romam, ſive impedimentum ſit perpetuum, ſive temporale, modo ſit diuturnum: Doctores communiter ex cap. *Quamvis, de Sent Excomm.* etiamſi ſic impediti poſſent per literas, aut per procuratorem petere abſolutionem à Sede Apoſtolica, ut probabiliter addunt Sanch. l. 2. *Decal.* c. 13. num. 14. & alii contra Bonac. & alios. Imo, etiamſi ſic impediti poſſent adire legatum habentem facultatem abſolvendi; cum ea poteſtas ſit jure communi conceſſa Epiſcopis tanquam ordinaria: Henr. Avil. Hurt. Dian. pag. 5. t. 9. r. 5. contra Bonac. & alios. Neque huic facultati Epiſcopi obſtat Bull. Cœn. excipiens tantum arti-

articulum mortis; nam jus canonicum hanc exceptionem ampliavit etiam ad legitimum impedimentum, *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*, arg. c. ult. *de Pœnit. & Remiſ.*

Porro impedimentum perpetuum eſt, quod habent mulieres omnes ratione ſexus, & à fortiori Moniales: item ſenes, cœci, claudi, laborantes podagra, alioque morbo perpetuo, quibus Tamb. addit etiam damnatos ad triremes per decennium, aut etiam quinquennium: atque hi omnes abſolvi poſſunt per Epiſcopum absque ullo onere; uti etiam impuberes, quamvis hoc impedimentum ſit temporale; imo abſolvuntur poſt pubertatem, ex c. *Quamvis, de Sent. Excom.* Impedimentum temporale diuturnum eſt duorum ſaltem, vel trium menſium, juxta Pal. Marchant. & Dian. apud Gob. t. 7. num. 309. unde hoc impedimentum habent detenti in carceribus, laborantes quartana, habentes inimicitias capitales, pauperes, ſeu viventes ex proprio labore, qui, cum non ſoleant, deberent ire Romam mendicando; filiifamilias, & quicunque alteri ſubjacent, habentes curam animarum, corporum, aut rerum, ita ut timeretur damnum aliquod ex eorum abſentia: denique quodcunque aliud impedimentum, quod prudentis arbitrio longam faceret moram proficiſcendi Romam, ſaltem per duos, aut tres menſes ex Pal. cit. atque hi omnes abſolvi poſſunt per Epiſcopum, cum onere tamen (excipito etiam juramenta, quæ tamen Dian. p. 2. t. 16. num. 42. cum aliis probabiliter exigit tantum in abſolutione pro foro externo) quamprimum commode poterunt. accedendi ad Sedem Apoſtolicam, ceſſante tali impedimento, non quidem, ut denuo abſolvantur, cum ſint jam directe abſoluti, ſed ad obedientiam præſtandam, accipiendumque mandatum ſub pœna reincidentiæ ipſo facto in easdem cenſuras, ex cap. *Eos, qui, de Sent. Excomm.* Sed hæc obligatio, ſeu onus tollitur, ſi poſtea ante ceſſationem impedimenti lucreris Jubilæum, vel Bull. Cruc. vel adeas Legatum à latere: Dicaſt. & alii communiter.

Quæ dicta ſunt de Epiſcopo. dic pariter de Vicario Capitulari; quia is ſuccedit in jura Epiſcopi, excepta facultate per ſe ordinandi. At Vicarius Generalis Epiſcopi probabilius indiget ſpeciali ejus conceſſione relate ad hæc; ideoque notant Quaran. Moral. Tambur. & alii, ſolere ab Epiſcopo ſpeciali commiſſione committi

ei hanc facultatem generaliter, excepto casu hæresis occultæ ex Trid. cit. ad quam tamen delegari posset, quando casus occurrit, suppositio quod Episcopus haberet hodie facultatem ad talem casum, ut not. Sanch. Eadem dic de Pœnitentiario Ecclesiæ Cathedralis : Tamb. c. 8. *de Cas. Reserv.* n. 3. Dian. p. 9. tr. 8. r. 11. & alii.

III. Prælatus Regularis quoad casus Papales potest relate ad suos subditos, etiamsi novitios, etiamsi familiares Conventus, quidquid potest Episcopus relate ad suam Diœcesim. At relate ad reliquos pœnitentes Seculares, certum est, non posse eos absolvere ab hæresi occulta, ex Prop. 4. damnata ab Alex. VII. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa :* Potest tamen, posita approbatione Episcopi. uti etiam quivis alius Confessarius Regularis, vi privilegiorum Pontificiorum, absolvere etiam Seculares ab omnibus casibus reservatis Papæ etiam publicis, exceptis Bull. Cœn. & 6. intra Italiam extra urbem; quia Decretum Clem. VIII. hos tantum eis tollit : ergo quoad reliquos casus Papales manent integra eorum privilegia : Pelliz. t. 6. c. 2. q. 3. Dian. p. 3. tract. 2. r. 13. & alii. An autem absolvere adhuc possint à casibus Bull. Cœn. & à 6. intra Italiam, quando sunt occulti, dubitant Doctores : & aliqui ex Sanch. apud Dian. *de Bull. Cœn.* r. 28. affirmant; quia in tantum ex Decr. Clem. VIII. non possunt Regulares ab his absolvere, in quantum ibi sunt soli Papæ reservati, seu sunt mere Papales; atqui, quando sunt occulti, desinunt esse mere Papales, cum ex Trid. cit. concedantur Episcopis : ergo &c. Sed merito contradicunt alii, quia decretum loquitur indefinite, & neque hodie concessi videntur Episcopis casus occulti Bull. Cœn. juxta dicta num. 2.

In casu autem legitimi impedimenti eundi Romam, Pasq. & alii apud Dian. tr. 9. r. 51. putant, Regulares posse absolvere etiam à Casibus Bullæ Cœnæ, & 6. intra Italiam, sive sint occulti, sive publici, & eodem modo etiam ab hæresi. Ratio est, quia tunc non sunt mere Papales, sed concessi etiam Episcopis, juxta dicta num. 2. neque obstat Decr. Clem. VIII. prohibens etiam *In Casu necessitatis, vel impedimenti*, nam hæc verba fuerunt omissa in Decr. confirmativo Paul. V. an. 1617. ut not. Bordon. r. 6. n. 5. fol. 46. Unde etiam alii contra ipsum

ipsum inferunt, Regulares in casu legitimi impedimenti, vel etiam necessitatis, posse absolvere ab his directe, quia absolvunt ex vi privilegiorum tunc non revocatorum. Addunt aliqui cum Pecorar. ex Peregr. & Merol. etiam sine onere, & à fortiori in articulo mortis; quia tunc absolvunt ex privilegio tanquam Sedis Apostolicæ Delegati: verum (quidquid sit de articulo mortis) certe id negandum in casu necessitatis juxta dicenda num. 4. & in casu impedimenti merito negant Bord. Pelliz. & alii communiter, quia tunc concessio facta Episcopis est cum onere juxta dicta num. 2. & sic solum non sunt mere Papales. In dubio facti, vel juris dicam num. 4. Possunt demum Regulares Confessarii commutare omnia vota pœnitentium (exceptis tantum quinque, scilicet ex dictis de Voto §. 4.) etiam in aliquid notabiliter minus, ex justa tamen causa. Imo etiam dispensare id est vice Dei declarare, Deo non placere, ut in his, vel illis circumstantiis votum servetur, ex privilegio Eug. IV. Bullato Monachis Benedictinis Italiæ concesso: Pelliz. t. 2. tr. 8. c. 3. fol. 522. etiamsi vota sint jurata; etiam in juramentis, dummodo non cedant in præjudicium tertii, vel non sint ab eo acceptata: Pelliz. ib.

IV. Confessarii Seculares, etsi Parochi, non possunt absolvere à supradictis Casibus Papalibus, sive publicis, sive occultis, neque dispensare, aut commutare vota, nisi specialiter eis delegetur; cum per se privilegium non habeant. Possunt tamen absolvere à Papalibus, Primo, In dubio facti, an scilicet pœnitens incurrerit, necne Casum Papalem: Suar. Bonac. & alii contra Armil. Secundo, In dubio juris, an scilicet delictum pœnitentis sit necne comprehensum sub lege Papali; & adhibita morali diligentia adhuc perseveret dubium; quia in dubiis melior est conditio possidentis, & Confessarius approbatus est in possessione suæ jurisdictionis: Bon. & alii. Neque obstat Decr. Clemen. VIII. ann. 1610. prohibens absolutionem à Casibus *Etiam dubie* contentis in Bulla Cœnæ, &c. nam Decret. moderat. ann. 1612. id omisit, ideoque censetur revocasse: Pelliz. & alii apud Dian. p. 10. t. 14. r. 8. hinc, si propter tale dubium data sit absolutio, & postea innotescat, peccatum certo fuisse reservatum. Hurt. Sa, Portel. Gob. Dicast. & alii probabiliter dicunt, sublatam esse reservationem, & censuram, quia in eo dubio habebat etiam simplex Confessarius jurisdictionem, adeoque ab-

solvit directe, & sine onere, quæ omnia à fortiori procedunt de Confessario Regulari. Possunt etiam probabiliter Confessarii Seculares absolvere, cum onere ab omnibus Papalibus in articulo, vel periculo mortis, etsi excommunicatio Casui adnexa non sit deducta ad forum contentiosum, juxta dicta q. 1. c. 1. Probabiliter etiam possunt (cum onere tamen) absolvere ab omnibus Papalibus, in casu legitimi impedimenti, quo pœnitens non solum nequeat adire Romam, ejusque delegatum, sed neque ad Episcopum, ita ut impedimentum sit saltem diuturnum, juxta dicta n. 2., quia tunc etiam militat ratio, *Ne dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum;* arg. cap. ult. *de Pœnit. & Semiss.* Sylv. Henr. Bon. Dicast. Gran. Tann. & alii, contra Sanchez, Lug. Suar. & alios: cum onere tamen comparendi coram Superiore, si casus adnexam habeat excommunicationem; non quidem, ut iterum ab ea absolvatur, cum absolutio fuerit directa, sed ad præstandam obedientiam, ac recipiendum mandatum, juxta dicta n. 2. Demum id possunt in casu necessitatis communicandi, vel celebrandi, ad vitandum scilicet grave damnum, infamiam, scandalum, &c., nec sit copia habentis facultatem in reservata; tunc enim quivis Confessarius potest absolvere talem pœnitentem directe à non reservatis; indirecte vero tantum à reservatis, adeoque cum onere hæc iterum confitendi habenti facultatem; nullatenus vero à censuris adnexis, quas tantum suspendit quoad effectum communicandi hic & nunc, aut celebrandi: Bon. & alii communiter. Et ratio est, quia quivis Confessarius habet jurisdictionem in non reservata, & aliunde habet justam causam ejus exercendæ ob dictam necessitatem. Quod autem Trid. *sess.* 18. dicit, Confessarium inferiorem nihil posse circa casus reservatos, præciso articulo mortis, intelligitur tantum de absolutione directa, non autem de indirecta in casu dictæ necessitatis, in quo proinde pœnitens debet confiteri etiam non reservata, ut valide absolvatur. Imo non obstante Trid., & Bulla Cœnæ, in casu legitimi impedimenti Confessarius inferior probabiliter absolvere potest directe; quia jus Canonicum, sicut exceptionem hanc, *Nisi in articulo mortis*, ampliavit ad legitimum impedimentum relate ad Episcopos, ita ex identitate rationis etiam ad alios Confessarios, si adiri Episcopus non possit, *Ne scilicet dilatione pœnitentiæ periculum*

culum imminеat animarum; cum onere tamen comparendi ad recipiendum mandatum, juxta jam dicta n. 1.

§. II.

Quis possit absolvere à casibus Episcopalibus extra articulum, vel periculum mortis?

Præter casus, quos sibi reservant Episcopi, & exponunt in tabellis, sunt etiam alii, qui Episcopo reservantur à jure, aut consuetudine: à jure quidem communi sunt quidam casus Pontificii, quorum absolutio concessa est Episcopis, juxta dicta c. antecedenti n. 2., adeoque dici debent potius hic concessi. A jure Diœcesano sunt quidam casus reservati in Synodo, sed ab Episcopo non expositi in tabella. A consuetudine demum sunt homicidium, mutilatio, crimen falsi, &c., quæ communiter in omnibus Episcopatibus reservari solent; item alia ex consuetudine particulari cujusvis Diœcesis. His suppositis

I. Episcopus absolvere potest non solum ab omnibus à se reservatis, sed etiam à suo antecessore, ut patet. Imo, si Episcopus sic statueret, *Volo, ut qui tale delictum commiserit, incurrat casum, & censuram à me reservatam Papæ:* Rayn. apud Croix num. 1653. ait, adhuc posse ipsum absolvere; quia non potest à se tollere potestatem ordinariam, quam habet in casum à se reservatum. Eandem facultatem habet Vicarius Capitularis sede vacante, utpote successor Episcopi quoad jurisdictionem; non tamen Vicarius Generalis, nisi specialiter ei concedatur ab Episcopo: Barb. Meroll. & alii apud Tambur. *de Cas. Res.* c. 10. num. 10. Eandem facultatem de facto habet Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis saltem ex concessione speciali Episcopi committentis illi generaliter; imo Chapeavill. c. 4. sustinet, illum ratione officii habere hanc potestatem in omnes casus, & censuras Episcopales. Archiepiscopus vero non potest absolvere à reservatis Episcopo suffraganeo, nisi in actuali visitatione illius Diœcesis, vel in casu appellationis, si ille injuste nolit absolvere. At Legatus à latere absolvere potest à reservatis cuivis Episcopo suæ Parochiæ, exceptis censuris per sententiam particularem latis, ut limitat Gavant. apud Tamb. n. 2.

Quæres, An possit Episcopus auditis tantum reservatis absolvere, & remittere pœnitentem, ut à reliquis absolvatur per alium Confessarium?

Respondeo negative; Quia esset dimidiare Confessionem, quod jure Divino non licet, nisi ratione impotentiæ physicæ, vel moralis, ex dictis d. 1. q. 4. c. 7. §. 1. & 2. Quare extra talem impotentiam tantum posset Episcopus, vel etiam quivis alius habens facultatem in reservata, absolvere extra sacramentaliter à censuris adnexis, & similiter tollere reservationem casuum, & sic remittere pœnitentem, ut absolvatur ab omnibus peccatis per alium Confessarium. Cæterum, si ipse Sacramentaliter absolveret tantum à reservatis etiam extra casum dictæ impotentiæ, pœnitens in bona fide esset valide absolutus; secus, si in mala fide, quia sic & ipse peccaret: Bon. d. 5. q. 7. p. 5. §. 3.

II. Nullus alius Confessarius, sive Secularis, sive Regularis, etiamsi sit Parochus, absolvere potest à casibus sive publicis, sive occultis, quos sibi reservant Episcopi, nisi ab his habeant licentiam, qualis in Synodo Neapol. conceditur Parochis absolvendi sponsos, &c., brevi contracturos, & eos, qui præcepto Paschali non satisfecerint, ex Decret. Clem. VIII. an. 1601. ejusque moderat. ann. 1612., ubi irritando vetatur, ne extra urbem intra Italiam audeant prætextu privilegiorum absolvere *A casibus, quos Ordinarii eorum sibi reservarunt vel imposterum reservabunt:* item ex Confirmatione Paul. V. an. 1617., ubi additur, ne absolvere audeant *Ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem Ordinariis reservatis*; demum ex Innovativo Urb. VIII. an. 1628., ubi ampliando additur, *Nec intra, nec extra Italiam posse absolvere à casibus Ordinario loci reservatis.* Hinc ab Alex. VII. damnatur hæc Prop. 12.; *Mendicantes absolvere possunt à Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id eorum facultate,* Putant tamen Comitol. Homob. Pelliz. Cesped. & alii contra Bord. Flor. Viv. & alios complures, quod adhuc possit simplex Confessarius absolvere à casibus per Synodum reservatis Episcopo, si non sint ab eo expositi in tabella, etiamsi neque in ea concedatur talis facultas, ut expresse conceditur in nostra Tabella Neapolitana. Ratio ipsorum est, quia, quando Episcopus eos non exponit in Tabella, censetur non curare, atque adeo tribuere generalem facultatem omnibus Confessariis absolven-

vendi ab illis. Neque obstare dicunt Decret. Paul. V., Urban. VIII., & Alexand. VII.; nam hæc referri debent ad Decret. Clement. VIII., quod confirmant, innovant, & ampliant etiam extra Italiam; cum ergo ibi dicatur, *A casibus, quos Ordinarii sibi reservant, &c.*, de his etiam loquuntur reliqua decreta, non autem de aliis, quos non ipsi sibi Episcopi, sed Synodus eis reservat. Idem dicunt de casibus ex consuetudine, sive Communi, sive Diœcesana, reservatis Episcopo nisi exponantur in Tabella. Casus vero jure communi reservatus Episcopo nullus est hodie, ut clare ostendit Suarez d. 29. Fagund. Peyrin, Cesped. & alii contra Bordon. & alios. Quos autem retulimus cap. anteced. num. 2. non sunt reservati Episcopo, sed Papæ, & pro aliqua causa commissi sunt tantum Episcopo: si tamen eos Episcopus sibi non reservat in Tabella, absolvi possent, non quidem à quocunque Confessario, sed ab habente aliud privilegium, juxta ibidem dicta num. 3. Sunt tamen aliquæ excommunicationes jure communi reservatæ Episcopis, puta Communicantis in crimine criminoso cum excommunicato denunciato ab Episcopo, ex c. *Nuper, de Sent. Excom.* Absoluti ab excommunicatione specialiter lata ab Episcopo cum onere comparendi postea apud illum, nec illud adimplentis, ex cap. *Eos. qui, de Sent. Excom.* in 6. atque ab his (qui tamen non sunt casus, sed censuræ) solus Episcopus, qui excommunicationem tulit, vel absolvit cum dicto onere, potest absolvere; &, si sint occultæ, potest quivis alius Episcopus. ex Trid. cit. c. antecedenti n. 2., adeoque nemo alius sive secularis, sive Regularis, nisi ei fuerit ab Episcopo commissum. Sicuti nemo absolvere potest à censura specialiter lata ab homine, nisi is, qui tulit, vel ejus Superior, aut Successor, etiamsi, qui tulit eam, sibi expresse non reservavit, ex c. nuper cit. Denique, quamvis Regulares vi privilegiorum absolvere possint ab excommunicatione generaliter lata ab homine, v. g. contra complices innominatos, tamen Sacerdotes Societatis Jesu non possunt sine speciali commissione suornm Superiorum, ut habetur *In eorum Compendio: v. Absolutio.* Putant demum Pelliz. *tom.* 2. *fol.* 508. & alii, Regulares vi suorum privilegiorum adhuc posse absolvere à censuris, quas sibi reservant Episcopi, excepta excommunicatione; quia in odiosis nomine casuum non veniunt censuræ ex

Nav. c. 27. num. 262.; & Decr. Paul. V. cit. solum limitat, *Ab Excommunicationibus:* ergo possunt à reliquis Censuris, quas sibi reservant Episcopi, modo non sint specialiter latæ ab homine. Imo addunt probabiliter alii, Regulares vi privilegiorum posse absolvere etiam ab excommunicatione, quam generaliter ferat Legatus Apostolicus soli Papæ reservatam, v. g. contra Clericos arma portantes; quia hæc non est inclusa in dicto Decret. Paul. V., quod tantum loquitur de excommunicationibus Ordinariis loci reservatis.

Dubium est, An possint aliquando extra articulum, vel periculum mortis Confessarii sive Regulares, sive Seculares, absolvere à Casibus expositis in Tabella, non petita prius facultate?

Respondeo, Posse aliquando. Primo, Si probabiliter putent, quod possint absolvere ab iis; sive quia pœnitens putabat, se peccare tantum venialiter; sive quia est dubium facti, an scilicet pœnitens eam incurrerit; sive quia est dubium juris, an scilicet delictum pœnitentis comprehendatur sub lege Episcopali reservante; sive quia reservatio delicti publicata sit post delictum jam commissum, modo reservatio sit facta generaliter, & non in particulari pro tali numero delicto jam commisso. Secundo, Probabiliter in casu legitimi impedimenti perpetui, aut diuturni, quo pœnitens adire nequeat Episcopum, ejusve delegatum; & quidem sine onere quoad casus reservationem; cum onere tamen quoad censuras adnexas, nisi vero impedimentum sit perpetuum, vel Confessarius absolvens sit privilegiatus. Putant tamen Bonac., & alii communius, quod, si talis pœnitens impeditus adire personaliter Episcopum possit per literas, aut internuncium petere facultatem ab illo, ut absolvatur, ad id teneatur, neque adeo possit aliter absolvi; quia secus omnis vis reservationis plane enervaretur, præsertim quoad Moniales, &c., nisi vero citra grave incommodum, aut longam moram non possit ea facultas obtineri, ut limitat Suarez, d. 20. s. 3. num. 9. Sed adhuc Pal. ex Sanch. & Henr. probabiliter putant, nullum teneri per literas, aut Nuncium, petere ab Episcopo talem facultatem, quia Canones tantum obligant ad adeundum Superiorem, non autem ad faciendas alias diligentias; ideoque si quis impeditus sit adire ad longum tempus, posse absolvi. Tertio, In casu necessitatis, ratione scilicet scandali, infa-

infamiæ, &c. absolvere tantum possunt indirecte à casibus reservatis Episcopo, adeoque cum onere iterum confitendi illos habenti facultatem; at nullatenus absolvere possunt à censuris adnexis, quia talis necessitas non dicitur absolute legitimum impedimentum, in quo ex dilatione pœnitentiæ sit periculum animarum: Quart. & alii communiter contra Pasqual. non recte hæc duo confundentem. Quarto, Peyrin. apud Cesped. cap. 6. d. 143. ait, probabiliter defendi posse, quod possint Regulares certis diebus Indulgentiæ plenariæ in suis Ecclesiis absolvere à casibus Episcopalibus; quia, qui observantiam legis ad tempus ex privilegio quoad effectum suspendit, eam etiam illo tempore dicitur observare: qua ratione utitur Henr. l. 13. c. 48. n. 5. ad probandum, quod privilegia Regularium concedentia suspensionem interdicti in certis diebus non sunt revocata per Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de Regular.* Ad Decr. Clem. VIII. dic, quod loquitur de probabilitate generali, & sic revocat ea privilegia, quæ dictam generalem absolutionem concedebant: cum quo stat, quod possint Minimi in aliquibus diebus anni à dictis casibus absolvere: hæc Peyrin. nec improbat Cesped. alii vero communiter negant. Quinto, Laym. l. 5. t. 6. c. 12. n. 11. ait: Si pœnitens bona fide ad Confessionem venerit, vel quia nescivit tale peccatum Superiori reservatum esse, vel, tametsi sciverit, existimavit tamen, legitime se ab inferiori Sacerdote absolvi posse cum obligatione postea tempore opportuniore se præsentandi Prælato, in hoc casu arbitror, plerumque absolutionem cum onere dari posse; modo pœnitens præter reservatum aliquid peccatum absolutioni subjiciat. Ratio est, quia aliqualis necessitas urget; siquidem pœnitens ægro animo discederet absque absolutione, cum ex parte bene dispositus sit. Excipe, nisi excommunicatio adnexa sit: de qua re Rich. in 4. d. 18. a. 9. q. 4. Hactenus Laym. Sexto, Si pœnitens afferat casum reservatum in alia Diœcesi, non autem in hac, ubi fit confessio, absolvi potest à quovis istius Diœcesis Confessario; quia absolvitur juxta leges hujus loci: Doctores communiter, præsertim ex Constitutione Clem. X. *Superna*; quæ tamen limitat, nisi Confessarius noverit, illum *In fraudem reservationis alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse*; Quæ tamen fraus intelligitur à nonnullis Doctoribus, cum illud delictum est deductum aliquo pacto ad forum con-

contentiosum illius Episcopi: si autem sit occultum, non censetur fraus mala; utitur enim jure suo volens se reponere in gratia, ubi existit: Tamb. At, si pœnitens cum casu reservato incurso in alia Diœcesi accedat ad hanc, ubi est etiam reservatus, non potest hic absolvi à quovis Confessario, ex ead. Const. & ratio est, quia consuetudo ex tacito consensu illius Ordinarii dat huic Confessario jurisdictionem absolvendi talem peregrinum juxta leges hujus Ordinarii reservantis eundem casum. Reliqua de peregrinis, & Vagis vide dicta c. 2. quæs. 4.

§. III.

Quis absolvere possit Pœnitentem Regularem à reservatis?

I. REGULARES absolvi possunt à reservatis Papalibus per Legatum à Latere, qui est Judex ordinarius etiam Regularium exemptorum; ideoque hic etiam sine licentia Superioris Regularis potest eos absolvere etiam à reservatis in eorum Ordine: item potest hanc facultatem delegare aliis, ut eos absolvant etiam extra suam Provinciam, & etiam eo amoto ab officio, modo facultas obtenta sit intra ejus Provinciam, & perseverante Officio: Pelliz tr. 8. c. 1. n. 7. 8. fol. 454. ex Nald. Molfes. Coriolan. & aliis. Idem est de Summo Pœnitentiario Papæ, qui est etiam supremus Ordinarius Regularium: non sic vero de Episcopo, qui nequit absolvere Religiosos exemptos, nisi de licentia eorum Superiorum, & à casibus tantum, à quibus ipsi Superiores possunt absolvere: Sanchez l. 4. *Decal.* c. 39. num. 32. potest tamen etiam sine hac licentia absolvere à Censura Religiosum exemptum, qui percussit Clericum Secularem, ex c. *Religioso, de Sent. Excom. in 6.*

II. Regulares absolvi possunt per suum Superiorem localem ab omnibus reservatis in suo ordine: à Papalibus autem, quantum potest Episcopus relate ad suos subditos, juxta dicta c. 5. n. 2. excepta tamen percussione jam dicta Clerici secularis, quæ tantum ab Episcopo absolvitur; & percussione Religiosi alterius Ordinis, in quo casu requiritur præsentia, vel consensus Superioris Religiosi percussi, ex c. *Cum illorum, de Sent. Excom.* Potest item Superior Regularis absolvere suos Novitios

vitios à reservatis Episcopo, quos etiam ante ingressum commiserint, & à Papalibus, quantum potest Episcopus, & à reservatis in ordine (quos incurri etiam à Novitiis Societatis Jesu, docet Mangionius in MS. *de Jur. Societ.* licet non in aliis Religionibus teste Dian. p. 3. t. 2. r. 110.) Similiter absolvere potest existentes in Novitiatu veluti in prima probatione, licet nondum indutos veste Religionis: Peregr. Vecch. Ascan. Tambur. *de Jure Abbatis* t. 2. d. 13. q. 15. n. 29. Similiter absolvere potest volentes ingredi Religionem, petendo admitti amore ingrediendi quamprimum; ita tamen ut, si parati non sint mox ingredi, & peractis experimentis vota emittere, reincidant in censuras, sententias, & pœnas: Vecch. Tambur. & alii. Similiter absolvere potest seculares familiares Monasterii, dummodo sint quasi de familia, & continui commensales, ex cit. Constit. Clem. X. Peyr & alii. Similiter demum absolvere potest alumnos degentes in suo Monasterio, velut in Seminario: Bord. apud Pelliz t. 8. c. 3. n. 57. dummodo locus, in quo degunt alumni, & convictores, sit Regularium, & non econtra, ut bene limitat Lugo. *In Resp. Moral.* Verum, si quis dictorum pœnitentium, vel sit secularis, vel Novitius, vel etiam Professus, ante ingressum in Religionem fuit nominatim excommunicatus ab Episcopo, ab hoc tantum absolvi debet; quia privilegia Regularium non possunt lædere jurisdictionem contentiosam Judicis: Bordon. r. 3. q. 7.

III. Superior Regularis dictam suam facultatem potest delegare aliis Sacerdotibus, tum intra, tum extra Religionem. Hoc ipso autem, quod deputat Confessarium suorum subditorum, non censetur ei delegare facultatem ad reservata in Ordine; & in Societate Jesu neque ad Papalia, ut addunt Tambur. & alii contra Quintanad. Imo neque in Societate, cum bis in anno in renovatione votorum deputantur plures Confessarii, censetur his concessa facultas ad reservata, teste Mangionio in MS. *de Jur. Soc.* Imo, quamvis possit Superior concedere facultatem absolvendi suos subditos à reservatis, tamen in Societate expresse cautum est, ut, si ipse Superior incidat in reservatum, non possit ipse concedere hanc facultatem pro se, sed ex Congr. Generali 8. c. 6. n. 8. designatur à Provinciali Confessarius domus pro Superiore locali, & à Generali solius pro Provinciali.

Superior

Superior localis absolute loquendo non tenetur dictum suam facultatem concedere generaliter Confessario domus, aut subdito pœnitenti, quia fere semper intra domum ipse existit, à quo peti possit. Potest tamen eam concedere etiam generaliter; quia, quamvis Decr. Clement. VIII. cit. c. 3. §. 1. dicat, *Quando casus occurrit*, non addit clausulam negativam, ut non possit generaliter committere: Tamb. *de Cas. Reser.* c. 9. §. 2. n. 26. imo quandoque, inquit Quintanad. apud eundem, expedit, ut ita committatur, si nimirum ipse sit occupatus, vel ire debeat extra urbem, vel sint pauci subditi, vel pro aliquibus magnis festis anni, &c. Magister autem Novitiorum habet hanc facultatem relate ad illos, etiamsi non sit Superior, uti etiam Instructor in Societate relate ad peragentes tertium annum. Si autem Confessarius Regularium petat à Superiore facultatem absolvendi aliquem subditum ab aliquo reservato, & Superior neget absque causa, potest pro ea vice talis Confessarius eum absolvere (quod aliqui cum Tambur. extendunt eam ad Sacerdotem Monasterii non Confessarium) secus vero, si Superior rationabiliter neget, eo quod damnum proximo, aut Religioni, vel ipsi pœnitenti ex tali absolutione timeatur: Doctores communiter ex cit. Decr. Clem. VIII. & Urban. VIII. Cæterum non licet Superiori confessiones subditorum Regularium audire, nisi sponte, & proprio motu id ab eo petierint, aut nisi quando reservatum admiserint; ideoque in singulis domibus deputet duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum majori, vel minori numero, ut additur in eod. Decr. Clem. VIII. Si ergo in domibus non designentur duo Confessarii, aut plures, ubi major est numerus subditorum, Mendo d. 24. a. c. 5. putat. reservationem pro eo tempore videri impeditam, seu suspensam. In Residentiis, Missionibusque fixis, in quibus è nostris pauci morantur, jus idem habent earum Superiores, ac Rectores Collegiorum, integra tamen illis subditis manente concessione Congr. VIII. Decr. 25. pro parvis domibus, qua scilicet pœnitens, si non vult petere facultatem à Superiore, absolvi possit à reservatis per Confessarium ordinarium cum onere se præsentandi postea Provinciali, si brevi sit in ejus domum discessurus; item, si Superior ex Urbe abierit, Vicepræpositus, vel Vicerector ab eo dictus, habet facultatem absolvendi à reservatis, qualem habet ipse Superior.

Quod

Quod si nullum suo loco substituerit, etiamsi per unum, integrum tamen diem, sit tunc absens, nec consuli possit; is, qui Minister est, & domui tunc præest, facultatem habet tunc absolvendi, & etiam delegandi. Denique, ut omnes eximantur scrupuli, cum Confessarius bona fide dubitat, an mortale sit, quod proponitur, etiamsi ex genere suo reservatum sit, potest absolvere, licet ejusmodi dubitatio ex ignorantia procedat; sed neque postea, si animadverterit manifeste fuisse mortale, repetenda erit confessio; bona siquidem, & vera fuit absolutio: hactenus ex Ordin. General. c. 6. ubi etiam c. 5. additur, Clem. VIII. vivæ vocis oraculo dispensasse cum Societate Jesu, & concessisse, ut Magistri Novitiorum possint eorum confessiones audire; ut non teneatur Superior deputare duos, vel plures, quibus reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrit; ut ne judicium talis commissionis relinquatur Confessario; sed interdum Superiori pro ratione sui officii, in quibus casibus constet, & discreta charitas doceat esse denegandam.

Denique Religiosus iter faciens (præsertim si sit Societatis Jesu) absolvi potest à reservatis per Sacerdotem socium sui itineris; &, si is desit, per quemcunque alium Sacerdotem: quod si ad aliquem Societatis locum devenerit, absolvi debet per Confessarium ordinarium illius loci; aut, si is haberi non possit, per quemlibet Societatis approbatum; aut, si is quoque desit, per quemlibet externum: & in omnibus his circumstantiis cum onere, ut se postmodum sistat suo Superiori, ad quem est iturus, vel rediturus, ex Ordin. Gen. c. 6. nec mirum est, inquit Tambur. ex Lugo, illum obligari bis confiteri illa reservata, jam directe absoluta; nam seipsum ad id obligat, quia supponitur voluntarie prima vice confiteri: si autem adsit necessitas communicandi, vel celebrandi, ratione scandali, infamiæ, præcepti, &c. absolvitur tantum indirecte, ita ut debeat deinde directe absolvi, licet possit tunc tantum conteri, & communicare, aut celebrare. At, si spatio saltem unius mensis sit hospes in aliquo Collegio moraturus, si eo tempore incidat in reservatum, poterit, & debebit absolvi à Superiore illius loci, vel de ejus licentia absque ullo onere, ex cit. Ordin. Si autem in eo Collegio secum habeat hospitem etiam suum

Supe-

Superiorem, poterit etiam hic, si velit, eum audire, & absolvere: Quintanad. in MS. v. *Confess.*

Extant duo privilegia Fr. Minorum de Observantia apud Rodr. & Suar. *t. 4. de Relig.* Primum est, ut semel in vita eligere possint Confessarium de Ordine, à quo absolvantur ab omnibus omnino reservatis, & censuris, & dispensentur in irregularitate, excepta ex homicidio, vel mutilatione voluntaria. Secundum est, ut in articulo mortis ab eo absolvi possint ab omnibus omnino sine ullo onere, & quidem toties, quoties sunt in eo articulo, ut addit Suar. loc. v. Rodr, tom. 1. q. 62. a. 6. pag. 364. idipsum asserentem de Novitiis, & Familiaribus Conventus. An autem hæc privilegia sint bullata, ignorat Pelliz. t. 8. c. 2. n. 79.

§. IV.

Quomodo intelligendæ sint concessiones absolvendi à reservatis?

Ad absolvendum à reservatis extra casus supra enumeratos requiritur licentia specialis, & expressa, ex cap. 2. *de Pœnit. & Remiss. in* 6. quia, cum Superior sibi specialiter reservet tales casus atrociores, non videtur verisimile velle concedere aliis facultatem, nisi per expressam, & specialem licentiam, seu delegationem: quamvis ergo simplex Sacerdos absolvens pœnitentem, præsente, & non contradicente Episcopo, valide absolvat ex licentia tacita illius; non tamen, si absolvat à reservatis, quia tunc Superior tacite approbat, ut solet alios authentice approbare, tantum quoad non reservata: Avers. q. 17. s. 7.

Quæres primo, An petere talem licentiam pro reservatione sit onus pœnitentis, an Confessarii?

Respondeo, per se loquendo, esse onus pœnitentis; quia ad ipsum delinquentem pertinet eam difficultatem pati adeundo Superiorem ad impetrandam licentiam. Hinc Trid. *sess.* 14. *c.* 7. monens Confessarios ait, *Id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.* Cæterum, si pœnitenti sit valde difficile adire Superiorem, vel dictam licentiam impetrare, & simul periculum sit, ut potius perseveret in statu mortalis in grave dam-

damnum animæ, charitas obligat Confeſſarium ad obviandum ejus damno ſpirituali, quoties fieri id poteſt absque gravi incommodo: Pelliz. t. 8. c. 3. n. 26. & alii. Addit Quart. Confeſſarium, ſi rogatus à pœnitente petiit, & obtinuit licentiam, teneri poſtea illum abſolvere, quia, quando cauſa fuit deducta in judicium apud ipſum, tenetur eam complere, poſita dicta facultate; quamvis enim hæc ſit privilegium, tamen res non eſt integra; ideoque tenetur eo uti in favorem pœnitentis.

Si autem petita ſit licentia, & non obtenta non poteſt eum abſolvere, etiamſi injuſte ſit negata: Doctores communiter contra Henr. Rodr. & alios apud Averſ. & Dian. p. 2. t. 4. r. 29. & colligitur ex Prop. 13. damnata ab Alex. VII. juxta dicta q. 1. c. 3. §. 2. quamvis quoad pœnitentes Regulares benignius procedatur ex ſpeciali Decr. Clem. & Urb. VIII. juxta dicta cap. antec. Cœterum, quamvis Superior, per ſe loquendo, non teneatur concedere talem licentiam, ut colligitur ex natura ipſa reſervationis, qua Superior ad ſe avocat ſententiam ſuper reſervatis, communiter tamen non denegat, niſi in caſu aliquo atrociori, ut ſic territi pœnitentes efficacius proponant ab eo abſtinere: imo aliquando tenetur Superior concedere, quoties ſcilicet denegatio vergeret in grave damnum pœnitentis, qui actus in deſperationem plura peccata committeret, v. g. ſi quis non haberet animum accedendi ad Superiorem, & præ nimia repugnantia, aut verecundia mallet omittere confeſſionem, & perſeverare in peccatis, quam confiteri Superiori, & à fortiori, ſi eſſet periculum infamiæ, ſcandali, &c. tunc enim Superior tenetur ex officio, adeoque ex juſtitia dare licentiam, vel Confeſſario petenti, vel alteri magis idoneo: Suarez d. 3. ſ. 4. & alii.

Quæres ſecundo, An Pœnitentiarius, vel alius habens à Superiore facultatem delegatam abſolvendi à reſervatis, poſſit eam alteri Confeſſario ſubdelegare?

Reſpondeo: Primo, Non poſſe concedere generaliter: Secundo, Poſſe in caſu particulari occurrente pro ea vice: Doctores communiter cum Sanchez l. 3. *Matrim.* d. 31. vel etiam occurſuro intra aliquot dies, ut addit Pelliz. t. 8. c. 3. ſ. 2. dub. 2. n. 134. Patet primum, quia ex *L. fin. ff. de Off.* delegatus non poteſt ſubdelegare, hoc eſt facultem ſibi delegatam alteri ſimpliciter

concedere; nisi forte sit delegatus Principis, ex cap. fin. *de Off. delegat.* qualis in casu esset Summus Pœnitentiarius Papæ, vel Legatus à latere. Patet secundum, quia ex *L. 1. ff. Quis, & à quo,* delegatus ad universalitatem causarum reputatur, quasi Ordinarius: ergo potest saltem unam, vel alteram causam subdelegare in casu particulari hic & nunc occurrente, aut intra aliquot dies occursuro; & hanc potestatem non posse limitari à principali delegante, ait Pelliz. eo quod sit à jure. Imo, etiamsi habeas delegatam facultatem *Per teipsum tantum* absolvendi, adhuc putant aliqui ap. Crox n. 1687. te posse ab alio per te subdelegando absolvi; quia non debes esse deterioris conditionis, quam alii, quod certum est de Episcopis ex decl. S. Congr. sed quoad alios id negat Avers. quia, dum dicitur *Præcipuum*, negatur potestas subdelegandi. Dicitur autem delegatus ad universalitatem causarum is, cui aliquod saltem genus causarum committitur sub uno nomine collectivo, quamvis non sit genus generalissimum, ut si ei detur facultas absolvendi à reservatis pro tali festo, vel à reservatis in tali loco, vel à reservatis absque censura, vel generaliter à tali casu; is enim potest ad casus particulares hic & nunc occurrentes dare facultatem simplici Confessario approbata, ut absolvat pro eo festo, pro eo loco, &c. & sic, quoties pro eo festo, pro eo loco, &c. petatur. Cæterum subdelegatus non potest alteri subdelegare, quia nullatenus est ad universalitatem causarum, ut patet.

Quæres tertio, Quomodo intelligendæ sint licentiæ limitatæ absolvendi à reservatis?

Respondeo, Si licentia sit limitata quoad certum tempus, puta pro tali festo, durat per totam octavam, si festum octavam habeat; quia tota octava reputatur idem dies cum festo, & pro toto hoc tempore militat finis concessionis, cum fideles toto eo tempore soleant accurrere ad solemnitatem: Pelliz. t. 8. c. 3. s. 2. sub. 2. num. 136. ubi addit, talem concessionem incipere etjam prodesse à puncto temporis, quo data est; &, si festum sit ex solemnioribus, puta Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis, probabiliter prodesse etiam per octo dies ante, idque ex rationabili interpretativa voluntate concedentis spectato concessionis fine, & concursu populi, &c. Si autem licentia dicat, ut hic pœnitens absolvatur à reservatis, potest

potest per eam absolvi etiam post plures annos, & probabiliter mortuo etiam concedente, sive ea data sit Confessario, sive pœnitenti; quia est gratia facta, juxta dicta q. 1. c, 2. §. 2. Si autem pœnitens, antequam dicta licentia mandetur executioni, iterum incidat in reservatum, Lug. Dicast. Gob. Bon. & alii apud Dian. p. 4. t. 4. r. 109., & Avers. q. 17. s. 7. dicunt, etiam se extendere ad illum, nisi expresse limitetur ad præterita; quia mens concedentis est, ut consulatur saluti pœnitentis, & per absolutionem liberetur integre à peccatis. Si Confessarius obtinuit licentiam pro determinata persona, Moronus, & Pelliz. putant, posse ea uti pro alia loco illius, quia idem est finis concedentis, & gratia late interpretanda; nisi vero aliunde præsumatur mens concedentis hunc alium excludere. Si vero obtinuit licentiam pro una persona innominata, Pelliz. Avers. Dian. & alii putant, posse passive uti pro se, nisi moraliter constet, Superiorem intendisse ei solam activam potestatem, ut addit Lug.

Quæres quarto, Quomodo intelligendæ sint licentiæ illimitatæ absolvendi à reservatis?

Respondeo primo: Si licentia dicat, *Ab omnibus reservatis Sedi Apostolicæ*, non comprehenduntur casus Bull. Cœn., quia indigent speciali mentione, utpote strictissime reservati; uti nec in concessione omnium casuum Bull. Cœn. comprehenditur hæresis, nisi exprimatur, utpote etiam indigens specialissima mentione: Doctores communiter contra Tann. apud Croix num. 1616. Putant tamen Suar. Vasq. Laym. Henr., & alii, in dicta licentia comprehendi etiam casus Episcopales; quia, quos sibi reservant Episcopi, reservantur etiam Sedi Apostolicæ, à qua scilicet absolvi etiam possunt: sed omnino negandum est cum Veg. Rodr. Bonac. aliis præsertim post Constit. cit. Clem. X. ubi loquens de Regularibus expresse ait, *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis: non ideo à casibus reservatis Episcopo posse absolvere*: ergo pariter dicendum de aliis concessionibus absolvendi à reservatis Sedi Apostolicæ.

Respondeo secundo: Si licentia dicat; *Ab omnibus casibus reservatis Episcopo*, non comprehenduntur casus, quos Episcopus non vult concedere, nisi nominatim

exprimantur, qualis est in hac Diœcesi collocutio cum Monialibus de obscœnis. Probabiliter tamen putant Suar. d. 7. *de Censur.* s. 4. n. 3. & alii, in dicta licentia comprehendi etiam casus Episcopales, quibus est adnexa excommunicatio, aliave censura, quia ex recepto more loquendi nomine casuum reservatorum veniunt etiam, qui adnexam habent censuram: &, ut addit Pelliz. ex Nav., in favorabilibus (non tamen in odiosis) censura est casus; sed probabilius negant Sanch. Bon. & alii; quia sunt multi casus Episcopales, quibus non est adnexa censura, ut patet in eorum tabellis: ergo de his tantum videtur loqui dicta licentia.

Quæres quinto, Quomodo intelligenda sit Bulla Jubilæi, præsertim quoad facultatem absolvendi à reservatis?

Respondeo, Solere in ea concedi omnibus Confessariis approbatis ab Ordinario amplam facultatem absolvendi pro ea vice tantum quoscunque à casibus, & censuris ordinariis locorum, & Sedi Apostolicæ, etiam in Bul. Cœn. reservatis; satisfacta tamen parte: item commutandi omnia vota, exceptis votis Religionis, & Castitatis.

Dicitur primo, *Absolvendi*, & quidem pro utroque foro, dummodo constet, pœnitentem tempore Jubilæi esse absolutum: sed dubium est, an absolutio à censuris dari tunc possit extra confessionem Sacramentalem, cum verba Jubilæi plerumque dicant, *Auditis Confessionibus, &c.;* probabilius tamen ex Sanch. l. 8. *Matr.* d. 34. n. 29. videtur posse, quia hæc verba non ponuntur cum particula aliqua denotante conditionem, qualis est, *Si, Dummodo, &c.*, sed tanquam modus ad finem lucrandi Jubilæum. Similiter commutatio votorum, & operum injunctorum, ac temporum pro impeditis fieri potest extra confessionem: Croix num. 1460.

Dicitur secundo, *Pro ea vice* tantum, hoc est durante Jubilæo, & quidem toties quoties pro eo tempore, præsertim ea septimana, qua peraguntur opera injuncta: imo, si prima septimana lucratus sis Jubilæum, & in secunda incidas in reservatum, adhuc poteris tunc absolvi, etiamsi opera præscripta non repetas. Bonac. Pal., & alii contra Navar. Dian., & alios. Item, si rite confessus tempore Jubilæi omiseris

ris inculpabiliter reservatum, aut censuram, sive ex oblivione, sive ex justa causa silentio presseris, utrumque sublatum est, quia Confessarius absolvit, quantum potuit; quare, si post Jubilæum recorderis, poteris peccatum oblitum subjicere cuivis Confessario, juxta dicta c. 5.; imo Lug. apud Croix addit, etiamsi confessio fuerit sacrilega, modo adfuerit intentio bene postea confitendi: sed hoc communiter videtur esse contra mentem Pontificis; bene tamen, si fuerit invalida inculpabiliter: Dicast. & alii. Item, si justa ex causa prorogatum sit tibi Jubilæum, frui poteris dictis licentiis, quousque durat prorogatio; quod, si interea incidis in reservatum, Lug. Gobat. & alii negant, posse ab hoc absolvi: quia jurisdictio prorogatur tantum respectu ad reservata existentia tempore Jubilæi communis; probabiliter tamen etiam affirmant Boss. Faust. Dian., & alii, quia prorogatio Jubilæi conceditur, ut possis illud lucrari, & secundum hanc sententiam possent tunc etiam commutari vota post illud tempus emissa. Item, si oblitus mortalium impleveris reliqua opera injuncta tempore Jubilæi absque confessione, & postea recorderis reservatorum, Sanch. Lug. & alii probabiliter putant, posse absolvi à quovis Confessario; quia probabile est, lucrari tunc Jubilæum.

Dicitur tertio, *A casibus, & censuris, &c.* Per casus Sedi Apostolicæ reservatos, Sayr. Cord. Fagun. Regin. Gob. & alii intelligunt tempore Jubilæi etiam hæresim, & ita declaratum testatur Filliuc., sed probabilius negant Suar. Vasq. Pal. Avil. Bonac., & alii, quia hæresis ex dictis indiget specialissima mentione, & adest Declar. S. Congreg. sub Alexand. VII. an. 1656. apud Tambur. *in Op. post.* Item per casus Sedi Apostolicæ reservatos, Suar. & alii intelligunt tempore Jubilæi etiam reservatos Episcopo, etiamsi de his in Bulla non fiat mentio; sed probabilius videtur oppositum, juxta dicta quæsit. 4. Per censuras autem intellige eas, quæ per se impediunt Sacramenta pœnitentiæ, & communionis, qualis est omnis excommunicatio etiam publica, & vitanda: item interdictum personale speciale; non autem interdictum locale, aut personale generale; neque suspensio, ut addit Averss. c. 7, contra alios; neque irregularitas, ut docent communiter contra Bann. Medin. aliosque Thomistas putantes,

irregularitatem ex delicto habere vim censuræ. Addit Avila, quod, si excommunicatio sit denunciata, vel deducta ad forum contentiosum, satius sit, ut pœnitens remittatur ad Judicem.

Dicitur quarto, *Quoscunque, cujuscunque sint Diœcesis, modo confiteantur Confessario approbato ab Ordinario loci.* An autem possint tunc Regulares, & Moniales absolvi sine licentia sui Superioris à quovis Confessario, sive Regulari, sive Seculari, modo approbatus sit ab *Ordinario loci*, hoc est ab Episcopo, dictum est q. 1. c. 3. §. 4. An autem approbatus tantum pro viris possit tunc absolvere etiam mulieres, negant Doctores communiter cum Suar. d. 28. s. 7., quia scilicet non habet approbationem relate ad illas; quamvis Fagund. & alii apud Dian. p. 1. t. 11. r. 9. putent, quod, si restrictio approbationis ad solos viros sit solum ratione ætatis, non vero idoneitatis, possit etiam à mulieribus eligi. Similiter approbatus limitate ad certum locum, tempus, aut personas, non est universim eligibilis vi Jubilæi: Doctores communiter cum Filliuc. Gob. Bost. & aliis contra alios apud Dian. cit. Denique nota ex Sanch. Gob. & aliis, quod Pœnitens vi Jubilæi rite eligens Confessarium approbatum, etiamsi non Parochum, cum obligat sub mortali ad audiendam suam confessionem, &c., quia habet à Papa jus eligendi.

Dicitur quinto, *Satisfacta tamen parte.* si qua scilicet fuerit ab eo læsa. Quod si non possit, sufficit juramentum, vel juxta Navarr. Henr. & Dian. propositum satisfaciendi, cum commode poterit, & nomine partis, non venit hic Judex, vel Ecclesia, cui fuit contumax, nisi forte sit etiam læsa: Avil, & alii. Si autem possit satisfacere, & accedit tantum cum Proposito statim satisfaciendi, Suar. & alii communiter dicunt, invalidè absolvi; quamvis Sanch. & alii probabiliter putent, valide quidem, quamvis illicite, quia talis conditio, cum non sit expresse irritans, censetur tantum prohibens.

Dicitur sexto, *Commutandi vota, &c.* Commutari ergo possunt, ex justa tamen causa, etiam in aliquod minus, vota etiam jurata; imo etiam juramenta, modo non fiat in damnum tertii, Suar. Sanch. & alii communius contra Bonac. Less. & alios: exceptis tantum votis Castitatis, & Religionis, si tamen sint vota perfecta, & ex amore virtutis emissa, ut limitant

Pal.

Pal. & alii: quare hæc etiam commutari possunt, si sint vota pœnalia; vel sint conditionalia, etiamsi purificata sit conditio; vel sint alternativa cum alia materia, etiamsi hæc evaserit impossibilis; vel sint elicita ex metu, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, sive injuste incusso, etiam levi; vel emissa ab impubere; vel sub obligatione levi; vel ad tempus; vel si fuerint plura vota partialia pertinentia ad castitatem; vel demum si sint mera juramenta servandi Castitatem, ingrediendi Religionem, &c. Ita probabiliter Pal. Sanch. & alii contra alios. Illud nota, ut valide fruaris dictis facultatibus vi Jubilæi requiri, ut accedat ad Confessarium cum animo lucrandi Jubilæum, quia ad hunc finem conceduntur à Pontifice: Doctores communiter. Si autem postea mutes voluntatem, & nolis prosequi opera injuncta, valida fuit absolutio à reservatis, censuris, commutatio votorum, &c. Suarez, Sanchez, & alii communiter; etsi aliqui contra alios addant, peccare tunc contra finem Pontificis.

Quæres sexto, Quomodo intelligatur Bulla Cruciatæ, præsertim quoad facultatem absolvendi à reservatis?

Respondeo, Bullam Cruciatæ alicubi publicari, & sumi singulis annis; ideoque durat per annum, & in novæ Bullæ publicatione exspirat prior. Intra annum ubicunque sit Bulla cruciatus potest pro foro conscientiæ, & satisfacta parte per quemcunque Confessarium approbatum ab Ordinario loci absolvi toties quoties ab omnibus casibus, & censuris Episcopalibus etiam publicis (illicite tamen, si sit deductus ad forum contentiosum lite juste pendente, vel si nominatim sit denunciatus) A Papalibus vero, si sint publici, semel in vita, & semel in morte intra illum annum; si sint occulti, toties quoties intra illum annum (excepta semper hæresi, quæ nec occulta absolvi potest) Eadem dic, si pœnitens renovat Bullam anno sequenti: v. Tamb. c. 5.

Quæres septimo, Quid agendum sit Confessario dubitanti, utrum habeat facultatem in reservata?

Respondeo cum distinctione: Si enim dubium sit positivum, ita ut probabiliter putet, se habere facultatem in aliquod reservatum, vel eam nondum expirasse, potest valide, & licite absolvere; quia nititur opinioni probabili, & sic defectum jurisdictionis, si esset, suppleret Ecclesia: similiter: qui à Papa habent facultatem in reservata, probabiliter absolvere possunt ab illis etiam

tempore Jubilæi anni ſancti; quia hæc opinio, quamvis non ſit certa, tamen communiter recepta eſt à ſapientibus, adeoque, etiamſi eſſet falſa, eſt error communis cum titulo colorato putativo, nempe privilegio Papæ, & approbatione Ordinarii: Lug. d. 13. à n. 114. Carden. Croix n. 1690. Si vero dubium ſit negativum; tunc, ſi dubites, an licentia olim conceſſa nunc exſpiraverit, adhuc poteſt abſolvere, quia in tali dubio poſſidet licentia jam certo habita; contra vero non potes, ſi dubites, an olim habueris licentiam, an ſit expedita, &c. quia poſſeſſio ſtat pro reſervatione: Bon. & alii. Hinc, ſi licentia abſolvendi à reſervatis ſit ad certum tempus, puta ad menſem, potes ea uti etiam die ſequenti immediate poſt menſem; quia probabile eſt poſſe, ſecundum Pelliz t. 6. c. 2. n. 130. ex eo quod dies termini non computatur in terminum; quamvis Tamb. putet oppoſitum, eo quod licentia æquiparatur donationi, in qua dies termini computatur in terminum. Si autem licentia data ſimul ſit ad audiendas confeſſiones, & ad reſervata per menſem, & poſt menſem prorogetur licentia ad audiendas confeſſiones, non potes poſtea abſolvere à reſervatis, quia non intelligitur de novo conceſſa, ſeu prorogata facultas in reſervata, niſi de novo exprimatur: Bordon, Tambur. & alii.

Reliqua pro intelligendis clauſulis licentiarum dicta ſunt de Legibus tom. 1. tr. 1. d. 4.

APPEN-

APPENDIX

De Casibus Reservatis.

CASUS reservati alii sunt Papales; alii Episcopales, alii specialiter reservati in Ordinibus Religiosis: de his ut distincte agamus, sit

CAPUT I.

De Casibus Reservatis Papæ.

CASUS Papales, seu Pontificii in triplici sunt classe: in prima sunt 20. Casus Bullæ Cœnæ: in secunda sunt 6. à Clem. VIII. specialiter reservati extra Urbem intra Italiam: in tertia sunt reliqui in corpore Juris, aliisque Constitutionibus Papalibus contenti.

§. I.

De Casibus Bullæ Cœnæ.

USUS Bullæ Cœnæ fuit antiquissimus ante Mart. V. nam in Bibliot. Vatic. invenitur Bulla Greg. XI. 1370. & Hostiens. meminit ejus consuetudinem 1255.; ideoque ejus initium ignoratur: Bonac. Porro hæc Bulla renovatur singulis annis in Cœna Domini; continetque 20. excommunicationes latæ sententiæ contra omnes, & strictissime reservatas Papæ; quo mortuo etiam durant, donec nova Bulla publicetur. Hinc eas alii ap-

pellant excommunicationes à jure, quæ durant post mortem auctoris; alii vero ab homine, quia ceſſant in publicatione novæ Bullæ; alii melius dicunt, participare de utraque ſpecie, cum autem talis Bulla multas contineat excommunicationes, quæ extant in corpore juris, non has multiplicat pro eodem delicto, ſed ſtrictius reſervat; ideoque, ſi nova Bulla aliquas earum omittat, obligant tantum, ut in corpore juris, ſi, ſecluſa Bulla, erant in vigore: Pal. d. 3. p. 1. De his ergo primo hic ſigillatim nos agemus: itaque excommunicantur, & reſervantur Pontifici.

I. *Hæretici, & eis credentes, eorumque receptatores, ac fautores: item ſcienter legentes, retinentes, imprimentes, aut defendentes hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, nec non ſchiſmatici, & pertinaciter ſe ſubtrahentes ab obedientia Romani Pontificis.*

Prima itaque excommunicatio Papæ reſervata fertur primo contra hæreticos; quinam autem hi ſint, & quandonam hujusmodi excommunicationem incurrant, vide dicta tr. 2. §. *de Hæreſi* quæſito 1. & 3.

Secundo contra hæreticis credentes. Hi autem ſunt, qui errorem explicite non habent, ſed implicite ex Palud. Sylv. Tolet. ut ſi quis crederet, Calvinum vera docere, & mori vellet in ejus fide: porro debet hoc ipſum externis ſignis exprimi.

Tertio contra hæreticorum receptatores. Dicuntur autem receptare omnes illi, qui in domibus, vel aliis locis hæreticos recipiunt, illos occultando (etſi ſemel id præſtent, ex ſtylo Curiæ, & *l. Congruit, ff. de Officio Præſidis*, non obſtante, quod *receptare* ex vi vocis importet *frequenter recipere*) ne in manus Judicum veniant, & ſic pœnas contra hæreticos latas evitent. Ubi nota, quod ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut receptatio in favorem hæreſis cedat, ideoque fiat in cauſa hæreſis: unde non incurritur, ſi receptatur hæreticus, ne à latrone occidatur, vel ne incidat in manus Judicis procedentis ratione homicidii, vel alterius criminis: bene vero, ſi receptatur in cauſa hæreſis, etiamſi id fiat ex motivo amicitiæ, vel conſanguinitatis: Sayr. Tol. &c. imo, etiamſi effectus ſequutus non ſit: puta, quia adhuc hæreticus reipſa captus fuit à Judicibus. Ratio eſt, quia ſaltem pro eo tempore, quo hæreticus receptatur, & impeditur, ne capiatur à Judicibus, receptio

in

in favorem hæresis cedit, licet postea effectus cesset hæretico capto: ita Suar. Sayr. Pal. contra Sanch. Bon. Fill.

Quarto contra hæreticorum fautores. Quidam autem sunt fautores omissione, quidam commissione ex Sylv. Palud. Tol. Fautores omissione sunt, qui, cum ex officio teneantur hæreticos punire, vel incarcerare, non faciunt. Addit Sylv. sub hac censura comprehendi etiam personas privatas, quæ ex juramento tenentur hæreticos denunciare, & non denunciant; non tamen, qui ad id tenentur solum ex charitate (cum ad id teneamur omnes) nec proinde, nisi sint jurati, dici possint fautores. Fautores commissione sunt, qui verbis, literis, vel factis favent, & qui laudant hæreticos, dicendo, *Inique Inquisitores contra ipsos procedunt, &c.* vel illis præstant opem, qua fugiant, vel alia hujusmodi: favor tamen debet esse in causa hæresis.

Quinto contra defensores hæreticorum, vel eis credentium, nempe, ut explicant Sylv. Archidiac. Tolet. qui viribus, ac potentia eos defendunt, ne excommunicentur, capiantur, puniantur. Item Notarii, Advocati, qui in causa hæresis eis patrocinantur.

Sexto contra scienter legentes libros hæreticorum. Porro libri in hac bulla prohibiti sunt omnes, & soli libri auctoris hæretici continentes hæresim, vel tractantes de Religione; hoc est vel unam saltem continentes hæresim, vel tractantes ex professo de rebus sacris, asceticis, aut bonis moribus. Non ergo prohibetur in hac bulla liber Ethnici, Catechumeni, aut Judæi, etsi contineat errorem in fide, quia non est liber hæretici. Neque liber Catholici, quomodocunque contineat hæreses, vel hæreticorum scholia, seu commentationes etiam copiosissimas, quia adhuc absolute non dicitur liber hæretici: Sanch. Tamb. & alii contra Suarez, & alios. Si autem damnetur auctor tanquam hæreticus, jam liber ille est hæretici, & continet hæresim; at, si tractabat de Religione, nec continebat hæresim, Bonac. adhuc putat, posse legi, quia scriptus jam fuit spiritu catholico.

Reliqui libri prohibiti in indice sunt in duplici classe: alii enim prohibentur sub excommunicatione, alii tantum sub peccato. Sub excommun. lata, ac reservata à Sixto V. *Cœli, & Terræ* prohibentur omnes libri, & scripta astrologiæ judiciariæ, seu divinationum de futuris contingentibus liberis. Porro Potestà pag. 562. ex cit. Constitut. Sixt. V. colligit excommunicationem, sed non

non reservationem; &, si tales libri astrologiæ, necromantiæ, veneficiorum, sortilegiorum, &c. non contineant hæresim, nec eam sapiant, nec ejus suspicionem, nec falsum dogma, non incurri excommunicationem. Dicuntur autem continere suscipionem, si asserant, Astra, nedum inclinare, sed cogere nostras voluntates, vel esse infallibile indicium: item, si præcipiant dæmonis adorationem, abusum Sacramentorum, si asserant signa habere vim ex opere operato, &c. Sub excommunic. lata non reservata prohibentur à Clem. VIII. *Cum sint* omnes libri hæresiarcharum, etiamsi non tractent de Religione, nec hæresim contineant; idemque est de libro hæretici nondum examinato, & approbato jussu Episcopi, vel Inquisitionis, juxta Reg. 2. Ind. item libri eorum, qui sunt suspecti de hæresi, vel catholicorum, in quibus sunt aliquæ hæreses immixtæ, donec corrigantur; item Talmud. & alii libri hebræorum, in quibus sit aliquid contra fidem, & Alcoranum Basileæ impressum. Denique sub peccato mortali tantum prohibentur cæteri libri vetiti quocunque alio nomine, puta obscœni, impostores, &c. juxta Regulam Indicis 10. putatque Tambur. esse posse aliquando veniale aliquem istorum legere, nisi contineat errorem, nec vetetur ex fine gravi; at nullus liber vetari solet à S. C. nisi ex fine gravi.

Legere autem diceris, etiamsi tantum oculis, & mente simul intelligendo librum percurras; quia sic proprie, & sensibiliter legis, quamvis vocem non proferas: Doctores communiter. Contra vero excusaris ab excommunicatione, si ignorans idioma librum percurras, quasi legendo, vocesque efformando; quia, sic proprie non legis: Tamb. & alii contra Bonac. & similiter, si mente tantum recites, quæ olim legisti. Excusaris etiam, si, ignorando librum esse prohibitum, vere, & proprie legas, etiamsi ea ignorantia sit crassa, & supina; quia Bulla dicit, *Scienter*. Excusaris etiam, si parum legas, ratione parvitatis materiæ; hanc alii dicunt esse unum, aut alterum versiculum, sic Azor. alii non multas lineas, sic Suarez; alii decem lineas, sic Sayr. alii unam paginam, & aliquid plus, sic Sanchez; alii unam paginam libri in folio impressi, sic Pal. Omnes probabiliter, inquit Tamb. dummodo ibi non contineatur doctrina, ob quam ille liber est prohibitus; quia tunc, si scienter legas, ea inobedientia est gravis; si autem casu, & non ex intentione, poteris excusari. Nullatenus tamen excusaris,

cusaris, si in magna quantitate legas partem libri, quamvis ibi non sit error, sive ea sit epistola dedicatoria, sive proœmium, sive index, &c. quia ea est pars libri, qui totus est prohibitus. Si vero legas ibi aliquem tractatum sanæ doctrinæ, quamvis in eo tomo compactum, habeat tamen rationem libri secundum se distincti, excusant Sanch. Bon. Tamb. & alii, & à fortiori, si sit in tomo distincto. Quod si legas concionem, epistolam, quaternionem, aut quid simile typis impressum, & solutum, Pal. Pignat. & alii non excusant, quia secus, si liber ita dissolveretur, aut nondum esset compactus, singuli quaterniones possent legi, sed excusant Sanch. Dicast. & alii, dummodo quaternio ille non sit in tractatus formam redactus; quia sic non habet rationem libri. Probabilius tamen non excusaris ab excommunicatione legendo (imo à fortiori retinendo, ne scilicet in aliorum manus libri isti deveniant, quod etiam lex prohibitiva intendit avertere, cum velit illos omnino comburi) librum prohibitum, etsi cesset periculum propriæ subversionis ex doctrina explicata in Tract. de Legibus d. 2. quæst. 4. c. 3.

Dubium est primo, An excuseris ab excommunicatione, si tantum audias legentem tales libros?

Negant Suar. & alii, quia intelligentia mentis est propria, ac principalis actio in ratione lectionis; præsertim, si induxeris illum ad legendum, ut addit Azor, quia sic censeris legere per alium. Sed probabilius te excusant Sanch. Con. Fill. Pal. Tambur. Bonac. & alii; quia ille proprie dicitur legere, qui mente simul, & oculis librum percurrit; ideoque addit Steph. n. 51. probabile esse, te neque peccare, si præciso periculo propriæ perversionis jubeas, legi tibi librum ab alio idiomatis ignaro, vel habente facultatem legendi, ut addit Sousa.

Dubium est secundo, An excuseris ab excommunic. si legas librum non typis impressum, sed manuscriptum?

Negant communiter Suarez, Sanchez, Dicast. Pignat. & alii; quia secus facile eluderetur prohibitio, cum possent hæretici sola manuscripta divulgare, & alii facere sibi transcribi tales libros; per quod non evitaretur periculum perversionis: adde, quod liber manuscriptus in communi acceptione est vere liber, & de materiali se habet, quod fit typis impressus, aut manu exaratus, ut antiquitus fiebat. Affirmant tamen alii cum Tambur. d. 2. *Decal.* c. 1. n. 14. quia MS. non sunt

hodie

hodie in rigore libri, & in odiosis non est facienda extensio; lex autem ista, quamvis sit favorabilis Fidei, tamen immediate gravamen continet, cum privet hominem legendi libertate, qua fruitur, neque ideo elicitur lex; nam libri impressi facilius habentur, libentius leguntur, & diutius manent, quod non habetur in MS., & confirmat, quia, quando Pontifex vult scripturas sub prohibitione librorum includere, facit speciatim eos nominando, ut in Conc. Lat., & Tridentin. in ordine ad impressionem, ac divulgationem, ut infra patebit, & est in Reg. Ind. 10., ubi habetur, quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris *scripta* ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem prohibita legerit, sive habuerit, statim in sententiam excommunicationis incurrat; ergo, dum solos libros nominat, ut in Bull. Cœn. non includit MS.

Septimo contra retinentes prædictos libros. Retinere autem dicitur, qui apud se habet librum etiam alienum, vel suum apud alium loco depositi, aut pignoris, quia utrovis modo revera dicitur retinere: idque verum est, etiamsi ille, apud quem retines, librum non intelligat, vel quocunque fine apud te retineas: quare neque excusantur aromatarii eum retinentes ad involvendum aromata, medicinas, &c., Sanch. Tamb. & alii. Si loco commodati tradas habenti facultatem, probabile est excusari; quia sic non habes liberum usum, adeoque non retines rigorose. Excusat hic etiam parvitas materiæ: puta, si retineas unum, duo, vel tria folia; quia minus periculum est retinere, quam legere, ut notat Tambur. Similiter, quamvis possis commode librum extradere, si retineas per unum, aut alterum diem, excusaris à mortali, & ab excommunicatione, ratione parvi temporis: Sanchez, Pal. Tambur. Dian. Pignat. pag. 282. Similiter, quamvis pecces graviter si habeas voluntatem diu retinendi, si tamen paulo post proponas extradere, non incurris excommunicationem, quia non habetur peccatum exterius consummatum, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 4. Excusat pariter, si desit commoditas tradendi, etiamsi diu hanc expectes, dummodo paratus semper sis tradere, absque ulla fraude, ac negligentia; Pignat. Croix num. 35. Similiter, si petiisti, & expectas licentiam illum legendi, potes retinere, donec licentia data sit, vel negata; dummodo responsum quamprimum expectetur: idemque

que est de renovatione licentiæ post elapsum triennium; atque hæ licentiæ ex Constitut. Urb. VIII. ann. 1631. nonnisi à Congr. S. Off. quæ singulis hebdomadis habetur Romæ, conceduntur, v. Tamb. num. 19. Illud hic obiter noto cum Croix num. 346. quod, cum in licentia legendi libros hæreticos additur, *Ad salutem animarum, ad effectum errores confutandi, &c.* tunc, si legas non ex tali fine, sed ex sola curiositate, peccas quidem, quia agis contra finem, quem Legislator serio, & efficaciter intendit, non tamen incurris excommunicationem, quia licentia adhuc manet valida in ordine ad cavendam censuram, nisi expresse dicat, *Alias non, &c.*

Tradendus est autem liber Inquisitoribus, vel Episcopo, juxta Constit. Jul. III. & Pii IV. Hinc communiter negant, posse propria auctoritate comburi; sed adhuc probabiliter te excusant Sanch. Fil. Pignat. pag. 483. quia quando præcipitur, ut tradatur Inquisitoribus, vel Episcopo, ideo est præcipue, ne retineatur, & tu comburendo jam non retines. Hinc potes etiam tradere habenti facultatem legendi, dummodo abdicas à te dominium donando, aut vendendo; & similiter tradere potes Religiosis, ut reponant in loco in singulis Monasteriis assignato, qui dicitur *Carcer*, seu *Infernus hæreticorum:* Ugol. Sayr. Fag. Bonac. Pignat. & alii. Idem dicendum, si hæreditate acceperis tales libros, quamvis aliqui apud Croix num. 354. putent, etiam posse vendi Bibliopolæ hæretico, vel commutari cum aliis ejus libris non prohibitis; quia, si ibi sit similium librorum copia, causa Religionis non fit multo deterior, ut ait Less. cas. 22. Si autem Bibliopola catholicus deceptus sit in emendo tales libros, potest dissoluto contractu repetere suum pretium; quod, si nequeat, attribuat casui suum damnum: Less. cas. 20. Compactores vero, si libros compingant, ut statim mittant habenti licentiam, excusantur; uti etiam famulus, qui jussu domini habentis licentiam conservat tales libros: Sanch. Ugol. Ovied. Pignat. pag. 482.

Quæ dicta sunt, procedunt etiam de libris prohibitis, donec corrigantur: qua in re ab Alex. VII. damnatur hæc Prop. 45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.* Correctio autem fieri debet à tribus viris doctis, ac piis ex licentia Inquisitorum, aut Episcopi, juxta §. 1. & 5. corr. Ind. idemque est de examine, & approbatione,

juxta

juxta Reg. 2. ideoque communis ſententia cum Rodr. Port. Dian. Leandr. Sanch. l. 2. *Decal.* c. 10. num. 34. & aliis plurimis, negat, tuam particularem correctionem tollere prohibitionem: quamvis Sylvius p. 1. v. *Libri* q. 2. dicat, quod, cum talis rigor non ſit in viridi obſervantia, probabile ſit viro docto licere juxta indicem expurgatorium per ſeipſum corrigere; & Peyrin. tract. 2. *de Privil. Minim.* Conſtit. 9. Paul. V. num. 10. dicat, poſſe etiam corrigi à Prælatis Regularibus, non obſtante decreto Urb. VIII. ann. 1631. quia Pontifex loquitur de licentiis particularibus, non de privilegiis Regular. Demum quoad retentionem quaternionis ſoluti, vel libri manuſcripti idem dicendum, ac dictum ibidem eſt de eorumdem lectione. Unum addo, ex Trid. *ſeſſ.* 4. ſub finem, excommunicationem non reſervatam incurrere illum, qui librum MS. tractantem de rebus ſacris communicat, vel evulgat, niſi ante examinatus, probatusque fuerit; quod tamen intelligendum de MS. quod ſit opus completum, & perfectum, quale typis mandari ſolet, non de aliis, quæ ſine prævia approbatione diſcipulis paſſim communicantur in ſcholis: Bon. Azor. Tamb. num. 16.

Octavo contra imprimentes hujusmodi libros. Porro dicitur imprimere librum auctor faciens imprimi; item dominus officinæ impreſſoriæ; &, qui componit typum, humectat chartam, imponit atramentum, aut præmit prælum: Suar. Tamb. Laym. Pignat. p. 484. qui autem corrigunt impreſſionem, aut faciunt ſumptus pro ea, quamvis proprie non dicantur impreſſores, tamen exalio capite ſubjacent excommunicationi Bullæ Cœnæ, vel quia legunt, ut corrector; vel quia favent hæreticis, ut faciens ſumptus, tranſcribens, &c. Ugol. Sayr. Fil. Dicaſt. Pign. &c. Econtra vendentes chartam, characteres, atramentum, aut alia inſtrumenta ſunt cauſæ valde remotæ, nec videntur incurrere cenſuram: Pal. Tamb. num. 46.

Quoad reliquos libros extra Bullam Cœnæ eſt excommunicatio lata non reſervata à Concil. Later. *ſeſſ.* 20. contra imprimentes, vel imprimi facientes libros, vel quamcunque ſcripturam ſine Epiſcopi approbatione, & hi libri comburuntur ultra alias pœnas ibi contentas: hoc ipſum confirmatur à Trid. *ſeſſ.* 4. *in fin.* & extenditur ad imprimentes, vendentes, aut retinentes librum agentem de rebus ſacris ſine nomine auctoris; & additur, ut approbatio

batio in scriptis detur, & appareat in fronte libri; &, si auctor libri sit Regularis, habeat approbationem, tum Ordinarii, tum suorum Superiorum. Ex quo vides, inquit Tamb. hos libros, nisi aliunde sint prohibiti, posse à te legi, si apud te non retineas; quia Concil. prohibet imprimi, vendi, aut retineri, nihil de lectione. Si tamen moraliter constet approbatio, etsi non sit in libro appositа, non peccas saltem graviter, imprimendo, vendendo, aut retinendo, quia jam servatur tota substantia præcepti, & à fortiori si apponatur illud *Cum licentia Superiorum*, quod usu ipso non raro approbari, notant Tamb. num. 51. & Bon. num. 7. Rursus, qui habuit prædictam approbationem, sed deinde, dum imprimit, addit, vel demit aliqua, non peccat; nisi tale, vel tantum addat, ut censeatur novus moraliter liber: Tamb. num. 52. Bonac. n. 8. Denique, qui libro de rebus sacris non apponit nomen verum auctoris, sed fictum, vel per anagramma mutatum, non excusatur à pœnis Tridentini, nisi apponat nomen alterius sufficientis, ut collegii, aut ordinis, cujus est auctor: Tamb. Bonac. & alii. Quamvis Dicast. num. 1241. dicat, se videre viros doctos, & pios id sine periculo facientes, ponendo nomen fictum auctoris, impressoris, & urbis: sed reipsa non videntur omnino excusari.

Noto contra defendentes. Ille dicitur defendere librum hæretici, qui facto, vel verbo illud tuetur. Ut, si occultes librum, aut impedias, quo minus extradatur, comburatur, &c. si cures, ut imprimatur, introducatur in Civitatem; &c. si scribas in ejus defensionem etiam occulte in tuo cubiculo; si ex pravo animo proponas argumenta pro ejus defensione, aut hæresis in eo contentæ; si laudes stylum, aut doctrinam eo animo, ut damnationem impedias: Pignat. pag. 489. Si autem laudes stylum, ingenium, nec ejusmodi verba faciunt ad libri conservationem, non incurris excommunicationem. Similiter, si dicas ex his, vel illis rationibus male oppugnari, dummodo simul absolute dicas, esse reprobandum ex aliis rationibus: Dicast. num. 1219. Si vero dicas, te velle librum defendere, nec tamen defendas, non est contra Bullam, nisi id dicas in circumstantiis, in quibus retraherentur, qui illum extradere deberent: Sanch. Pal. Tamb. & alii.

Decimo contra schismaticos, qui tamen in Bullis antiquis ante Pium V. non continebantur. Dicuntur schis-

matici à schismate. Est autem schisma *Rebellis separatio à capite Ecclesiæ, & Christi Vicario.* Duo igitur sunt necessaria ad hoc peccatum contrahendum ex D. Th. 2.2. q. 39. a. 1. ad 2. Primum, ut homo se separet à Summo Pontifice per inobedientiam: Secundum, ut hoc sit cum rebellione quadam, scilicet pertinaciter ipsius judicium subire nolendo, ejusque præcepta contemnendo. Schisma aliquando conjungitur cum hæresi, quando scilicet, quis opinatur, Romanum Pontificem non esse verum Christi Vicarium, & Caput Ecclesiæ. Aliquando est sine hæresi, quando scilicet quis credit, Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiæ; sed ex malitia, vel passione non vult illum opere recognoscere. In hanc excommunicationem incidunt schismatici, licet schisma non sit cum hæresi conjunctum.

Undecimo contra pertinaciter se subtrahentes ab obedientia Romani Pontificis, aut ab ea recedentes, quibus verbis non intelliguntur schismatici, ut bene Tolet. sed illi, qui mandato Romani Pontificis pertinaciter, hoc est, scientes esse tale mandatum, nolunt obedire: quod non satis est ad schisma; nam schisma habetur, ex dictis, quando homo in totum à judicio Romani Pontificis se subtrahit.

II, *Appellantes ab Ordinationibus Roman. Pontif. ad futurum Concilium, eisque auxilium, vel favorem præstantes.*

Nota primo, Nomine Ordinationis comprehendi omnes sententias, præcepta, leges, censuras, & pœnas generaliter, vel specialiter latas. Secundo, Ad hoc, ut iis, quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit, excommunicationem incurrant, duo requiruntur, ut notant Nav. Sayr. & Bon. Primum, ut auxilium, seu favor appellationem antecedat; unde approbantes appellationem jam factam, vel appellantibus faventes post appellationem, hac excommunicatione non ligantur; Secundum, ut appellatio cum effectu sequatur, secus enim non verificatur, quod vi auxilii, vel favoris appellatum sit. Tertio, Additur hic interdictum ob eandem causam pro Collegiis, aliisque cujusvis nominis Communitatibus appellantibus, vel auxilium, aut favorem præstantibus. Ad incurrendum autem hoc interdictum non est necesse, ut omnes de illa Communitate, sed satis est, si major pars appellet, vel auxilium præstet.

III. *Piratæ, Cursarii, aut Latrunculi maritimi discurrentes mare pontificium, præcipue à monte argentario usque ad Terracinam, eorumque receptatores, ac fautores.*

Nota

Nota primo: Sub diversis nominibus Piratarum, Cursariorum, &c. venire easdem personas, ex Sylv. Sayr. Dicuntur autem Piratæ quicunque per mare, aut flumen discurrunt animo deprædandi, mutilandi, occidendi. Qui per flumen discurrunt, dicuntur fluviales, & sub hac excommunicatione non comprehenduntur: qui vero per mare discurrunt, dicuntur maritimi; & olim omnes hujusmodi Piratæ excommunicabantur in Bulla Cœnæ, ut constat ex Bullis antiquis: nunc vero excommunicantur solum illi, qui discurrunt per mare Pontificium; quod scilicet pertinet ad Pontificem etiam mediate ratione feudi, ex Bon. Secundo, Hanc excommunicationem non incurrunt, qui, dum est indictum bellum, hostes deprædantur, non enim animo deprædandi, sed vindicandi hostes, deprædantur: incurrunt autem Piratæ, utut deprædationem non committant, dummodo animo deprædandi discurrant mare Pontificium; quia actio sub hac excommunicatione prohibita est maritimus discursus: ita Tol. Bonac. Ugolin. Tertio, excommunicationem istam afficere piratas, qui mare discurrunt, ut fideles expolient, non vero qui infideles, ut nec afficit, qui piratas ipsos deprædantur. An autem incurratur à deprædantibus naves infidelium cum damno fidelium, vel quia in illis repositæ sunt merces fidelium, vel quia dictæ naves à fidelibus assecurantur, est quæstio, cui affirmative respondet Bonac. negative Suar. Filliuc. Pal. Dubium potest esse, an comprehendantur sub hac excommunicatione remigantes, & inservientes piratis? Communis solutio est, per se comprehendi: excusari tamen, si sine gravi periculo à dicta cooperatione abstinere nequeant; &, licet aliquando teneantur omittere etiam cum vitæ periculo, tamen credibile non est, velle Pontificem censuris obligare eos ad omittendum.

IV. *Surripientes cujusvis generis bona naufragantium Christianorum etiam in litoribus inventa, &c.*

Huic excommunicationi similis est alia in corpore juris, sed non reservata, quæque non incurritur statim, sed requiritur insuper, ut, qui bona capiat naufragantium, sit in mora non restituendi: non ita de hac excommun. Bullæ Cœn. quæ statim incurritur, quippe quæ fertur in surripientes (& sane cujusvis generis sint bona, dummodo sint fidelium, non infidelium, non in quocunque mari inventa) Porro debet subreptio esse peccaminosa: hinc non incurritur, si prædicta bona accipian-

tur animo reſtituendi ea Domino, &c. Ex Bon. tamen incurritur per injuſtam acceptionem etiam manifeſtam, quidquid ſit, quod ſubreptio proprie importet acceptionem injuſtam clandeſtinam. Illud demum adverte, à Pontifice derogari privilegiis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus in oppoſitum, dummodo & illa, & hæc ſine juſto titulo eſſent introducta: ſecus, ſi juſto titulo, puta, quia naufragantibus auxilium præſtatur, &c.

V. *Imponentes nova pedagia, ſeu gabellas, vel eas augentes, præterquam in caſibus ſibi à jure, vel ex ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ conceſſis.*

In Bullis antiquis ſolum excommunicabantur imponentes nova pedagia. Sunt autem Pedagia *Tributum, quod ſolvitur ob tranſitum perſonæ, vel mercium.* A Pio V. additum eſt verbum illud *Gabellæ:* hæ autem ſunt *Quodcunque tributum impoſitum, ſive pro delatione, ſive pro translatione, ſive pro emptione, ac venditione mercium.* Ad incurrendam hanc excommunicationem debet nova gabella imponi, vel augeri à Dominis temporalibus in terris ſuis (ſi enim imponeretur in terris alienis, eſſet, non impoſitio gebellæ, ſed furtum, quod ex Bonacin, hac excommunicatione non notatur) & quidem extra caſus à jure, ſive de licentia Sedis Apoſtolicæ permiſſos. Jure autem id permittitur Imperatori, *C. ſuper, de verb. ſign.* Item Regibus, & cuilibet in temporalibus Superiorem non agnoſcenti; item iis, quibus ex conſuetudine immemorabili impoſitio iſthæc competit, *ex Gloſſ. in cit. cap. Super, &c.* Demum cui id ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia conceditur. Duo demum adverte: primum ex Tol. contra Pal. & alios, quod probabilius non excommunicantur, qui habentes poteſtatem imponendi gabellas, imponunt injuſtas, eo quod hic excommunicantur non quomodocunque imponentes gabellas, ſed novas ſine poteſtate: alterum eſt, quod Miniſtri, & cæteri Officiales, qui ſupradictas gabellas exigunt, etiam excommunicatione ligantur, quam tamen non incurrunt ex Sylv. Nav. ſi à ſponte ſolventibus (quod tamen præſumi non poteſt) recipiant, cum ſic dici non poſſint vere, & proprie exactores.

VI. *Falſificantes literas Apoſtolicas, aut falſo fabricantes: Falſificantes ſupplicationes, vel eas falſo ſignantes.*

Excom-

Excommunicantur hic primo Falsarii literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis. Dicuntur autem falsarii literarum, qui iisdem literis aliquid addunt, vel tollunt, ex quo eorum sensus mutetur; mutatio enim verborum retento sensu falsitatem non inducit, *Cap. ex Conscientia, de Crimin. falsi.* In Bullis vero antiquis etiam qui unum punctum, vel literam mutarent in dictis literis excommunicabantur, poterat tamen eos absolvere summus Pœnitentiarius: Literæ autem Apostolicæ appellantur illæ, quæ nomine Summi Pontificis (cujusmodi non sunt literæ Pœnitentiariæ, Inquisitionis, Nuntii, Legati, Episcopi; proindeque, qui has falsificat, non incurrit hanc excommunicationem) expediuntur, quæ, si sint plumbatæ, dicuntur *Bullæ;* si sigillo cereo signatæ, vocantur *Brevia.* Falsarii igitur tam Bullarum, quam Brevium hac excommunicatione afficiuntur: item excommunicantar falsarii, seu falso signantes supplicationes, gratiam, vel justitiam concernentes per Rom. Pontificem. aut Vicecancellarium, aut per eorum Vicesgerentes, aut de mandato Summi Pontificis signatas. Supplicationes sunt, quæ Rom. Pontifici offeruntur, & ab eo, vel à Vicecancellario, vel ab eorum Vicesgerentibus signantur. Incurritur hæc excommunicatio, etsi falsitas, vel leve, vel nullum damnum afferat parti, aut Fisco, ut in dispensationibus, indulgentiis, &c. quia hæc falsificatio, præcise ob injuriam, quæ fit Pontifici, cujus auctoritas contemnitur, sub ea excommunicatione est prohibita.

VII. *Deferentes arma, aut alia hujusmodi usui bellico idonea ad Turcas, vel ad alios Christiani nominis inimicos, aut Hæreticos per Apostolicam Sedem expresse, & nominatim declaratos; vel eosdem certiores facientes per se, vel per alium de pertinentibus ad statum Christianorum in eorundem damnum.*

Hanc excommunicationem incurrunt, Primo, Qui per seipsos deferunt Infidelibus, vel Hæreticis arma, equos, &c. sive deferant nomine proprio, sive alieno: qui vero deferri mandant, non incurrunt. Nomine Armorum, &c. non solum veniunt arma, sed etiam eorum materia, scilicet ferrum, funes, filum ferri, stannum, chalybs, & alia metallorum genera ad id idonea: item instrumenta bellica: item lignamina (intellige ligna, ex quibus conficiuntur naves, vel aliæ machinæ ad bellum idoneæ, non quæ ad comburendum, vel ad alios usus

deſerviunt: non intelligi naves ipſas putat Cajet. oppoſitum tamen admittitur communiter à Nav. Tol. Sayr.) Item veniunt arma tum offenſiva, tum defenſiva, ut communiter docent, ex *l. Armorum, ff. de verb. ſign.* non ſunt autem arma cultri ad ſcindendum pannum, aut panem, neque alia inſtrumenta ad uſum agriculturæ. Nomine equorum veniunt omnia animalia bello inſervientia ad trahendos currus, portandas ſarcinas, victualia, &c. excuſantur tamen Chriſtiani coacti remigare in triremibus Turcarum, & qui eas res deferunt ad Saracenos non gerentes bellum cum Chriſtianis. Similiter excuſantur ab excommunicatione (etſi non à peccato) ex Nav. & Tol. qui deferunt veſtes, & victualia, quia hæc non intelliguntur per illa verba Bullæ, *Et alia hujusmodi.* Incurrunt ſecundo, qui de rebus ad ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ pertinentibus certiores faciunt prædictos infideles, aut hæreticos in perniciem, & damnum Chriſtianorum: duo igitur ad hanc excommunicationem requiruntur, alterum, quod certiores faciant infideles de rebus ad Chriſtianam Rempublicam ſpectantibus; alterum, quod hoc in damnum vergat Chriſtianorum. Incurrunt tertio, qui ad id præſtant favorem, &c. hoc eſt, ex Pal. qui Chriſtianis prohibita deferentibus, vel certiores facientibus opem præſtant, &c. Demum omnia privilegia revocantur conceſſa Dominis Principalibus, Rebuspub. & particularibus perſonis aſportandi vetita ad infideles.

VIII. *Impedientes, ſeu invadentes eos, qui victualia, aut alia neceſſaria ad uſum Romanæ Curiæ convehunt, & prohibentes, ne prædicta deferantur: item eorum defenſores vel per ſe, vel per alium, &c.*

Primo, Nomine victualium veniunt omnia, quæ ad cibum, potum, & veſtitum deſerviunt, *l. Cætera, de V. S.* Per alia neceſſaria intellige, quæ curialibus tum ad habitandum, tum ad negotia, & munera peragenda, tum ad honeſtam recreationem deſerviunt. Secundo, Nomine Cur. Rom. venit tam familia Papæ, ſeu Tribunal Pontificium, in quo negotia Eccleſiaſtica conficiuntur, ubicunque Pontifex reſideat, quam locus, in quo Cardinales reſident, poſt obitum Papæ. Dubium eſt, an excomm. incurrat, qui impedit deferentem Romam victualia vel in proprium uſum, vel in uſum perſonæ alicujus particularis? Affirmant Bon. ſi victualia deſerviant perſonæ curiali: ſecus, ſi ad uſum proprium, etſi ipſe ſit curialis; tamen

tamen probabilius ex Sayr. Pal. dicendum, quod ad incurrendam hanc excommunicationem ly *Ad usum Curiæ* intelligendum sit relate ad illos, qui Curiæ deserviunt, non quidem collective sumptos, sed divisive, sive hos, sive illos; adeoque non relate ad personam determinatam. Tertio, Dicuntur impedire, prohibere, &c. qui dolo, fraude, vel vi impediunt, vel id præstant injuste; si enim Princeps, vel Respublica, e. g. justo titulo, puta, ut suis prospiciant, prohibent, impediunt, &c. ne triticum, vel vinum ex suis confinibus extrahatur, & Romam deportetur, ex Suar. hanc excommunicationem non incurrunt. Quarto, Excommunicantur tam impedientes, vel per se, vel per alium, quam defendentes, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, &c.

IX. *Lædentes sua, aut aliorum opera eos, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel ab ea recedunt, & sine jurisdictione vexantes eos, qui in Curia commorantur.*

Nomine venientium ad Sedem Apostolicam non intelliguntur omnes, qui Romam veniunt; sed illi, qui ratione Pontificis veniunt; quia nimirum negotium aliquod, vel prætensionem, vel gratiam, vel quid aliud cum Pontifice immediate, vel mediate habent: unde, si Pontifex esset extra Romam, ibi esset Sedes Apostolica, non Romæ. Hinc, qui aliquid ex prædictis faciunt contra eos, qui Romam veniunt non intuitu Pontificis, licet devotionis causa veniant, non incurrunt hanc excomm. Nav. Tol. Sayr. Hugol. Excommunicantur etiam, qui non habentes jurisdictionem ordinariam, aut delegatam, eam temere usurpantes contra morantes in Curia aliquid prædictorum audent perpetrare. Dicuntur morantes in Curia, qui vulgo Curiales dicuntur, qui ratione Curiæ Pontificiæ Romæ sunt, sive immediate, sive mediate Pontifici inserviant, sive sint cum Episcopis, vel Cardinalibus, qui Curiæ adsunt. Illud nota, ad incurrendam hanc excommunicationem non sufficere, ut quis aliquid prædictorum contra morantes in Curia perpetret, sed requiritur, ut id faciat jurisdictione usurpata, hoc est, tamquam Judex, & auctoritatem habent.

X. *Interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos, qui devotionis causa eunt Romam, vel ibi morantur, vel inde abeunt; item lædentibus consilium, auxilium, aut favorem præstantes.*

Dicitur ad urbem accedere causa devotionis, qui ob aliquem virtutis actum exercendum accedit: quam intentionem si signis externis manifestet, puta vestitu, & modo procedendi, peregrinationis causa accedere judicabitur. Incurrunt hanc excommunicationem, qui aliquid ex prædictis perpetrat. etiam contra morantes Romæ, modo ibi morentur, ut advenæ, & peregrini; secus, si mutata voluntate incolæ urbis facti sint. Item excommunicationem incurrit, qui aliquid prædictorum facit etiam contra recedentes ab urbe præstito devotionis opere; secus, si recedant opere devotionis culpabiliter omisso, ex Bonac. Hugol. Pal. Demum, qui lædentibus modis jam explicatis consilium, auxilium, aut favorem præstant, eadem excommunicatione ligantur.

XI. *Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuntios: item mandantes, id ratum habentes, auxilium, consilium, aut favorem præstantes.*

Tria hic notanda: Primo, Licet certum sit, hanc excommunicationem incurrere, qui Cardinales, &c. à suis Diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejiciant; tamen probabilius ex Nav. Pal. contra Bon. non incurrunt, qui eos ejiciunt à terris suæ originis, vel domicilii, in quibus jurisdictionem spiritualem, vel temporalem non habent, neque ex Toledo incurrit, qui Episcopum ejiceret electum quidem, sed non consecratum: Secundo, Contra impedientes Legatos, aut Nuntios, ne exequantur suum officium, lata est alia excommunicatio non reservata in Extravag. *Super gentes;* immo additur interdictum in ea loca, quamdiu in eadem pertinacia duraverint: quod neutrum habetur per hanc Bull. Cœnæ excommun. Tertio, Fere omnes præfatæ actiones, si contra Clericum quemcunque perpetrentur, puniuntur pœna excommunicationis, cap. *Si quis suadente;* quare docet Bonac., personas hac Bullæ Clausula comprehensas duplicem excommunicationem incurrere, quarum altera imposita est in reverentiam ordinis Clericalis, altera in reverentiam dignitatis Ecclesiasticæ.

XII. *Occidentes, vel quoquo modo percutientes, sive per se, sive per alios, sive directe, sive indirecte, seu bonis quibuscunque, tum mobilibus, tum immobilibus spoliantes*

eos,

eos, qui pro suis negotiis recurrunt ad Romanam Curiam vel illa in eadem prosequuntur, &c.

Nota primo, *Spoliantes*, hoc est per violentam rapinam, & deprædationem: non vero per quamcunque subreptionem, etsi clandestinam: Secundo, Dicitur *Recurrere, &c.* qui causas ad Curiam Romanam transfert, sive personaliter ad Curiam accedat, sive per Procuratorem, sive per literas: Tertio, Qui Judices offendunt prædictarum causarum, tum solum excommunicationem incurrunt, dum negotia adhuc in Romana Curia pendent: non autem, cum causa decidenda integre illis committitur: Quarto, Ut incurratur hæc excommunicatio, debet occisio, spoliatio, &c. patrari occasione causarum, vel negotiorum; nomine autem negotiorum veniunt, ex Suarez, contra Navar., non solum causæ spirituales, sed etiam temporales, quæ ad Sedem Apostolicam spectant ratione sui dominii temporalis: Quinto demum, Excommunicantur, qui *directe, vel indirecte, &c.* hujusmodi delicta committant, exequantur, &c. directe, qui e. g. juberet, consuleret, his delictis auxiliaretur: directe, qui juberet consulere, &c. aliquam actionem, ex qua talia delicta prævideretur secutura.

XIII. *Omnes, tam Ecclesiastici, quam Seculares, cujuscunque dignitatis, qui prætexentes frivolam appellationem à gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis tam gratiam, quam justitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, &c. à Sede Apostolica, &c. emanatorum, ad Curias Seculares, & Laicam potestatem recurrunt: item, qui procurant hujusmodi appellationem, & recursum ad Curiam Secularem admitti etiam instante Fisci Procuratore, vel Advocato, qui literas Apostolicas, Monitoria, &c. capi, vel retineri faciunt, qui impediunt, prohibent executionem prædictarum literarum, quique quibuscunque personis, ne pro quibusvis eorum negotiis exequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, vel recursum habeant, seu gratias ipsas impetrent, seu impetratis utantur directe, vel indirecte prohibere, &c. ne eas apud se, aut Notarios, vel Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumant.*

Quid veniat nomine literarnm Apostolicarum, diximus in expositione VI. excomm., cujus expositio hic etiam militat. Illud autem hic obiter nota, hanc excommunicationem incurri ob quamcunque appellationem, etsi

hæc procedat ad propulsandam manifestam injuriam Judicis Apostolici, quia quævis appellatio est inanis, & frivola; tum quia facta est Judici non superiori, sed potius inferiori; tum quia facta sine justa causa, cum nulla esse possit causa justa, vi cujus Judex Laicus habeat jurisdictionem in Judicem Apostolicum: ita Bon. contra Sayr. dicentem, nullimode dici posse inanem, & frivolam appellationem, quæ fit ad propulsandam injuriam manifestam.

XIV. *Omnes, qui per se, vel per alios auctoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu causas spirituales, & spiritualibus adnexas, beneficiales, decimales, &c. ab Auditoribus, & Commissariis Sedis Apostolicæ, aliisque judicibus Ecclesiasticis avocant: illarumque cursum, &c. impediunt, vel impedientibus favorem, auxilium, assensum præstant: quique vel se in dictarum causarum cognitione tamquam Judices interponunt, vel partes actrices compellunt, aut ad revocandas citationes, &c. aut ad consentiendum, ut absolvantur à censuris illi, contra quos tales inhibitiones emanarunt.*

Nota, quod ad incurrendam hanc excommunicationem duo requiruntur, & quod Avocatio (idem dic de aliis actionibus hic prohibitis: Doctores communiter ap. Pal.) fiat auctoritate propria hoc est publica, & quod fiat de facto: si enim fiat ex concessione juris, vel Papæ, cessat excommunicatio. Dicitur autem quis avocare ab aliquo Judice causam, si eam ad se trahi faciat, citando partes, ut coram se compareant, inhibendo Judicem, coram quo causa agitur, ne ulterius procedat, &c. ex cap. *Ut nostrum, de appellantibus.* Causæ autem avocandæ pendere debent coram Judice Apostolico, & non mere Ecclesiastico, licet in Bulla dicatur *aliisque Principibus Ecclesiasticis;* quia dictio *Aliis* repetit qualitatem præcedentem: præsertim, cum hæc Clausula sit in favorem Judicum Apostolicorum: Hugol. Pal. contra Fil. Demum additur in clausula committentes aliquid prædictorum etiam excommunicationem incurrere, licet id faciant *Prætextu violentiæ prohibendæ, &c.* utut talia committentes fuerint *Præsidentes Cancellariarum, Consiliarii, Ordinarii, Episcopi, Archiepiscopi, vel quacunque alia dignitate præfulgentes, &c.*

XV. *Judices Seculares, qui ex prætenso officio, vel ad instantiam partis, vel aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarum-*

quarumcunque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, &c. præter juris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt quovis quæsito colore. item qui statuta, ordinationes, &c. faciunt contra Ecclesiasticam Immunitatem, vel iisdem utuntur, &c.

Primo, Dicuntur judices laici personas Ecclesiasticas *trahere, &c.* cum illas compellunt, ut ad suum tribunal accedant, licet id fiat indirecte, vexando scilicet consanguineos Ecclesiasticæ personæ, eo fine, ut personæ Ecclesiasticæ ad suum tribunal accedant: Secundo. Hæc adductio facienda est à Judicibus, quatenus Judices sunt, ut liquet ex ipsis Bullæ verbis *ad suum Tribunal.* Quare personæ, quæ Tribunal non habent, adducentes Ecclesiasticos ad Tribunal seculare non comprehenduntur hoc canone, ut nec Judices, qui illas non ad suum traherent, sed ad alienum: Tertio, Non comprehenduntur sub nomine *Statuta. &c. facientium* Consiliarii disponentes statuta, & præcones voce publicantes, sed uni Principes, quorum auctoritate fiunt: Suar. Pal. contra Filliuc. Quarto, Usus talium statutorum, &c. probabilius debet fieri à persona publica ad hoc; ut incurratur ab utentibus excommunicatio: e. g. à Judice, qui his statutis nixus sententiam contra libertatem Ecclesiasticam proferet: Bon. Pal. contra Sayr. Demum adduntur illa verba *Præter juris dispositionem;* sunt enim aliqui casus, in quibus adductio ifthæc jure conceditur, & hic Neapoli addendi sunt alii, qui extant in mox citandis concordatis, quæ fac consulas.

XVI. *Impedientes Prælatos, & Judices Ecclesiasticos, quo minus sua jurisdictione utantur, quique illorum, aut delegatorum judicia eludentes ad curiam secularem recurrunt, aut contra illos decernunt: item præstantes consilium, patrocinium, favorem, &c.*

Igitur excommunicantur, qui directe, vel indirecte impediunt, ne Prælati, &c. Ecclesiastici sua jurisdictione utantur; probabilius tamen ex Nav. Suar. aliisque ap. Pal. hic contra Hugol. hujusmodi impedimentum debet apponi auctoritate publica; quia hæc censura est adnexa præcedenti, quæ fertur contra eos, *qui auctoritate publica, &c.* Verum debet impediri usus jurisdictionis (& quidem ordinariæ, non delegatæ) Ecclesiasticæ; quare non incurritur excommunicatio ob impedimentum appositum Episcopo, ne sua jurisdictione temporali utatur. *Qui Ad Curiam recurrunt. &c.* Non

requi-

requiritur ad excommunicationem incurrendam, ut impetrentur, & executioni mandentur inhibitiones, &c. ut volunt Navarr. Fill. Hugol. sed sufficit ex Bon. solus recursus. Porro Judex laicus, ex Doctoribus supra cit. ad hoc ut excommunicationem & ipse incurrat, non sufficit, si hujusmodi inhibitiones, &c. decernat, nisi etiam exequi faciat.

XVII. *Qui jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus, ad Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.*

Illi dicuntur bona aliena usurpare, qui ea tanquam propria, & ut sibi debita assumunt, utut sciant ad alium pertinere, ex Nav. Tol. Fill. Bon. Hinc, si quis ea assumit, ut aliena, sicut faciunt fures, non dicitur usurpare, ut bene Suarez. Illi autem dicuntur bona illegitime usurpare, qui sine legitima facultate apud se, vel alium deponunt impedientes iis, quibus de jure competit, illorum liberum usum. Nomine bonorum intellige tam jurisdictiones Ecclesiasticas, quam temporales, puta fructus, redditus, & quascunque utilitates etiam temporales. Porro ad hoc, ut incurratur excommunicatio, debent hujusmodi bona competere personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, &c. secus, si ex proprio labore, licet occasione beneficii, &c.

XVIII. *Imponentes quavis auctoritate decimas, & tallias, aliaque id genus onera personis Ecclesiasticis; & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum bonis, eorumque fructibus sine expressa Summi Pontificis licentia: necnon qui hujusmodi onera sic imposita diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt, innovantes decreta super his edita, &c.*

Ad incurrendam hanc excommunicationem non satis est tributi impositio per modum statuti, seu legis; sed requiritur insuper ejus exactio. Non est autem necesse, ut dicta onera imponantur, & exigantur ex bonis Ecclesiasticorum; sed satis est, si imponantur ipsis Ecclesiasticis personis etiam super bonis patrimonialibus: Sayr. Tol. Suar. Bon. contra Nav. Rursus incurritur excommunicatio, si prædicta onera imponantur. *Sine expressa*

pressa Summi Pontificis licentia, ut dicitur in clausula. Hinc, cum multæ hac in re facultates concessiæ sint Carolo Utriusque Siciliæ Regi nostro à regnante Pontifice, consulenda hic concordata inter Sedem Apostolicam, & ipsum Regem, ex quibus habere potes, ad quantum se extendere possint bona patrimonialia Clericorum in Regnis utriusque Siciliæ existentium. Innovat demum Pontifex decreta super his per Sacros Canones tam in Later. quam in aliis Conciliis generalibus edita etiam cum censuris, pœnis in eis contentis. Ubi notanda sunt illa verba *Super his;* non enim omnia decreta de immunitate bonorum Ecclesiasticorum loquentia innovantur, sed solum, quæ loquuntur de contentis sub hac excommun.: ita Suar. Bon. Tol. Sayr.

XIX. *Quicunque Magistratus, Judices, Notarii, Scribæ, Executores, &c. quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra Personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, &c. sine speciali hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia; quique hujusmodi licentiam ad Personas, & casus non expressos extendunt, vel alias perperam abutuntur, etsi fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.*

Hoc fori Privilegium, ex Trid. amittere Clericum, nisi deferat habitum, & tonsuram, & alicui Ecclesiæ inserviat, diximus tract. præced. ubi de Ordine egimus d. 5. q. un. quamobrem hic nihil supereſt dicendum.

XX. *Omnes, qui per se, vel per alios, directe vel indirecte, sub quocunque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint loca, & terras Romanæ Ecclesiæ, Romanique Pontificis, sive ipsi immediate, sive mediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, &c. necnon adhærentes, fautores, auxilium quomodolibet præstantes, &c.*

Habet Pontifex dominium immediatum in iis locis, in quibus jurisdictionem temporalem exercet: habet vero mediatum in iis, quæ in alios transtulit feudo, vel emphyteusi retento dominio directo. Quænam autem sint loca, in quæ Pontifex sive directum, sive indirectum dominium habeat, vide fuse apud Pal. hic p. 21. n. 1. Nomine autem supremæ jurisdictionis non venit ipsum dominium directum, vel utile, quod Pontifex habet in terris suis; sed venit ea jurisdictio, quam ille, ut supremus Princeps exercet; hæ enim nemini subjecta est, & ab omni alia independen-

dependens. Porro quinam ab his potestatem habeat absolvendi, vide quæ sparsim diximus quæst. præc. c. 3.

§. II.

De Casibus specialiter reservatis Pontifici extra Urbem intra Italiam.

Hi sunt sex mox explicandi. Dicuntur specialiter reservati, quia per Decr. S. C. jussu Clem. VIII. 1602. sublatæ sunt omnes facultates, & privilegia alias concessa Confessariis præsertim Regularibus ab eis absolvendi extra Urbem intra Italiam; & nomine Italiæ veniunt etiam Sicilia, Sardinia, aliæque Insulæ adjacentes: Doctores communiter ap. Merol. t. 1. d. 1. pag. 48. Porro singulos casus sequentibus ex ordine numeris expendemus.

I. *Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constit. Greg. XIV. quæ incipit,* Cum alias nonnulli.

Immunitas Ecclesiastica est *Privilegium Ecclesiæ concessum, ut nemo ex ullo violenter extrahatur.* Talis est quævis Ecclesia auctoritate Episcopi stabiliter fundata, etsi nondum benedicta; imo, etsi cœperit construi: rursus, etsi polluta, aut interdicta, imo etsi diruta, dummodo non sit diruta auctoritate Episcopi sine spe reædificandi; & comprehendit tectum, parietes, scalas, sacristiam, campanile, & cœmeterium etiam separatum: imo ex jure communi extenditur ad 40. passus circa Ecclesiam Matricem, & ad 30. circa alias: consuetudo tamen est in contrarium. Gaudent hoc privilegio Monasteria Regularium cum claustro, & horto, & Grangiæ Cistercienſium, & cum illis communicantium ex Priv. Eug. IV. Item Loca piâ, Hospitalia, Seminaria publica, Oratoria fundata auctoritate Episcopi, & palatium ipsius Episcopi, etiamsi distet à Cathedrali ultra 40. passus, nec habeat Oratorium, dummodo non sit alteri locatum: Suarez, & alii ex c. *Item Constituimus* 17. q. 4. Item Sacerdos deferens Eucharistiam cum suo comitatu: Doctores communius cum Suar. contra Bon. dummodo non sit in ipso carcere. Qui impedit, vel non recipit confugientem ad talia loca, peccat graviter, nisi ille indecenter ibi vivat, & turbet disciplinam Ecclesiasticam, ac ter monitus non se emendet; tunc enim potest expelli, ut se recipiat in aliam Ecclesiam: Delb. d. 48.

q. 47. Qui vero eum violenter extrahit ab Ecclesia (etiamsi Judæum, vel Paganum, ut addunt Barb. Fagn. & alii contra Clar.) dicitur violator Immunitatis Ecclesiasticæ, & incurrit excommunicationem latam à Gregor. XIV. specialiter reservatam extra Urbem intra Italiam à S. Congr. jussu Clem. VIII,; idque verum est, etiamsi extractio secuta non fuerit, si tamen opere externo sit attentata, quia in textu dicitur *Attentare præsumpserit, &c.* Bonac. cum communi contra Gambacurt. Extenditur etiam ad mandantes ob eandem rationem: Genuens. *In Praxi*, Bon. Far. & alii communiter; non tamen ad consulentes, quia neque extrahunt, neque attentant. Extenditur denique ad incarcerantes, & restituere nolentes, etiamsi non incurrerint ad extractionem, quia in textu dicitur *capere, extrahere, aut carcerare*, & ly *aut* est alternativa: Bon. contra Suar. idque verum est, etiamsi ille consenserit capturæ in Ecclesia, vel nolit restitui; cum non possit renunciare juri Ecclesiæ jam acquisito: Doctores communiter: non tamen ad ratihabentes extractionem nomine suo factam, quia hi neque extrahunt, neque attentant: Doctores communiter.

Extrahi quis dicitur ab Ecclesia, etiamsi clausas ejus januas, vel seram, vel quid simile manu apprehendit, aut illis adhæret, aut in Ecclesiæ ambitu, vel super tegulas tecti existit; non vero, si humeris tantum adhæreat parieti Ecclesiæ, & ambobus pedibus in via existat: Bon. & alii. Extrahi etiam dicitur, si ex aliqua necessitate, aut gravi metu injuste incusso coactus exeat, quia non censetur sponte exire: Bon. Fag. & alii. Non vero, si blanditiis, promissionibus, aut deceptione exiens capiatur extra, quia immunitas violatur per violentam extractionem ex cap. *Inter, de Imm.* Neque, si captus extra ducatur ad carceres per Ecclesiam, quia non dicitur capi in illa: Bon. & alii communiter. Neque, si ab Ecclesia extractus, & in carcere seculari incluſus, hinc evadat, sed à fuga retrahatur, quia sic censetur captus extra: Delb. d. 31. num. 17. Neque si per alios ereptus à manibus satellitum confugiat ad Ecclesiam, quia sic Curia secularis injuste est spoliata jure acquisito in illum, adeoque juste potest illum repetere ab Ecclesia non protegente injustitiam: secus vero, si ille è carceribus, vel à manibus satellitum seipsum exemit, aut hos secum

cum traxit in Ecclesiam, quia sic nulli fit injustitia: Delb. s. 7. Denique, quamvis Judex Ecclesiasticus possit illum ob justas causas constringere compedibus in ipsa Ecclesia, & imponere pœnitentiam aliquam salutarem, si peccatum sit publicum, vel ad tollendum scandalum, nullatenus tamen constringi potest à Judice seculari, quia sic fieret ex Ecclesia carcer, quod magis repugnat Immunitati, Suar. c. 12. num. 2. Potest tamen ab eo apponi custodia extra ambitum Ecclesiæ, ut, si forte terminos sacros egrediatur, capi possit: Doctores communiter.

Ex c. Const. Greg. XIV. extrahi possunt ab Ecclesia, primo, *publici latrones*, hoc est, qui ob frequentia latrocinia pro talibus communiter habentur. Secundo, *Grassatores viarum, qui itinera frequentata, vel publicas strictas obsident ad viatores ex insidiis aggrediendos.* Tertio *Depopulatores agrorum*, hoc est, qui agros, vineas vastant, incendunt, &c. Quarto, *Committentes homicidium, vel mutilationem in ipsis Ecclesiis, eorumve cæmeteriis*, qui proinde neque gaudent aliis Ecclesiis, quia omnes sunt una: Doctores communiter apud Delb. d. 19. s. 1. contra Syl. scribentem ante hanc Constitutionem: idemque est, si lethaliter vulneres in Ecclesia, etiamsi ille moriatur extra; vel si existens extra occidas existentem in Ecclesia: non vero, si existens in Ecclesia occidas existentem extra, juxta dicta d. 1. q. 1. c. 4. §. 2. Neque, si occidas in Sacristia, Campanili, &c., quia sumus in odiosis, qualis est restrictio Immunitatis Ecclesiasticæ: Doctores apud Delb. s. 6. contra alios. Quinto, *Qui proditorie proximum suum occiderit* (etiam infidelem, ut addit Delb. s. 4.) hoc est amicitiam simulando, dolose seducendo, aut nihil tale prævidentem: ut si mater occidat infantem: si sine præcedente inimicitia, & rixa veneno occidas: vel inimicum, cui promiseras amicitiam; secus vero, si inimicum dormientem, aut à tergo, quia ille prævidere poterat, & præcavere; Gomez & alii. Sexto *Reus Assassinii*, hoc est, qui pretio conductus occidit proximum; adeoque etiamsi infidelem: Bon. Delb. s. 2., dummodo non sit suus etiam inimicus: Bon. Delb. s. 3.; & extenditur ad conducentem, utpote etiam reum assassinii, etiamsi non sequatur effectus: Masc. Delb. s. 4. Septimo, *Reus Hæresis*, quod etiam extenditur ad fautores: Octavo, *Reus læsæ Majestatis in persona ipsiusmet Principis*, hoc

hoc est sui Principis, & quidem absoluti; quod etiam extenditur ad mandantes: Dian. pag. 1. tract. 1. r. 6. Ad hos revocantur omnes alii casus juris antiqui ex cit. Constit. atque in his octo casibus extrahi debet reus auctoritate Episcopi: eo vero culpabiliter nolente, extrahi potest à Judice Seculari, sed in carcere Episcopi deponi, usquedum Episcopus, vel ejus Superior cognoverit de crimine excepto, quantumvis etiam notorio: Rich. Dian. Delb. s. 2. & 3. * Hæc de jure communi. Hic autem in Regno Neapolitano attende Concordata inter Sanctissimum P. Nostrum Bened. XIV. & Carolum Utriusque Siciliæ Regem, sub die 8. Jun. 1741. quæ initium sumunt à Bulla ejusdem Pontificis incip. *Memores Apostolici*, quorum concordatorum idcirco non meminit auctor, quod post ejus obitum emanarunt. *

Clericus autem non videtur gaudere Immunitate Ecclesiæ contra suum Judicem Ecclesiasticum, quia Jurisdictio Ecclesiastica exerceri potest in loco sacro, & jura nullibi loquuntur de Clerico, nisi contra Judicem Laicum: Abb. Sylv. Suar. Bon. & alii. Attamen Far. Clar. Tusch. Barb. Fagn. & alii contradicunt, & Curia Romana ann. 1695. improbasse dicitur Episcopum in Germania, qui Abbatem sibi subjectum è Monasterio extraxerat. Cæterum Religiosus non gaudet comparative ad Prælatum suum, si confugerit ad Ecclesiam suæ Religionis: Doctores communiter contra Gambacurtam: si autem ad aliam, Rebuf. Barb. Dian. & alii contra alios dicunt, gaudere: vid. Delb. s. 15. Servus gaudet comparative ad dominum suum: si tamen hic juret, & præstet securitatem de ejus impunitate, debet etiam invitus reddi domino, cap. *Inter de Immun.* Idem est de milite, de damnato ad triremes, qui ad suum servile ministerium sunt etiam ab Ecclesia reducendi

II. *Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem.*

Clausura Monialium est spatium intra Januam Monasterii semper clausam, & cætera Monasterii loca, quæ ea Janua continentur, ex cap. *Periculoso, de Stat. Regul. in 6.* Violatur tum per egressum ipsarum Monialium; tum per ingressum aliarum personarum cujuscunque sexus, ætatis, aut conditionis; exceptis Regibus, Reginis, eorumque Filiis: Suar. Sanch. Bon. & alii contra Merol. & alios: item pueris ante usum rationis:

Doctores communiter: non tamen amentibus post septennium, cum possint ad peccatum incitare, &c. Moniales etiam Conversæ post professionem è Clausura exeuntes sine licentia in scriptis, concedenda tantum in certis causis, incurrunt excommunicationem reservatam Papæ: item eas comitantes, & receptantes, necnon etiam Prælati licentiam indebite concedentes, ex Constit. Pii V. *Decori:* non tamen Novitiæ, Oblatæ, aut Educandæ, quæ tantum tenentur ad Clausuram, dum ibi existunt, &, si exeant sine licentia, non possunt regredi: Sanch. De Lugo l. 3. *Resp. Moral.* d. 7. Reliqui vero utriusque sexus ingredientes Clausuram Monialium sine debita licentia in scriptis, &c. incurrunt excommunicationem latam à Trid. *sess.* 25. *de Regul.* c. 5. quæ pro Clausura Monialium SS. Francisci, & Dominici reservatur à Bonif. IX. & Eug. IV. apud Nav. Ingredientes vero prætextu facultatum jam revocatarum, tum eos permittentes, vel ingredi facientes, incurrunt excommun. reservatam à Greg. XIII. *Ubi gratiæ.* Prælati Pontificalis dignitatis, si ingrediantur, præterquam in casibus sibi concessis, incurrunt 1. vice interdictum ab ingressu Ecclesiæ: 2. vice suspensionem à Pontif. & Divinis: 3. vice, & reliquis excom. ex Bul. Greg. XIII. *Dubii.* At Regulares à 1. vice omni officio, ac ministerio privantur, & excommun. incurrunt: Pal. tr. 15. d. 4. p. 10. §. 4. n. 5.

Excipe, si necessitas ingrediendi, vel egrediendi sit talis, ac tanta, ut careat lege expectandi licentiam, puta incendium, terræmotus, vel aliud imminens vitæ, aut honoris periculum, qua ratione etiam videtur excusandus, qui eo confugit ad asylum. Datur insuper parvitas materiæ in ingressu, vel egressu excusans à mortali, & excommunicatione; ut, si pars corporis sit intra, pars extra. Imo Nald. Graf. & Merol. putant, esse etiam modicum, si totum corpus esset ad duos pedes intra, vel extra, quod tamen negant Sanch. Bass. & alii, quia sic habetur perfecta legis transgressio. At violantes clausuram Monialium ob malum finem, puta furandi, percutiendi, aut turpe aliquid faciendi (Pelliz. intelligit tantum de fine fornicandi) incurrunt excommunicationem specialiter reservatam extra Urbem intra Italiam. Qui autem cum debita licentia ingressus habuit malum finem, etiamsi finito negotio non statim exeat, non dicitur juxta Sanch. violator clausuræ; uti

neque

neque Monialis cum licentia egressa, si finita causa non statim redeat, quia violatio consistit in egressu, vel ingressu; quamvis contradicant Pal. Bon. & alii. Cæterum, quamvis peccatum sit non statim exire, vel redire, tamen ly *Statim* intelligi debet moraliter, ita ut, si sine malo fine discurratur aliquantisper intra, vel extra, non sit peccatum saltem grave: Doctores communiter.

III. *Provocantes, & pugnantes in duello, juxta Decr. Trid. & constit. Gregor. XIII. incipientem*, Ad tollendum.

Duellum est *Duorum, vel etiam plurium pugna deliberate suscepta ex condicto, statuto tempore, & loco cum periculo mortis, vel gravis vulnerationis.* Si ergo certo non adsit tale periculum, non est proprie duellum, ut si fiat pugnis, neque, si conventio fuit in rixa, ut si duo rixantes in Ecclesia dicant, *Egrediamur foras*, & ibi pugnant; quia sic censetur una actio moraliter continuata ex rixa, adeoque non ex deliberatione. Neque demum, si non sit statutum tempus, & locus, ut si duo inimici sibi occurrentes se provocent ibi ad pugnandum: secus, si statuant locum. & eo pergant ad pugnandum; vel si alter dicat alteri, *Vade ad capiendum arma, hic te expecto, &c.*

In duobus tantum casibus licitum est duellum: Primo. si fiat ad dirimendum bellum, ad servandas vitas proprii exercitus, ad debilitandas vires hostium; quia sic est potius pars belli: Doctores communiter: Secundo, Si non potes aliter effugere mortem, ut si duo damnati ad mortem jussu judicis duellant, quia sic alter est carnifex alterius, & potius se defendit; secus vero in aliis circumstantiis, in quibus poteris te defendere non acceptando, nec duellando. Hac in re ab Alex. VII. damnatur hæc Propos. 2, *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Hinc ex Trid. *sess. 25. de Ref. c. 19.* excommunicantur publice duellantes, tum Reges, Imperatores, aut domini temporales concedentes locum ad tale duellum in terris suis, tum patrini, consulentes, & spectatores (intellige ex proposito, non vero, si casu, aut ut illud dirimant) quam excommun. Pius IV. reservavit; & Greg. XIII. extendit etiam ad illos, qui privatim monomachiam (hoc est duellum) commiserint, etiam sine patrinis, sine scriptis provocatoriis,

toriis, &c. & ad dominos locorum non impedientes, ad mandantes, inſtigantes, auxilium, conſilium, vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes; ad ſpectatores ex propoſito, vel ſocios quovis modo ſe præbentes, etiamſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti pugnam non commiſerint, ſi per ipſos non ſteterit, quo minus illa committatur. Hæc Greg. XIII.

Talis excommunicatio incurritur à duellantibus ſequuta pugna, quia in textu dicitur *Pugnam commiſerint*: Sanch. l. 2. *Decal.* c. 39. num. 28. A reliquis vero incurritur, etiamſi pugna non ſequatur, dummodo tamen per ipſos non ſteterit, quo minus illa ſequatur, ut dicitur in eodem textu; horum ergo illi, per quos ſtetit, non incurrunt; per quos non ſtetit, incurrunt. Atque ab hac excommunicatione Religioſi ex vi ſuorum privilegiorum non poſſunt intra Italiam abſolvere *Provocantes, & pugnantes in duello;* reliquos tamen abſolvi probabiliter poſſe, ait Lug. l. 2. *Reſp. Moral. dub.* 2. quia in hac prohibitione ſolum exprimuntur provocantes, & pugnantes; ſed communius negant cum Bonac. quia uſu, & conſuetudine receptum eſt, ut pro reliquis etiam petatur à Roma abſolutio, quæ conſuetudo optime interpretatur verba illa S. Cong. *Juxta Trid. & Conſt. Greg. XIII.* referri ad omnes ibi contentos; conſuetudo enim eſt optima legum interpres: abſolvere autem poteſt Epiſcopus, ſi res ſit occulta, juxta Trid. *ſeſſ.* 24. *de Refor. c.* 6. Denique, ex Conſtit. Clem. VIII. incipiente *Illius vices* ann. 1592. excommunicatio reſervata incurritur à provocantibus, aut acceptantibus duellum, etiam pugna non ſequuta; & expreſſe extenditur etiam ad Magiſtratus, Duces, & Capitaneos in caſtris, & dominos Eccleſiaſticos non impedientes, vel impunitatem poſt duellum dantes, ad componentes, dictantes, ſcribentes, ſubſcribentes, imprimentes, affigentes, publicantes, mittentes, deferentes chartam duelli, vel etiam ſolo verbo denunciantes, atteſtantes, vel quomodolibet ſe immiſcentes; etſi neque pugna, neque acceſſus, nec actus ad pugnam proximus, neque expreſſa, & aperta provocatio ſequuta, aut cuiquam intimata fuerit, ſi per eos non ſteterit, quo minus publicatio, aut denunciatio fieret: hæc ex Clem. VIII. ubi notat Bonac. principaliter, ac ſeorſim excommu-

nicari

nicari provocationem, publicationem, intimationem, acceptationem, accessum ad locum, & pugnam; reliquas vero actiones respective ad singulas istarum; ideoque dans v. g. consilium ad provocandum incurrit hanc excommunicationem, si provocatio sequatur, vel sequi debuisset, si aliunde impedita non fuisset, quia sic per eum non stetit, quin sequeretur; secus vero, si per eum stetit: similiter, si chartam affigas, etsi postea laceres, incurris, quia illa affixio est publicatio: secus, si scribas, sed non affigas, publices, &c. Similiter, si des arma, &c. incurris, dum ille accedit ad locum duelli, vel accedere debuisset, nisi aliunde fuisset impeditus, quia per te non stetit, &c. secus vero, si tu impediisti, ne accedat; & sic de reliquis. Utrum autem teneatur ad restitutionem occidens, aut mutilans in duello, dictum est in Tract. de Restit. d. 2. q. 3. c. 1. §. 1.

IV. *Injicientes violentas manus in Clericos, juxta Can.* Si quis suadente, *ac juris dispositionem.*

Hæc excommunicatio reservatur in dicto Can, & ex dispositione juris extenditur ad mandantes, consilium, auxilium, favorem præbentes, percussionem suo nomine factam ratihabentes aliquo actu externo, necnon etiam ad non impedientes, si ex officio, aut justitia tenebantur: quid autem possit Episcopus, quid Prælati Regulares, dictum est d. 1. ubi alia plura in hanc rem notavimus. Hic tria supersunt explicanda percussus, percussor, percussio. Itaque

Primo, Percussus debet esse Clericus, vel Monachus, ex cit. Can. Gaudet vero hoc privilegio Canonis Clericus habens saltem primam tonsuram, etiamsi sit excommunicatus, suspensus, irregularis, degradatus tantum verbaliter; imo, etiamsi sit hæreticus, ut ait Nald. & alii contra Barbos. imo etiamsi sit mortuus, & percutiatur ejus cadaver. Item si sit conjugatus, dummodo cum unica virgine, deferat habitum, aut illum reassumat, & serviat Ecclesiæ deputatæ ab Episcopo. Non ergo gaudet Clericus bigamus; neque quem dicimus Clericum, seu Diaconum salvaticum, cui Sacr. Congr. apud. Fagn. num. 9. tribuit tantum privilegium fori in criminalibus, & in civilibus quoad carcerationem, & onera personalia; neque Clericus existens in Sacris, si sit degradatus realiter. Neque demum Clericus non existens in Sacris, si vacat per annum publico

officio Buffonis; si deserto habitu committat assassinium, immiscеat se tyrannidi, seditioni, aliisve gravibus criminibus; si dimisso habitu, vel conjugatus etiam cum habitu, exerceat publicum officium Tabernarii, aut Macellarii, & ter monitus ab Episcopo non desistat, aut, si destiterit, iterum exerceat; si demum ter monitus ab Episcopo dimissum habitum non reassumat, aut ab officio vili, aut à negotiis secularibus non desistat: Pal. d. 3. p. 22. ex pluribus textibus. Gaudet etiam privilegio Canonis Monachus, hoc est Regularis utriusque sexus, etiamsi laicus. Monachus, hoc est Regularis utriusque sexus, etiamsi Bigamus, cum lex tantum excludat Clericos Bigamos, ut notat Suarez; item Tertiariæ SS. Francisci, & Dominici, si collegialiter vivant cum habitu. Eremitæ etiam, & Oblati, dummodo tamen voto aliquo, aut pacto perpetuo subjecti sint alicui Regulæ, aut Superiori. Item Equites Melitenses, & Teutonici, utpote veri Religiosi, quod etiam ad Equites S. Jac. Calatravæ, &c. extendunt Nav. Bon. & alii, sed in his attendenda est consuetudo.

Secundo, Percussor esse potest quicunque utriusque sexus habens usum rationis, etiamsi impubes, dummodo percutiat *Suadente Diabolo*, hoc est non ex ignorantia, inadvertentia, aut ex joco, etiamsi forte aliqua levis ira interveniat, cum debeat actio tum interna, tum externa pertingere ad culpam lethalem; estque talis, etiamsi ipse percussus consentiat, quia sit injuria ejus statui, cujus privilegio renunciare ipse non potest; ideoque etiam ipse consentiens incurrit excommunicationem ferendam, ex cap. *Contingit eod. tit.* atque adeo probabilius incurrit excommunicationem latam, si ipsemet suadente diabolo se percutiat, cum hæc prohibitio magis sit in favorem status, quam personæ, ut notant 30. Doctores apud Sperel. contra Tol. Barbos. & alios paucos. Denique ex dispositione juris extenditur hæc excommunicatio ad mandantes, consensum, consilium, auxilium, favorem præstantes, suo nomine factam ratihabentes non mere interne, sed externe, & ad non impedientes, si ex officio, aut justitia tenebantur: Layman. Bonac. & alii communiter ex pluribus textibus. Excusantur autem tum à peccato, tum ab excommunicatione. Primo, Prælatus, Præceptor, & Pater, si percutient Clericum subditum in Minoribus constitutum, dummodo fiat correctionis causa, nec sit excessus in modo; idem est de Decano Chori relate ad talem Clericum

ricum disturbantem divina officia; imo idem pariter de Prælato, & Præceptore Ecclesiastico relate ad Clericum constitutum in Sacris, quod tamen de patre negat probabiliter Pal. contra alios: Secundo, Excusaris pariter, si percutias ob justam defensionem tuæ, vel alterius personæ, honoris, rerum; dummodo fiat in continenti in ipso actu aggressionis, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut, si mulier tenetur à Clerico, nec aliter potens suum honorem tueri illum occidat; si aggressus sis à Clerico, & fuga tibi sit ignominiosa; si Clericum asportantem tua bona insequaris, detineas, & per vim auferas, dummodo ea sint alicujus valoris, nec sint in tuto depositа: Doctores communiter: Tertio, Excusaris ab excommunicatione, etsi non à peccato, si etiam excedendo, & ex vindicta occidas Clericum turpiter inventum cum tua uxore, matre, filia, aut sorore (non vero, si cum alia, etiamsi tibi conjuncta, ut notant Doctores) ob difficultatem temperandi dolorem, & impetum vindictæ, ut addit Gloss. Censetur autem Clericus turpiter inventus, etiamsi inveniatur tantum osculans, amplectens, turpiter tangens, vel in loco suspecto, ita ut ex circumstantiis merito conjici possit turpitudo: Suarez, Bonac. & alii: item, si sine dolo expectes, eumque in tali delicto deprehensum percutias; non vero, si dolose inducas, neque si post finitum delictum percutias: Pal. & alii communiter.

Tertio, Percussio est violenta manuum injectio in personam, vel res aliquo pacto ei adhærentes, ita tamen, ut, præcisa etiam excommunicatione, sufficiat arbitrio prudentium ad culpam gravem. Hinc non incurris excommunicationem, si tantum verbis contumeliosis, aut minacibus afficias, expellas, quia non pervenis ad opus manuum. Neque, si manus violentas inferas in ejus domum, familiares, vestes non indutas, &c. etiamsi in odium, & injuriam ipsius, quia nihil horum ei adhæret; neque si pallium, crumenam per furtum ab eo abscindas, cum non sit actio violenta. Neque, si lapidem in eum injicias, qui tamen nullo pacto attingat, nec lædat. Neque demum, si ex intentione graviter injuriosa, ita tamen leviter tangas, ut judicio prudentium censeatur actio externa tantum venialis: Doctores communiter. Contra vero incurris, quomodocunque manu, vel instrumento percutiendo graviter noceas corpori, vel honori; ut si fontum, aquam, pulverem, lu-

tum, pileum in eum per injuriam projiclas; si vestem, pileum, pallium, per vim, & injuriam auferas; si similiter equum, cui insidet, occidas, vulneres, cædas, per frænum sistas; quia, licet hæ actiones sint leves respectu corporis, non tamen respectu honoris; si venenum clam ei propines, quia sic vitæ vim infers, idque statim ac venenum incipit agere, quamvis non sequatur mors: Bonac. cum communi contra Avil. Fil. & alios: si ita persequaris, ut sis moraliter causa ejus lapsus ex equo, vel in foveam: censearis autem causa, si ille ex metu talis percussionis cadat; similiter, si explodas sclopetum in eum, qui ex timore cadat quasi exanimis, quamvis ne leviter quidem tangatur: denique si capias absque auctoritate Ecclesiastica, aut violenter detineas in carcere, vel in loco, unde sine dedecore exire non possit, ut si se lavanti in balneo vestes depositas auferas, &c.

Quarto, Quævis talis percussio esse potest, vel gravis, vel mediocris, vel levis. Gravis, seu enormis habetur primo ex quantitate læsionis, ut si mutiles membrum; aut reddas inhabile, si effundas sanguinem in magna copia aliunde, quam è naribus, si includas in tetro carcere, si flagelles cum dolore, & contumelia: Secundo ex circumstantia personæ, ut si sit Cardinalis, Episcopus, Prælatus, proprius Abbas, Pater, Patruus, in quos offensa, ex se alioqui levis, crescit ex dignitate personæ offensæ; similiter crescit ex conditione offendentis, ut si sis subditus, filius, vilis, &c. idemque est, si impingas alapam in personam gravem, vel si officialis laicus percutiat auctoritative, quasi usurpans jurisdictionem Ecclesiasticam: Tertio ex aliis circumstantiis, ut si cum magna irrisione, & irreverentia, notorietate, & scandalo, si in conspectu Prælati, aut Judicis, si Sacris indutum, si ad Altare, in publica Ecclesia, in foro, tempore magnæ solemnitatis, &c. quæ singula pensanda sunt, ut judicium fiat de gravitate, seu enormitate actionis, quæ alioqui se sola spectata non esset talis. Ex gravi facile dignosci potest mediocris, & levis; si enim à gravi non multum distet, dicitur mediocris, ut si præcisis aliis circumstantiis Clerico dentem detrahas, capillos evellas in copia, sugillationem carnis relinquas, sanguinis copiam absque gravi læsione effundas, &c. Levis denique dicitur, non quæ sit tantum culpa venialis, quia sic nulla incurritur

ritur excommunicatio: sed quæ intra latitudinem peccati mortalis est infima; ut si, præcisis aliis circumstantiis, fiat pugno, palma, manu, pede, baculo, vel lapide sine fugilatione carnium, effusione multi sanguinis, evulsione multorum capillorum, &c.

V. *Simonia realis scienter contracta.*

Simonia realis est, cum ex conventione, seu pacto, sive tacito, sive expresso commutatur temporale cum spirituali. Differt à simonia mere intentionali, vel mere conventionali, quia ultra intentionem, & conventionem dicit etiam effectum, seu traditionem rerum sequutam, & quidem utrinque: si ergo datum sit tantum temporale, vel tantum spirituale, & non alterum, nondum est simonia perfecte realis, sed veluti mixta ex conventionali. Hoc supposito. In Extrav. 1. *De simonia* habetur excommunicatio reservata contra dantes, & recipientes aliquod temporale ob ingressum in Religionem, quicunque sint dantes, vel accipientes, modo fiat ex conventione in pretium talis ingressus, & intelligitur de ingressu perfecto per professionem, aut vota constituentia Religiosum, non autem de ingressu in novitiatum. Si autem des aliquid sponte, & gratis, non habetur simonia; neque, si des in tui, aliorumve sustentationem, etsi aliter non te ad professionem reciperent; uti dicimus de eleemosyna data Sacerdoti, ut celebret, aliter non celebraturo; ideoque, nec simonia, nec excommunic. incurritur à paciscentibus super dotibus Monialium, ex Clement. VIII. In Extrav. 2. eod. tit. habetur excommunicatio pariter reservata contra dantes, & accipientes, & horum mediatores in ordine, aut beneficio. Per ordinem, Bonac. communiter contra Lessium, & alios, intelligunt etiam minores; imo etjam primam tonsuram, quam Sacri Canones etiam vocant ordinem cap. *Cum conjug. de Ætat. & qualit.* Per beneficium, multi cum eodem Bonac. contra Suarez, & alios intelligunt hic, quod proprie dicitur beneficium, non vero pensionem, officium, aut dignitatem Ecclesiasticam, quia sumus in odiosis; intelligunt tamen communiter etiam beneficiorum permutationem, resignationem, pensionum reservationem, vel æquationem fructuum pro beneficio resignato, si fiant sine auctoritate Superioris, quia sic est simonia juris Ecclesiastici in beneficio. Per mediatores intellige non so-

lum eos, qui pretio à te inducuntur ad impetrandum à Superiore pro te, vel pro alio ordinem, aut beneficium; verum etiam, qui talem simoniam inter te, & Superiorem procurant; non vero si des illis aliquid tantum, ut tibi aditum, aut facilem ingressum apud Superiorem concedant, vel ut certiorem eum faciant de tuis meritis, modo non intercedant; & secundum aliquos; neque si sint mediatores remoti, qui intercedant apud alium mediatorem.

Itaque excommunicatio simoniæ realis incurritur tantum in ingressu Religionis, Ordine, & Beneficio; at non in aliis materiis, puta in venditione Baptismi, Chrismatis, &c. in quibus tantum est excommunicatio comminatoria, cap. *Quidquid* 101. neque adeo est casus Papalis: Bonac. & alii contra Sotum, & alios. Addo tamen quatuor alias excommunicationes reservatas: Primam contra ambientes Papatum, ejusque causa simoniam committentes, ex Constitut. Paul. IV. *Cum secundum:* Secundam contra dantes, & accipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam, ex Constitut. Gregor. XIII. *Ab ipso:* Tertiam contra proponentes ad quæstum populo indicem casuum, & gratiarum cum indulgentiis, ex Pio V. *Infelicis;* Quartam contra recipientes aliquid ex fructibus primi, & secundi anni beneficii vacantis in collatione; aut provisione ad possessionem illius, ex eodem, *Quam plenam.* Sed hæ excommunicationes incurruntur ante simoniam realem, adeoque non pertinent ad rem præsentem, nisi pertingant ad simoniam perfecte realem.

VI. *Simonia confidentialis etiam scienter contracta.*

Simonia confidentialis, quæ & confidentia dicitur beneficialis, committitur à resignantibus, conferentibus, eligentibus, aut præsentantibus alium ad beneficium cum intentione, seu spe, seu certa confidentia, quod tale beneficium, seu ejus pars aliquo tempore reversura sit in favorem ipsorum, aut alterius cujuscunque; atque hæc confidentia completur ab acceptante tale beneficium ipso actu acceptandi; & solus acceptans incurrit excommunicationem latam, & reservatam ex Constitut. Pii IV. *Romanum*, & Pii V. *Intolerabilis;* estque casus specialiter reservatus extra Urbem intra Italiam.

Ut

Ut autem acceptans incurrat hanc excommunic., requiritur, ut illam intentionem resignantis, collatoris, electoris, aut præsentantis animadvertat, etiamsi non in pactum deductam; imo, etiamsi acceptet sine animo annuendi tali intentioni, ut probabilius docet Bon. ex illis verbis Pii IV. *Etiamsi sola dimittentis intentione receperit;* non tamen si falso putans, esse in eo talem intentionem, & cum animo ei annuendi acceptet; quia sic non committitur simonia confidentialis, quæ originem trahit à tali intentione: Suarez, Bonac. & alii: neque demum, si intentio v. g. resignantis sit, ut sibi resignetur aliud beneficium distinctum, vel ut sibi remittatur pensio aliunde debita, quia hic casus non comprehenditur in dictis constit. v. plura in Tract. de Simonia tr. 3. d. 5.

§. III.

De reliquis Casibus Papalibus.

RELIQUI Casus Papales reservati sunt supra 80. partim in corpore juris, partim in aliis Constitut. Pont. Horum reservationem, ubi nulla exprimitur persona, incurrunt omnes, præter unum Papam: ubi vero exprimuntur personæ, vel earum gradus, aut officium, istæ tantum incurrunt. Itaque eorum Catalogus hic est.

1. *Sacerdotes sive Seculares, sive Regulares, extra Urbem intra Italiam, præsumentes prætextu privilegiorum absolvere à Casibus Bullæ Cœnæ, vel à 6. Clement. VIII., vel ab illis, quos Episcopi sibi reservant: Clement. VIII.* Sacra Congreg. 1602. 2. *Publicantes, vel concedentes ob quæstum indulgentias, aut facultates absolvendi à Casibus: Pius V.* Quam plenum. 3. *Audentes docere, tueri, aut in praxim deducere opinionem, quod Bulla Cruciatus possit eligere quemcunque Sacerdotem à quocunque semel approbatum: Inn. XII.* 19. *Apr.* 1700. 4. *Docentes, defendentes, vel tractantes (nisi forte impugnando) Propositionem aliquam ex damnatis ab Alexand. VII. Inn. XI. & Alexand. VIII.* 5. *Docentes, licitum esse confiteri Sacramentaliter per literas, aut internuncium Confessario absenti, & absolutionem Sacramentaliter,*

ter à Confessario absente obtinere; aut in praxim quoris modo id deducentes: Clement. VIII. an. 1602. 6. *Non denunciantes intra* 12. *dies à scientia delicti hæreticos, aut quomodolibet suspectos de hæresi: Ex Præcept. Inquis. General. an.* 1623. *Item non monentes, aut deobligantes à denunciando, ex Bull. Alex. VII.* Licet alias an. 1660. *confirmante ampliative Bull. Paul. V.* Romanus an. 1606. 7. *Inquisitores inferiores Episcopis male procedentes contra Hæreticos; Clement.* Multorum. 8. *Superiores Regularium non denunciantes suos Religiosos Hæreticos, aut de hæresi suspectos: Paul. V. cit.* 9. *Communicantes in crimine criminoso cum excommunicato nominatim à Papa, cap.* Nuper de Sent. Excomm. 10. *Perseverantes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papæ, cap.* Quærenti de Offic. Deleg. 11. *Absoluti ab excommunicatione Papali cum onere, & illud non implentes, cap.* Eos, qui, in Sent. Excomm. in 6. 12. *Violantes Interdictum Sedis Apostolicæ: Extrav.* Etsi, de Pœnit. & Remis. 13. *Præsumentes violare Interdictum his modis, vel cogendo ad celebranda Divina Officia in loco interdicto, vel quomodolibet vocando alios ob ea ibi peragenda, vel prohibendo, ne ab Ecclesia tempore Missæ recedat excommunicatus, aut interdictus vitandus, postquam is à celebrantibus monitus est exire: vel demum, si is nominatim ab illis monitus non exeat: Clement.* Gravis, de Sentent. Excomm. 14. *Vexantes eos, qui censuram in aliquem tulerunt, cap.* Quicumque, de Sentent. Excomm. in 6. 15. *Clerici (etiamsi Regulares: Fill. contra Bonac.) scienter, & sponte admittentes, ad Divina Officia excommunicatos nominatim denunciatos à Papa, cap.* Significavit, de Sent. Excomm. 16. *Clerici, sive Seculares (exceptis Parochis) inducentes aliquem ad jurandum, vovendum, aut permittendum de eligenda Sepultura apud ipsos, vel electa non mutanda: Clement.* Cupientes, de Pœnis. 17. *Regulares administrantes Sacramentum Viatici, aut Extremæ Unctionis Secularibus non familiaribus, aut Matrimonii, absque licentia Parochi: Clem. I.* de Privil. 18. *Supponentes se in examine, ut beneficium impetrent pro alio: Paul. IV.* Inter cæteras. 19. *Incendiarii locorum, sive piorum, sive profanorum, si sint ab Episcopo denunciati, cap.* Tua nos, de Sentent. Excomm. 20. *Effringentes, & spoliantes Ecclesias, si sint ab Episcopo denunciati, cap.* Conquesti, eodem tit. Ubi nota particulam *Et* requirere utrumque simul actionem, & nomina

nomine *Ecclesiæ* non venire Oratorium privatum, neque arcam, in qua res Ecclesiæ continentur: Bon. 21. *Facientes jurare illicita, impossibilia, damnosa, vel contraria Libertati Ecclesiasticæ, aut Decr. Trid. Greg. XIII.* Inter Apostolicos 22. *Procurantes quomodolibet abortum fœtus animati, sequuto effectu: Greg. XIV.* Sedes Apostolica. 23. *Occupantes quomodolibet bona Montium Pietatis, Ecclesiæ, Beneficii, aut loci pii: Trid. sess. 24. c. 11. 24. Impugnantes Conceptionem B. Virginis, vel legentes, retinentes, aut pro veris habentes libros, in quibus asseritur, esse hæresim, vel peccatum, id credere, celebrare, aut in Concione audire. Et econtra damnantes hæresis, vel mortalis eos, qui tenent sententiam oppositam: Sixt. IV.* Grave nimis. 25. *Legentes, retinentes, edentes, describentes, advehentes, quovis modo dantes, aut ementes libros Thalmud, Cabalistos, aliosve Hebræorum contra vetus, aut novum Testamentum, &c. Clem. VIII.* Cum Hebræorum. 26. *Petentes, vel exigentes aliquid (& non ad pios usus) ex fructibus primi, aut secundi anni beneficii vacantis, in ejus Collatione, Provisione, aut admissione ad possessionem: Pius V.* Durum nimis. *Si autem hi sint Antistites, suspenduntur tantum.* 27. *Dantes, aut accipientes aliquid pro gratia, aut justitia obtinenda in Curia Romana; item promittentes, aut promissionem acceptantes; item præbentes his auxilium, consilium, favorem: item id scientes, & non revelantes: Greg. XIII.* Ab ipso. 28. *Dantes, vel promittentes aliquid Nunciantibus Provisiones à Sede Apostolica factas: Greg. XIII.* Solicite. Hoc tamen Fil. dicit non esse usu receptum. 29. *Habentes literas Apostolicas falsas, & eas intra 20. dies non destruentes, c.* Dura, de Crim. Fals. 30. *Impedientes quomodolibet executionem literarum S. Pœnitentiariæ: Jul. III.* Rationi. Id tamen inclusum esse in Casu 14. Bull. Cœn. ait Bon. contra Reginal. 31. *Provocantes, vel acceptantes duellum, etiam pugna non sequuta; Item quicunque quomodocunque se tali provocationi, acceptationi, aut duello immiscentes; item Domini quicunque permittentes duellum in suis Terris, Castris, &c. Clem. VIII.* Illius vices. Ex usu tamen includuntur hi etiam in cas. 3. §. antecedentis: Bon. & alii, contra Lug. & alios. 32. *Feminæ ingredientes Monasteria Regularium, prætextu, aut etiam sine prætextu facultatis Apostolicæ: Pius V.* Decet Romanum. Excipe Reginas cum suo comitatu;

vel

vel si comitentur SS. Sacramentum : 33. *Ingredientes Monasteria Monialium prætextu facultatis Apostolicæ: Paul. V.* Monialium. 34. *Moniales præsumentes admittere intra Clausuram, virum, aut mulierem prætextu facultatis Apostolicæ ingredientem: Greg. XIII.* Ubi gratiæ. 35. *Moniales exeuntes è Clausura absque licentia concedenda tantum in certis causis: Pius V,* Decori. 36. *Regulares euntes ultra mare, sine licentia Superiorum: Extravag.* Ad nostrum, de Regul. 37. *Regulares Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes (Excepto Ordine Carthus.) sine licentia suorum Superiorum: Extravag.* Viam, de Regular. 38. *Regulares recipientes aliquem è Soc. Jes. sine licentia Superiorum hujus, & ipsi de Societate sic ingredientes, hisque auxilium dantes: Pius V.* Æquum. 39. *Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. Jul. II.* Virtute. 40. *Minores recipientes Fr. Ordinis Prædicatorum sine licentia Papæ, vel detinentes talem Apostatam: Bonif,* apud D. Antonin. 3 par. 41. *Tertiarii, Eremitæ, &c. portantes habitum Minimorum, Leo X.* Licet. 42. *Minimi subtrahentes se ab obedientia Correctorum: Paul. V.* Cum. 43. *Minores tempore interdicti admittentes ad Divina Officia Fr. Tertii Ordinis: Clement.* Cum ex eo, de Sentent. Excommun. 44. *Minores de observantia subornantes in electionibus, vel procurantes favorem extra. ad officium obtinendum in Religione: Pius V.* Pastoralis. 45. *Iidem appellantes ad Secularia Tribunalia, contemptis Superioribus suis: Greg. XIII.* Quoniam. 46. *Impugnantes Institutum Societat. Jesu, ejusque Constitutiones: Gregor. XIII.* Ascendente. 47. *Conficientes libellos famosos, vel aliam scripturam contra statum Ordinis Prædicatorum. vel Minorum: Alex. IV.* Ex alto. 48. *Extrahentes per se, vel per alium ex Bibliothecis Fr. Minorum de observantia libros, quinterna, folia, & res alias ibi existentes; eisque auxilium, vel opem præstantes: Sixt. V.* Cum sicut. 49. *Præsumentes amovere, vel subtrahere ex Bibliothecis Fr. Carmelit. libros, & monumenta, sive impressa, sive MS. ibi existentia: Clem. VIII,* Quæ ad tuenda. 50. *Extrahentes Reliquias ex Cœmeteriis, Cryptis, vel Catacumbis, intra, vel extra Urbem, existentibus: Paul. V. an.* 1613. 51. *Extrahentes frumentum, legumina, animalia, &c. è statu Ecclesiastico, & locis immediatis: Paul. V.* Inter. 52. *Diripientes animalia, & alia bona in statu Ecclesiastico, & illa ementes, permutantes, & reti-*

recipientes: Paul. V. Non sine. 53. *Suadentes Papæ, ut infeudet loca Ecclesiæ Romanæ; Pius V.* Admonet. 54. *Eligentes potentia insignem in Senatorem Romanum, c.* Fundamenta, de elect. in 6. 55. *Capientes in servitute Christianos habitantes inter Turcas: Pius V.* Licet. 56. *Deferentes Alumina ex partibus Infidelibus ad Fideles: Pius IV.* Ex Apostolica. 57. *Accedentes ad Sepulchrum Domini causa devotionis, absque licentia Papæ:* Ex libro Pœnitent. 58. *Episcopi, aliique Ordinarii vexantes per Censuras eos, qui pro suis negotiis, vel pro servitio Papæ, & Curiæ Romæ commorantur Extrav.* 9. de Privileg. 59. *Episcopi, qui in suspensione conferunt Beneficium: Pius V.* Quanta. 60. *Personæ Ecclesiasticæ trahentes aliam personam Ecclesiasticam, vel Collegium, aut Conventum ad forum Laicale, pro causis spectantibus ad forum Ecclesiasticum: Martin. V.* Ad reprimendam. 61. *Officiales Papæ (exceptis Cardinalibus) accipientes munera: præter comestibilia biduo consumptibilia; item dantes, & recipientes: Paul. III.* Munera. 62. *Officiales Cameræ in contractibus Cameræ quomodolibet participantes: Paul. III.* Alias. 63. *Commissarii, & Judices Sedis Apostolicæ, inferiores Episcopis, concedentes alienationes bonorum Ecclesiasticorum fieri in detrimentum Ecclesiarum: item alii dolose, vel scienter id procurantes: Paul. II.* Cum in omnibus. 64. *Officiales S. Pœnitentiariæ expedientes, aut concedentes sibi interdicta: Pius V.* In omnibus. 65. *Conspirantes in personam Summi Pontificis: Extrav.* Etsi, de Pœnit. & Remis. 66. *Ambientes Papatum, ejusque causa Simoniam committentes; item tractantes de electione Summi Pontificis, vivente adhuc Pontifice, eoque inconsulto: Paul. IV.* Cum secundum. 67. *Facientes sponsiones super vita, morte, aut futura electione Summi Pontificis, etiam sede vacante, aut super promotione Cardinalium: Greg. XIV.* Cogit nos. 68. *Mittentes literas, scriptum, nuncium, notam, aut signum ad existentes in conclavi; & qui ibi recipiunt: vel econtra: Pius IV:* In elegendis. 69. *Occupantes bona Cardinalium in conclavi existentium: Concil. Constanc. sess.* 41. 70. *Cardinales non servantes formam præscriptam in eligendo Summo Pontifice, aut præsumentes aliquid facere, vel attentare contra Bull. Greg. XV.* Ætern. 71. *Cardinales non servantes statuta Julii II., ut scilicet sine Simonia eligatur Papa; Jul. II.* Cum tam Divino. 72. *Cardinales revelantes gesta in consistorio*

fistorio secreto præcepta sub silentio servari: Leo X. Superna. 73. *Invadentes armata manu domum Cardinalis, aut aliquid violenter, & hostiliter inde rapientes, aut aliquem ibi existentem vulnerantes; item mandantes, consulentes, aut ratihabentes: Leo X.* Temerarium. 74. *Fingentes se nepotes Cardinalium, ut expediant literas Apostolicas: Leo X.* Inhærendo. 75. *Non revelantes Papæ, vel Ordinario conspiratores contra Cardinalem: Pius V.* Infelicis. 76. *Offendentes Magistratus Provinciæ Marchiæ Anconitanæ: Extrav.* Dierum de Pœnis. 77. *Præsumentes turbare, vel impedire, quæ statuta sunt pro Ecclesia Tolosana; Extrav,* Salvator, de Præb. & dignit. 78. *Falsificantes monetam Regis Franciæ: Extrav.* Prodiens de Crim. 79. *Parochi non adimplentes juramentum de residendo certo tempore in suis Parochiis: Pius IV.* Inter. Verum hoc juramentum hodie non exigitur. 80. *Domini temporales prohibentes subditis, ne aliquid vendant, neve ab eis emant, &c. c.* final. de Immunit. Eccl. in 6., Verum, si hoc fiat per statutum, includitur in cas. 15. Bul. Cœn.; si secus, non reservatur: Bon. & alii. 81. *Domini temporales bannientes personas Ecclesiasticas, Urb. VI.* Quia sicut. Verum id hodie includitur in cas. 19. Bul. Cœn. 82. *Legati, & gubernatores facientes aufugere, aut defendentes bannitos. Item persona Ecclesiasticæ hos receptantes in statu Ecclesiastico, vel in Regno Neapolitano: Pius V.* Ex superna. Verum hæc excomm. jam sublata est à Sixt. V. *Hoc nostri.* * His addendæ sunt duæ excomm. nuper reservatæ à Benedict. XIV.; quarum I. est contra *Laicos, qui majus stipendium pro missis celebrandis accipientes, eas minori stipendio celebrandas curent,* ex Constit. *Quanta cura.* cit. in Tract. *de Stipend. Miss. §.* 3. II. contra *Sacerdotes Sacramentaliter absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si adsit alius.* ex Constitut. *Sacramentum pœnitentiæ,* cujus meminerimus infra cap. 2. §. 1. in expositi. 8. casus reservati hujus Diœcesis.

Excommunicationibus hisce reservatis ex Tract. de Censuris hic adjiciuntur à Collectore etiam aliquæ non reservatæ magis obviæ, quo tota hæc materia integra hic sub Lectoris oculis ad ejusdem commodum verletur * Sunt autem supra 60., quarum

1. *Contra Gubernatores, & Judices non reddentes jus Ecclesiasticis ob negligentiam, vel animum iniquum, c.* Admi-

Administratores 23. q. 5. 2. *Religiosos professos, qui diutius duobus mensibus absunt à suis Monasteriis ad audiendas leges, vel medicinam: c.* Non magnopere, de Cler. vel Monach. 3. *Sacerdotem, vel alium Clericum habentem officium Vicecomitis, aut Præpositi Secularis, qui admonitus non vult se emendare,* c. Clericis ne Cler. vel Mon. 4. *Ementes, vel quovis alio modo acquirentes rem Ecclesiasticam à Schismatico, vel recipientes beneficium ab illo, vel consentientes ordinationi ipsius, cap.* 1. de Schismat. 5. *Mittentes scripturam, vel nuncium alicui Cardinali in Conclavi existenti, ad Romani Pontificis electionem, vel cum eo secrete loquentes, cap.* Ubi, de Elect. in 6. 6. *Dominos, Rectores, aliosque Officiales, qui diligenter non observant, aut fraudem aliquam committunt in eis, quæ præcipiuntur observanda in morte Summi Pontificis in terra ipsorum, cap.* Eodem. 7. *Omnes, qui per se, vel per alios præsumpserint vexare personam Ecclesiasticam, vel alia loca pia, eo quod rogata noluerint, aut nolint eligere eum, pro quo ipsi rogarunt, aut induxerunt, cap.* Sciant, de Elect. in 6. 8. *Illos, qui usurpare conantes jus custodiendæ. & servandæ alicujus Ecclesiæ vacantis præsumunt capere aliqua bona illius, cap.* Generali, ibidem. 9. *Accersitum in directorem Monialium non temperantem à rebus, ex quibus nasci, vel ali potest discordia, cap.* Indemnitatibus, ibidem. 10. *Procurantes, quod Judices, Conservatores sibi dati, intromittant se ad alia, quam ad manifestas injurias, & violentias, & extendant potestatem ad ea, quæ judicialem exigunt discussionem, cap.* Hoc, de Off. Jud. Deleg. in 6. 11. *Illos, qui vi, aut metu consequuntur absolutionem, vel revocationem sententiæ excommunicationis, interdicti, vel suspensionis, cap. un.* de his, quæ vi in 5. 12. *Illum, qui fingit casum, vel fraudem aliquam facit, quo Judex ipse vadat ad accipiendum testimonium alicujus feminæ, cap.* Mulieres, de Jud. in 6. 13. *Illos, qui compellunt Ecclesiasticos, ut submittant Ecclesias, vel earum bona immobilia, aut jura laicis in casibus jure prohibitis. c.* Hoc, de rebus Eccl. in 6. 14. *Illos, qui statuunt novum Ordinem Religionis, aut accipiunt novum habitum illius, & Mendicantes, exceptis quatuor Ordinibus, qui recipiunt aliquem ad suum ordinem, cap. un.* de Relig. Dom. in 6. sed hæc hodie non habet locum 15. *Illos, qui per se, vel per alios suo nomine, vel alieno exigunt, ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis*

personis pedagium, pro personis. aut rebus, quas deferunt, vel deferri faciunt non causa negotiationis, cap. Quamquam, de Casibus in 6. 16. *Dominos temporales prohibentes suis subditis vendere sua Clericis, aut præstare officia, cap. final.* de Immunit. Eccles. in 6. 17. *Religiosos temere habitum relinquentes, & dimittentes, & Doctores, seu Magistros, qui Religioso habitu dimisso, Leges, vel Physicam audientes scienter docere, aut in Scholis retinere præsumunt, cap. ult.* Ne Cler. vel Mon. 18. *Præsumentes tradere Ecclesiasticæ sepultura Hæreticos, eisve credentes, receptatores, defensores, vel fautores, cap.* Quicunque, de Hær. in 6. 19. *Potestates temporales, vel earum officiales cognoscentes, vel judicantes de crimine hæresis, vel absque Diœcesani, aut Inquisitionis licentia liberantes è carcere captos pro eodem crimine, vel eorum executionem non implentes, vel directe, aut indirecte eorum sententiam, aut processum impedientes, eisque scienter dantes consilium, auxilium, vel favorem, cap.* Ut de Hær. in 6. 20. *Clericos non Episcopos permittentes in suis terris usurarios publicos alienigenas, vel eos ex illis non expellentes, vel locantes illis, aut alio prætextu concedentes domos ad usuras exercendas, cap.* Usur. de Usur. in 6. 21. *Illos, qui impediunt capientes fructus beneficii, vel infringunt sequestrum super beneficia ab Ordinario factum, ob latam in Curia Romana unam sententiam definitivam super possessione, vel proprietate ejusdem, Clem. un.* de Sequest. 22. *Sepelientes aliquem in loco sacro interdicto in casibus à jure non permissis, aut interdictum nominatim, aut excommunicatum publicum, aut usurarium manifestum, Clem. I.* de Sepult. 23. *Religiosos, qui non habentes beneficium, nec administrationem sibi appropriant decimas, &c. Clem,* Religiosi, de Decimis. 24. *Religiosos simplices, qui petunt aulas Principum animo nocendi suis Prælatis, aut Monasteriis, Clem.* Ne in agro, de Stat. Monach. 25. *Monachos, qui sine facultate Abbatum habent arma intra claustra Monasteriorum, ibidem. 26. Illos, qui præsumunt impedire Visitatores Monialium in eo, quod statuitur à Concilio, si à Visitatoribus admoniti non cessant, Clem.* Attendentes, de statu Monach. 27. *Eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis jure Canonico interdictis, aut cum Monialibus matrimonia contrahunt; nec non Religiosos, Moniales, Clericos in Sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, Clem. I.* de Con-

Consang. 28. *Inquisitores, & Commissarios eorum, aut Episcopi, aut Capituli Sede vacante, qui prætextu sui officii illicite sumunt pecuniam aliquam, & qui scienter confiscant bona Ecclesiastica. Clem.* Nolentes, de Hæret. 29. *Officiales Civitatum facientes, scribentes, vel dictantes statuta, ut solvantur usuræ, vel quod solutæ non possint repeti, & eos, qui judicant, usuras esse solvendas, aut non esse repetendas solutas, & qui ad id potestatem habentes non eradunt è libris talia statuta, Clem. I.* de Usuris 30. *Religiosos, qui concionantur. vel alias dicunt aliquid ad avertendos audientes à solvendis decimis debitis Ecclesiæ; & illos, qui de industria nullum conscientiæ scrupulum incutiunt in confessione pœnitentibus de solutione decimarum, Clem.* Cupientes, de Pœnis. 41. *Religiosos non servantes interdictum, vel cessationem à Divinis, quam servat Ecclesia Cathedralis, vel Matrix, vel Parochialis oppidi, Clem. I.* de Sent. Excommun. 32. *Imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes libros de rebus sacris, sine nomine Auctoris, & sine approbatione, Trid.* sess. 4. 33. *Prædicantes, docentes, aut pertinaciter asserentes, non esse necessariam confessionem Sacramentalem habita copia Confessionis ante Communionem his, quos conscientia peccati mortalis gravat, etiamsi contriti accedant,* sess. 13. *can.* 11. 34. *Raptores mulierum, ac illis consilium, auxilium, favorem, præbentes,* sess. 24. c. 6. 35. *Illos, qui subditos suos, vel quoscunque alios cogunt minus libere matrimonia contrahere,* sess. 24. c. 9. 36. *Magistratus seculares, qui non præbent auxilium invocatum ab Episcopis ad restituendam, vel conservandam Clausuram Monialium,* sess. 25. c. 5. 37. *Illos, qui cogunt aliquam feminam, præterquam in casibus à jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum Religionis, vel ad Professionem; quique consilium, auxilium, favorem in id dederint, vel præsentes ei actui scienter fuerint,* ibid. 38. *Illos, qui sanctarum Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem velî accipiendi, vel profitendi quoquo modo sine justa causa impedierint,* ibid. 39. *Negantes matrimonia Clandestina ante Trident. celebrata valida fuisse, aut post illud, matrimonium à filiisfamilias inconsulto patre celebratum validum esse,* sess. 24. c. 1. 40. *Eos, qui ausi fuerint impugnare litteras Apostolicas concessas à Papa non coronato:* Extrav. ult. de Sent. Excommun. 41. *Legentes, retinentes libros, scripta, opera, &c. Astrologiæ judiciariæ,*

divinationum futurorum liberorum, vel artis magicæ: Index libr. prohib. 42. *Præsumentes edere glossas, commentarios, adnotationes in Decr. Trid. Pius IV.* Benedictus. 13. 43. *Commentantes Clem.* Exivi, de V. S. ibid. 44. *Eos, qui ob quæstum publicaut, vel concedunt Indulgentias, & facultates absolvendi à Casibus reservatis: Pius V.* Quam plenum. 45. *Omnes, qui recipiunt, seu nutriunt Apostatas Religiosos, aut auxilium, consilium, vel favorem præstant, ne redeant ad suum Monasterium: Paul. IV.* Postquam. 14. 46. *Nuntios Apostolicos, & alios ex quavis causa missos ad Imperatorem, Reges, Duces, aliosque Principes, impetrantes ab ipsis literas, aut favores vocales ad dignitates obtinendas: Sixt. IV.* Etsi 47. *Vexantes Inquisitores, aliosve S. Officii Ministros: Pius V.* Si de 82. 48. *Impugnantes in concionibus, aut disputationibus Montem Pietatis: Leo X.* Inter 14. 49. *Eos, qui in Civitate diversarum linguarum, & rituum munus administrandi suscipiunt sine consensu Episcopi, cap.* Quoniam de Offic. Jud. Ord. 50. *Sacerdotes, aliosque Clericos, dignitatem, aut personatum habentes, qui legibus, aut physicæ operam navant, nisi ab his infra spatium duorum mensium destiterint, cap.* Super 1. 51. *Clericos interessentes agitationi Taurorum, & ferarum: Pius V.* De Salute 48. 52. *Ficte resignantes, vel permutantes beneficia: Inn. VIII.* Sicut. 53. *Alienantes bona Ecclesiæ, aut retinentes sine justa causa, & solemnitate, ac consensu Summi Pontificis, Extrav.* Ambitiosa, de Reb. Eccl. 54. *Mendicantes recipientes novas domos, vel alienantes jam receptas sine licentia Papæ, Clem.* Cupientes, de Pœnis. 55. *Violantes exemptionem Ordinum Mendicantium pro eorum personis, bonis, colonis, mercibus, & animalibus à solutione gabellarum, & quarumcunque contributionum, & onere hospitandi milites: Pius V.* Dum 11. 56. *Doctores Universitatum, Gymnasiorum, & alios facultatem Doctorandi habentes, si patiantur aliquem ad Cathedras, vel ad gradum aliquem promoveri, non facta Fidei professione: Pius IV.* In sacrosancta. 57. *Deferentes, vel deferri concedentes in statu Ecclesiastico arma brevioris mensuræ trium palmorum: Pius V.* Cum vices 143. 58. *Mandantes Christianum aliquem interfici per assassinos, etiam morte non sequuta;* & extenditur *ad eos, qui receptaverint, defenderint, occultaverint tales assassinos, c. un.* De Injur. in 6. 59. *Concedentes repræsalias adversus personas Ecclesiasticas, vel extendentes concessas,* Eodem

cap.

cap. 60. *Magistratus, & Officiales non obedientes Cardinalibus Congregationis SS. Inquisitionis: Pius V.* Sanctissimus 1. 61. *Officiales intromittentes se in causis interdictis à Pio IV.* Universi 54. & Superne 83. &c.

CAPUT II.

De casibus reservatis Episcopis.

Casus Episcopales, alii sunt à jure, vel consuetudine, ex dictis q. præc. c. 3. §. 2. alii, quos ipsi Episcopi sibi reservant, & exponere solent in suis agendis, seu tabellis, quæ proinde aliæ alibi sunt, & propriæ cujuscunque Diœcesis, manetque earum reservatio etiam mortuo Episcopo, nisi Successor revocaverit, quia sunt per modum statuti perpetui, ut notat Chapeavil. pag. 1. c. 5. Si autem Episcopus alium sibi casum reservat per modum mandati, cessat talis reservatio mortuo Episcopo, ut habet Pasqual. decis. 495. Porro casus in nostra tabella Neapolitana nunc sunt 23. quorum 16. habent adnexam excommun. ipso facto; 7. sunt absque excommun, sed postremo adnexum est interdictum ipso facto. De singulis hic agam, adjectis cuilibet casui aliquibus notis, ex quibus facile etiam cuique fiet alios aliarum Diœcesum casus expendere.

§. I.

De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus adnexa est Excommunicatio ipso facto.

I. *Omnes utriusque sexus, & cujusvis status, aut dignitatis personæ, quæ Hæreticorum cujuscunque sectæ cœtus adeunt, in quibus conciones, & catechismi, aut quicunque eorum ritus, præsertim à S. Catholica Romana Ecclesia damnati exercentur, quoties hujusmodi exercitiis, quovis prætextu, & occasione, etiam simplicis curiositatis assistunt.*

Nota primo: *Cœtus.* Ad cœtum constituendum non sufficit una, aut altera persona, sed tres ad minimum requiruntur, quia in jure cœtus collegium significat,

ut interpretatur Gloſſa in Clement. *Ne Romani, de elect.* Ad collegium autem tres ſaltem perſonæ requiruntur, *l. Neratius, ff. de ver. ſignif.* Secundo *Adeunt &c.* Qui è domo ſua hæreticorum conciones audit, vel eorum ritus adſpicit, juxta quorundam opinionem non incurrit hanc reſervationem, ad quam requiri videtur tum acceſſus, tum aſſiſtentia: Ita in caſu ſimili docent Dian. Pelliz. & alii. Sed Paſqual. Quart. aliique probabilius oppoſitum docent, quia aſſiſtentia principaliter prohibetur. Quod, ſi quis adeat cœtum hæreticorum; ſed eorum ritibus non aſſiſtat, diſtinguendum eſt; vel enim adit non animo aſſiſtendi, ſed ſolum comitandi herum, & non peccat remoto ſcandalo, & contemptu, ac proinde hanc reſervationem non incurrit; vel adit animo aſſiſtendi, licet poſtea mutata voluntate non aſſiſtat, & peccat mortaliter, incurritque excommunicationem Synodalem, quia Synodus disjunctive prohibet ſub excommunicatione reſervata, tam acceſſum, quam aſſiſtentiam, ſed non incurrit reſervationem, quia Confeſſarii omnes abſolvere poſſunt ab omnibus caſibus, & cenſuris à Synodo reſervatis, præter eos, qui in tabella proponuntur: in tabella autem fertur excommunicatio reſervata contra eos, qui adeunt cœtus hœreticorum, quoties illorum ritibus aſſiſtunt. Ubi adverte, quod non cenſetur aſſiſtere, qui aſſiſtit mere materialiter, quia nimirum ob ignorantiam idiomatis nihil percipit: ita ſentire videntur Merol. Pelliz. Sanch. aliique docentes, non incurri excommunicationem à legente librum ob hæreſim prohibitum conſcriptum ideomate ſibi ignoto. Tertio *Præſertim.* Particula hæc, utpote implicativa, denotat, incurri hanc excommunicationem, licet ritus non ſint expreſſe ab Eccleſia damnati, dummodo ſint ritus hæretici; nam, ſi ſint communes cum Catholicis, illis adeſſe non eſt prohibitum præciſo ſcandalo, &c.

II. *Omnes perſonæ utriusque ſexus, quæ vel per ſe, vel per alium, SS. Altaris Sacramento, Chriſmate, Oleo Sancto, ſive quacunque alia re conſecrata, ad Veneficia, Divinationes, Sortilegia, aut ad alium uſum, quam fuerint ordinata, vel inſtituta, quomodolibet abutantur: omnesque utriusque ſexus, qui de prædictis ad prædictos fines aliquid ſumpſerint, vel alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abuſu minime ſubſecuto.*

Nota

Nota primo: *Sive quacunque alia re consecrata.* Nomine rei in pœnalibus non venit locus, aut persona: *arg. l. Inspiciendum, ff. de Furtis;* qui ergo abutitur Ecclesia, vel Sacerdote, non incurrit hunc casum, Jan. r. 19. nec nomine rei consecratæ venit res quomodocunque sacra, aut benedicta; ut sunt Biblia, Missales, Imagines, & Reliquiæ SS. Incensum, Candelæ, Rami, Cineres, Aqua Lustralis, &c. Veniunt autem, non solum res Sacro Chrismate inunctæ, ut sunt Lapis Altaris, Calix, Patena, Agnus Dei, Aqua Baptismalis, Campanæ, &c. verum etiam contra Januar. r. 18. veniunt res omnes, quæ SS. Eucharistiam immediate contingunt, ut sunt Pixides, Ciboria, Sphærulæ, seu Lunulæ, Corporalia, Purificatoria, Pallæ, &c. utpote quæ ex contactu Eucharistiæ communiter dicuntur consecratæ, ut not. Tamb. l. 1. *Method. Celebr. Miss.* c. 2. Non autem veniunt ea, quæ nec Eucharistiam immediate tangunt, nec Chrismate inunguntur; ut sunt Mappæ Altaris, Vestes Sacerdotales, &c. Secundo, *Aut ad alium usum, quam fuerint ordinata:* Puta, si abutaris re consecrata ad usus sordidos, aut profanos, aut alios graviter peccaminosos contra ejus institutionem. Si autem abutaris Chrismate loco Olei Sancti ad Extremam Unctionem, peccas quidem, sed non incurris hunc casum; quia probabile apud Doctores est, id fieri valide, adeoque juxta institutionem. Idem ait Januar. si utaris Eucharistia ad tui defensionem, devotionem, &c. quia non est contra ejus institutionem. Idem, si abutaris fragmento Lapidis, aut Calicis jam fracti, aut frustulo Corporalis jam dilacerati, &c. quia amiserunt jam consecrationem, quamvis ex prava intentione abutaris his frustulis tanquam consecratis: Jan. r. 17. Incurris vero, si aliquid frangas ad abusum. Tertio, *Qui de prædictis, &c.* Si des ad abutendum, & accipiens id non intendat, tu solus incurris; & similiter vice versa. Si ex eodem fine des licentiam, ut alius accipiat, vere diceris dare; secus vero, si des tantum consilium, auxilium, aut mandatum. Si quis furetur ad abutendum, non incurrit, nisi abutatur; quia revera non *Datum accipit.* At ad verificandum, quod quis abutatur, satis est, si per *Alium* etiam abutatur, scilicet mandato: non vero tantum consilio: Dicast. d. 1. *de Censur.* num. 229.

III. *Omnes utriusque ſexus Perſonæ, quæ dæmoni ſpondent obſequium, thus, & ſacrificia offerunt, quamvis absque errore intellectus. Inſuper quicunque, ſive ſuo, ſive alterius nomine, condunt, aut condere faciunt imagines, annulos, aut quodvis aliud artefactum, in quo dæmonem conſtringant.*

Nota primo: *Qui dæmoni ſpondent, &c.* etiamſi obſequium non ſit ſecutum, ſed ſola promiſſio externa facta ſit de obſequio præſtando; licet putes, hoc ei non deberi; quia actus ille externus adhuc conjungitur cum mortali interno, à quo procedit. Si autem actu tantum interno ſpondeas, non incurris, quia actus mere interni nec reſervantur, nec ſubjacent cenſuris. Secundo *Inſuper, &c.* Si ſimules, te condere tales imagines, annulos, &c. & ita des alteri, peccas quidem graviter, ſed non incurris hunc caſum; quia vere non condis. Neque incurris, ſi mandes condi, & non condantur.

IV. *Venefici, & Veneficæ omnes, Necromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamiæ, Striges, ſive quovis alio nomine nuncupentur, ex utroque ſexu, qui cum expreſſa dæmonis invocatione ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, ſive ad inveniendos theſauros, aut ad alium finem quemcunque utuntur incantationibus, aliisque maleficiis, ſive etiam ligaturis, ut à naturali, & legitimo matrimonii uſu conjuges avertant; aut ſcienter in præfatis cooperantes, aut quovis modo conſentientes. Declaramus autem ex prædictis criminibus, in ſupradictis II. III. & IV. Caſibus contentis, excommunicationem Nobis reſervatam ipſo facto incurrere non ſolum eos, qui ſæpe, & ex arte hujusmodi criminibus operam dant, ſed etiam eos, qui quomodocunque, etiam ſemel, ea perpetraverint.*

Nota primo: *Cum expreſſa, &c.* Dicitur expreſſa dæmonis invocatio, ſive fiat verbis expreſſis, ſive ipſomet facto, cum ſcilicet ſciens dæmonem alligatum alicui ſigno, hoc uteris ſpe finis per eum conſequendi: econtra dicitur tacita tantum invocatio, cum mediis de ſe ineptis (puta ſortibus, cabalis, ſomniis, avium volatu, extis animalium, &c. utaris ad divinandum, aliudve obtinendum, etſi in his nec implores opem dæmonis, nec aliquid ab eo ſperes, nec de illo cogites; tacite enim ſe immiſcet tuæ vanæ credulitati, & fiduciæ in tale medium ineptum: Sanch. l. 2. *Decal.* c. 38. n. 3. Priori tantum modo incurritur hic caſus, poſito uſu incan-

cantationis ad quemcunque finem, etiam fine intento non secuto. Secundo: *Ac scienter, &c.* Incurrunt cooperantes, sive mandato, sive consilio, auxilio, favore, pecunia, &c. item quovis modo consentientes, nisi excuset ignorantia etiam crassa, & supina. Item, qui utitur v. g. annulo, cui alligatus est dæmon, licet à se non condito, quia utitur jam incantationibus: at, si illum ab alio accepit, emit, aut etiam retinet, si tamen neque utitur, neque promittit dæmoni, se eo usurum, non incurrit præsentem casum; imo neque antecedentem, quia neque condit, aut condere facit, neque spondet dæmoni obsequium: at incurreret, si tantum promitteret, se usurum, quia talis usus est species quædam obsequii: Quarti.

V. *Loquentes sine Nostra, vel Vicarii nostri Monialium licentia cum Monialibus, in Monasteriis etiam exemptis, vel cum aliqua, aut aliquibus earum, etiamsi sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius rei causa ibidem commoretur: conjunctis in primo, vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes, quod, qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua prædictarum, non possit data opera, & ex professo cum aliis loqui.*

Insuper ii præsertim, qui cum aliqua ex prædictis, aut coram ipsis, tam in Monasteriis, quam in Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, de rebus obscœnis, per verba, aut actus impudicos, præsentes egerint, absentes vero per literas, aut internuncios. Necnon viri, aut mulieres, sive intra, sive extra, Monasterii, vel Conservatorii, aut Collegii claustra, ac septa, qui prædictas literas, vel mandata detulerint.

Nota primo: *Loquentes:* Qui loquitur cum Moniali nihil respondente, incurrit hanc excommunicationem; similiter incurrit, qui è domo sua loquitur cum Moniali: incurrit etiam, quamvis locutio cæteroqui licita foret; quia hæc sub gravi prohiberi potest ob finem gravem, nimirum, ne moniales à studio orationis, divinoque servitio avertantur. Qui loquitur per nutus, aut signa (modo non sint obscœna) Pelliz. Dian. Tambur. & alii probabiliter negant, incurrere, quia proprie non loquitur; sed probabilius affirmant Graf. Januar. Bauc. Quart. & alii, quia perinde est signis, ac verbis suos conceptus alteri manifestare. Idem dicit Graf. si loquatur

per interpretem, internuncium, aut literas; sed hoc melius negant Dian. Januar. Quart. & alii, quia sic non loquitur immediate cum moniali; & à fortiori, si loquantur idiomate ei ignoto. Excusat ab hoc casu primo Necessitas, sicut eadem excusat à locutione cum excommunicato vitando, juxta Reg. illam: *Non veniunt sub prohibitione, quæ quis non esset verosimiliter prohibiturus, si in specie exprimerentur:* Hinc Dian. Lezan. Januar. Peyr. Bord. & alii apud Pelliz. c. 10. n. 277. inferunt, neque Religiosum subjacere ullis pœnis, si loquatur de rebus pertinentibus ad Pietatem, Conscientiam, &c. quia S. Congr. non videtur comprehendere casum Pietatis, & Charitatis, sed casus Urbanitatis, Negotii Secularis, &c. quare etiam posset ex causa pia eo mitti ab Ordinario, ut infert Pelliz. monet tamen Dian. p. 5. tr. 12. r. 96. hæc in praxim non facile deducenda, cum jura contra Religiosos loquantur indefinite. Excusat secundo Parvitas materiæ: puta si locutio fiat per unum Miserere, & aliquid amplius, juxta Dian.; vel etiam per unum quadrantem, ut addunt Verricel. Quart. & alii, quamvis hoc non judicat consulendum Tambur. *de Cas. Reserv.* cap. 6. num. 14. At quoad Religiosos Sac. Cong. cit. prohibuit quodvis modicum tempus. Cæterum monet Januar. tales locutiunculas non debere esse frequentes, nec sine necessitate; quia secus etiam adversarentur fini legis, qui est, ut monialis expeditius Deo vacet, ex cap. un. *de Stat. Reg. in* 6. & ideo personis etiam honestis locutio est prohibita, ut ait Gloss. Secundo: *Sine nostra, &c.* Feminæ ex consuetudine non videntur indigere licentia: Januar. r. 14. n. 15. & ita declaratum in Syn. Neapol. testatur Bauc. Similiter neque indigent Episcopi, tum quia præsumuntur habere licentiam, tum quia lex non ligat æqualem, ex cap. *Cum Inferior de Major. & Obed.* Neque Pauperes, & publice quæstuantes, quia pariter est tacita licentia ex usu, & praxi: Pelliz. *de Monialib.* cap. 5. Neque famuli deferentes dona, brevique se expedientes: Pelliz. ib. Neque qui 14. annum nondum expleverint, ut expresse habetur in fine Tabellæ. Neque demum, qui gravi metu compulsi sunt ad loquendum, quia Lex Ecclesiastica non obligat cum tanto onere: Doctores communiter. Religiosi peccant quidem contra jus commune, si absque debita licentia Ordinarii loci (à quo illis concedi potest per quatuor vices ad summum quolibet anno, modo

modo sint conjuncti in primo, & secundo gradu consanguinitatis tantum, ex Decret. Sacr. Congregat. jussu Urban. VIII. ann. 1623.) loquantur, vel tractent cum monialibus, sive sui, sive alterius ordinis, aut (occasione Concionis, vel Missæ) cum qualibet alia persona intra Clausuram degente; & incurrunt ipso facto privationem officiorum, vocisque activæ, & passivæ, ex Decret. Sacr. Congr. jussu Sixt. V. an. 1590. Putant tamen Pal. Vivald. & alii, eos peccare tantum venialiter secluso scandalo, periculo, &c. quia lex fundata in præsumptione non habet locum in foro conscientiæ, quando veritas est in contrarium, ex cap. *Tua nos, 26. de Sponsal.* Sed oppositum est commune; quia hæc lex non fundatur in præsumptione, sed in periculo, quod semper adest: hinc Sacr. Congregat. ann. 1626. declaravit, esse mortale; &, cum aliqui Religiosi putarent, non esse mortale loqui per unum quadrantem cum dimidio, eadem Congregat. ann. 1669. declaravit, eos peccare mortaliter loquendo etiam per quodcunque modicum spatium temporis; eosdemque accedentes ad Monasteria, quamvis exempta, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri pœna excommunicationis: quam declarationem Clem. IX. approbavit, & typis dari, ac observari jussit: v. Pignat. t. 6. consult. 85. n. 53. Hinc recte in Synod. Neapol. Pignat. pag. 189. §. 14. dicitur, incurri hanc excommun. à Regularibus, præsertim ex declarat. S. Congr. approbata à Clem. IX. apud Synod. Cantelm. pag. 267. Peregrini (qui scilicet in hac Diœcesi non habent domicilium, nec quasi domicilium, sed alibi) peccant etiam contra jus commune, si sine licentia loquantur cum Monialibus, ex cap. *Periculoso, de Statut. Regul. in 6.*; &, si frequentent, excommunicari possunt ab hoc Ordinario, si sint Laici; suspendi ab Officio, si sint Clerici, ex cap. *Monasteria de vit. & honest. Cl.* An autem incurrant hunc casum, & excommunicationem, dubitant Doctores: Affirmant Merolla, & alii putantes, Peregrinos teneri legibus loci, ubi per transitum morantur, quam sententiam Januar. r. 34. approbat solum, si peregrini accedant ad Monasteria exempta, cum relate ad hæc Episcopus procedat, ut Sedis Apostolicæ Delegatus: sed negant absolute Dian. p. 5. t. 2. r. 48. Pelliz. & alii: quia nec peregrini tenentur legibus loci, ubi per transitum reperiuntur, ex Sanch. & aliis, nec Delegatio

legatio Sedis Apostolicæ à Trid. facta est Episcopo, nisi in ordine ad restrictionem, & conservationem Clausuræ, ad quam non pertinet simplex locutio. Illud est certum, posse ab Episcopo, si frequentent, excommunicari; &, si semel accedant, posse carcerari, & puniri. Tertio, *Cum Monialibus.* Nomine Monialium in odiosis non venit Abbatissa, aut Prioriſſa: Pell. c. 5. n. 208. etsi præsens casus comprehendat Novitias Conversas, & quascunque in Monasteriis commorantes, nec venit Monialis existens extra Monasterium: Doctores communiter. Quarto. *In Monasteriis etiam exemptis.* Nomine Monasterii non veniunt Conservatoria; extenditur autem casus Episcopalis etiam ad Monasteria exempta, vel quia Episcopus procedit, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, ut vult Hugol. vel quia procedit contra loquentes, ut Bonac. vel melius, quia ea non sunt exempta ratione loci, sed ratione monialium exemptarum, ut docet Suar. ideoque etiam ibi incurritur casus à loquentibus: uti incurritur quilibet alius casus Episcopalis à committentibus illum intra Claustra Regularium hujus Diœcesis. Quinto: *Declarantes, &c.* Qui habent facultatem, sive specialem, sive communem, ut consanguinei in primo, & secundo gradu, incurrunt hunc casum, si data opera, & ex professo loquantur cum aliis ibi commorantibus: secus vero, si id fiat per accidens, urbanitatis causa, & verbis compendiosis, ita ut excuset parvitas materiæ; vel si illæ sint auscultatrices, quæ ex munere debent interesse: Pelliz. n. 219. sicuti etiam Socius Religiosi loquentis ex licentia cum Moniali potest cum ea pariter loqui ob regulam connexorum: Peyr. Rodr. Ricc. Pelliz. cap. 10. n. 20. contra Delben. Sexto, *Insuper ii, &c.* Incurrunt hunc casum etiam feminæ, quia nequit in hoc esse consuetudo in contrarium: Tamb. *de Cas. Res.* cap. 6. n. 6. & n. 30. Non tamen incurrunt ipsæ Moniales, aliæve degentes intra Monasterium, si obscœne loquantur cum existentibus extra; quia neque hic, neque antecedens casus loquitur de commorantibus intra relate ad existentes extra. At, si una earum turpiter agat, vel loquatur cum alia intra idem Monasterium, Tamb. n. 29. ait, incurrere, quia ly *ii* denotat omnes loquentes obscœne cum aliqua in Monasterio existente; sed probabile est, tantum referri ad omnes existentes extra; ideoque non incurrere, nisi forte turpiter agat, vel loquatur cum alia in alio Monasterio existente.

Incur-

Incurrunt hunc casum etiam consanguinei in primo, vel secundo gradu, & qui habent licentiam loquendi, & qui loquuntur cum Abbatissa, si agant de obscœnis; quia licentia non potest ad hoc extendi: Doctores communiter: idemque est, si coram illa fiant à te verba, actus, aut signa quæcunque obscœna cum quovis alio: vel si loquaris de aliorum actibus, aut moribus obscœnis: Tamb. num. 21. Idemque est, si ad eam mittas literas, aut nuncium de obscœnis, sive tecum, sive cum aliis, sive ut mediet inter alios; modo literæ, aut nuncius ad illam pervenerint, & intelligantur; quia secus non haberetur actus consummatus in sua specie, in qua est hic prohibitus. Neque in hoc casu datur parvitas materiæ, etiamsi duo. vel tria tantum verba obscœna dicas, agas, scribas, mittas &c., quia ratione qualitatis semper habetur materia gravis: Verricell. & alii, quidquid dixerit Bordon. Cæterum non incurris hunc casum, si cum obscœna intentione loquaris de aliis rebus etiam malis in alia specie, dummodo aliquo signo non ostendas animum obscœnum. In dubio autem mitior interpretatio fieri poterit. Septimo; *Necnon viri, &c.* Incurrunt hunc casum etiam Moniales deferentes literas, vel mandata obscœna ab aliqua persona externa ad personam existentem in Monasterio, modo sciant, vel graviter suspicentur agi de obscœnis. Qui vero sive intra, sive extra Monasterium exiſtens scienter accepit has literas, vel mandatum cum animo deferendi, si tamen non detulit, peccavit quidem, sed non incurrit hunc casum; sicuti neque, qui mandatum, aut literas dedit; quia nondum habetur actus consummatus in sua specie, in qua est vetitus.

VI. *Omnes in causa criminali, aut civili cum gravi damno alterius falsum deponentes, aut deponendum curantes, necnon inducentes ad falsum deponendum, falsisque testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis tam publicis, quam privatis, quomodocunque utentes, directe, vel indirecte, in quavis Curia Civitatis, & Diœcesis Neapolitanæ. Item quicunque falsum aliquod impedimentum matrimonii dolose objecerint; necnon consilium, vel auxilium ad illud dolose objiciendum dantes. Falsificantes, etiam cum gravi damno alterius. vel corrumpentes, falso, aut quæ falsum continent. conficientes Apochas, Syngraphas, vulgo* Fede di credito, o Polize notate in fede, *sive Instrumenta, Processus, aut Scripturas publicas, & authen-*

authenticas, aut scienter his utentes, necnon mandantes, aut cooperantes.

Similiter præsentantes falsum, fictum, aut fiduciarum Patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum pro Ordinibus suscipiendis, etiam pro prima Clericali Tonsura: necnon constituentes, consulentes, aut quomodolibet concurrentes, sive cooperantes. Declaramus autem, quod Clerici præsentantes, quando ab excommunicatione absolvuntur, remanent ab exercitio susceptorum Ordinum suspensi: quam suspensionem nullus, nisi Nos personaliter, constituto reali Patrimonio, & causa discussa, relaxare valeat.

Præter hos, Actuarii, Subactuarii, Notarii, Scribæ, qui cum alterius Partis offensione, aut cum Reipublicæ, aut legalis justitiæ detrimento, dolose auctam, vel diminutam informationem capiunt, & sic dicta Testium scribunt, ac Nuncii, Cursores, aut alias nuncupati, qui in grave tertii præjudicium falsum in acta referunt.

Nota primo: *Cum gravi damno, &c.* Hæc conditio requiritur in omnibus actionibus hic prohibitis, præterquam in secunda, & quarta parte. Damnum autem grave non est, quodcunque sufficit ad mortale, sed quod ascendit ad valorem 50. aureorum ordinarie; &, si illatum sit pauperi, sufficit 10. aureorum. Ratio est, quia voluntas Principis semper præsumitur talis, qualis est intentio juris *l. ex facto, de vulg., & pupill. instit.* & intentio juris pro hac Diœcesi Neapolitana est, ut non publicetur excommunicatio, nisi pro 50. aureis ordinarie, & in pauperibus saltem pro 10. Januar. Bauc. Quarti, & alii. Secundo, *Deponentes, &c.* Depositio fit, Primo ,Accusatione: Secundo, Denunciatione, non tamen Evangelica, sed vel Canonica, vel Judiciali: Tertio, Testificatione jurata: Quarto, Probabilius confessione rei. Si reus ad vitanda tormenta falsum crimen confiteatur, quæstio est, an peccet graviter, si sibi soli noceat; si autem alteri noceat, peccat, & incurrit hanc excommunicationem: si reus solum taceat veritatem, quando tenetur fateri, licet peccet, non incurrit excommunicationem, quia non deponit falsum. Idem dic, quando utitur æquivocatione. Si mentitur, quando tenetur fateri verum, incurrit excommunicationem posito damno tertii, ubi hoc requiritur; quando vero non tenetur fateri, non incurrit; quia mendacium illud est de se leve, licet sit grave peccatum; excommunicatio enim fertur ob depositionem falsam de se mortalem,

Si

Si testis legitime interrogatus dicat, se nescire, quod scit, peccat contra justitiam legalem, & religionem, non contra justitiam commutativam, ideoque non incurrit excommunicationem, & damnum tertii non sequitur vi illius mendacii positive, sed negative. Tertio, *Inducentes, &c.* Qui inducit ad deponendum verum à deponente ignoratum, peccat quidem, sed non incurrit excommunicationem. Qui vero inducit ad deponendum falsum, quod à deponente verum putatur, ut assequatur, quod sibi non debetur, peccat, & incurrit excommunicationem. Probabilius etiam peccat, qui inducit ad deponendam aliquam circumstantiam falsam, ut assequatur, quod suum est, & incurrit excommunicationem, quando non requiritur damnum tertii. Quarto, *Scripturis, &c.* Si falsificetur scriptura, quæ tamen vera contineat quoad substantiam, nec alteri damnum injuste inferat, non solum non incurritur casus, quando non requiritur damnum tertii; verum etiam, si scriptura sit privata, puta apocha, &c., probabiliter non excedit veniale; quia non potest dici falsum, quod innititur primordio veritatis, ex *L. cum filius, ff. de Legat.* 2. Si vero scriptura sit publica, communius est mortale, quia maxime interest Reipublicæ, ne fides publica alio modo minuatur, aut in dubium declinet: Dian. p. 3. t. 6. num. 56. cum communi, contra Jul. Clar. Menoch. & alios: idemque est, si eam scripturam ab alio jam confectam producas, quia semper fit contra justitiam legalem, & bonum Reipublicæ: Dian. p. 9. t. 8. r. 61., Layman. Lug. Jan. r. 59. & alii contra Sa in secunda editione correctum, & Bauciumin *Singul. cas. consc. cas.* 53.

VII. *Confessarii omnes, etiam Parochi, ad inhonesta personam quamcunque, sive in actu confessionis, sive ante, vel post immediate, aut prætextu, vel occasione confessionis, etiam confessione non secuta, vel extra confessionem in confessionibus, sollicitantes, aut quomodolibet cum iisdem impudice tractantes. Respectu Regularium vero censuram suspensionis ab audiendis confessionibus, quam ipso facto incurrunt, Nobis tantummodo reservamus.*

Nota primo, *Confessarii.* Non comprehenditur simplex Sacerdos fingens se Confessarium: qui tamen est denunciandus, juxta dicta q. 2. c. 4. Secundo, *In Confessionalibus:* licet non fiat vera, aut simulata confessio, ut constat ex Synodo. Tertio; *Sollicitantes:* in iis fere omnibus casibus, in quibus sunt denunciandi. Quarto, *Aut quomo-*

quomodolibet; nimirum per quælibet verba, aut signa ad venerem ordinata. Quinto, *Censuram suspensionis:* hoc est non meram negationem approbationis, sed veram censuram, quæ in hoc casu fertur ab Episcopo, tanquam à delegato Pontificis.

VIII. *Pariter Confessarii omnes, etiam Parochi, attentantes prædictas personas, & quascunque alias, cum quibus extra antedictos casus, quomodolibet impudice versati fuerint, à peccatis, quorum ipsi complices sint, nulliter absolvere: qui omnes, etiam Regulares, etiam in Censuram suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto incidunt, Nobis tantummodo reservatam.*

Nota primo, *Nulliter absolvere.* In Synodo tollitur omnis facultas absolvendi à peccatis venereis, quorum Confessarius est complex, qui proinde ab illis nulliter absolvit; quando tamen sunt materia necessaria confessionis, potest vere absolvere ab aliis. Quod si pœnitens bona fide confiteatur peccatum venereum, cujus Confessarius est complex, & alia peccata, & Confessarius absolveret, esset quidem valida absolutio, sed Confessarius hanc reservationem incurreret; quia illa absolutio directe in peccatum venereum est nulla. Si Confessarius obtineat generalem facultatem absolvendi à reservatis, non potest absolvere complicem; quia hæc non est reservatio peccati complicis, quippe qui potest à quolibet alio absolvi, sed negatio approbationis, seu potius positiva reprobatio Confessarii relate ad illud peccatum. Secundo, *Qui omnes etiam. &c.* Confessarii seculares incurrunt, tum excommunicationem, tum suspensionem ab audiendis confessionibus: Regulares vero solam suspensionem à confessionibus: quia hæc unice potest illis ab Episcopo infligi: incurrunt tamen excommunicationem Papæ reservatam, si prætextu privilegiorum absolvant à casibus Episcopalibus.

* Addendum hic, quod Bened. XIV. in Bulla *Sacramentum pœnitentiæ* 1741. Omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam secularibus, quam regularibus, prohibet, ne aliquis eorum extra mortis articulum, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi contra sextum Decalogi præptum commisso excipere audeat; sublata propterea illi qua-

quacunque jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, ita ut absolutio, si quam impertierit, nulla sit: quod si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, excommunicationem ipso facto incurrat Papæ reservatam. Declarat insuper, quod nec etiam vi Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, aut alterius cujuslibet indulti confessionem complicis quisquam valeat excipere. Cum autem super ea dictæ constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quædam exortæ fuissent, idem Summus Pontifex in alia Constitutione, quæ incipit, *Apostolici muneris* 1745. declarat, singulis Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in peccato turpi complicem confitentem audire, & absolvere, ita interdici reipsa prædicto modo tunc audire, & absolvere, si adsit alius Sacerdos, qui hoc munus obire possit, licet iste alius sit simplex Sacerdos ad audiendas confessiones non approbatus; quod si alius Sacerdos sine infamia, vel scandalo vocari, aut accedere nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, ac si deficeret; ac proinde non prohiberi socio criminis ab eo quoque peccato absolvere. Quodsi complex hujusmodi Sacerdos prædictæ infamiæ, aut scandali pericula confingat, ubi non sunt, vel hujusmodi periculum removere neglexerit, cum posset, & sic complicem absolverit, quantumvis hujusmodi absolutio valida futura sit, si pœnitens sit dispositus, nihilominus Sacerdotem ipsum latam in Superiori Constitut. Excommun. majorem Papæ reservatam incurrere. *

IX. *Incestus cum conjunctis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis. Mulieres autem, si vere sint pœnitentes, à quocunque Confessario à Nobis approbato absolvi possunt, gravi tamen imposita pœnitentia salutari; & dummodo occasio proxima facta sit salutaribus mediis moraliter remota.*

Nota primo: *Incestus.* Quamvis congressus non completus, vel innaturalis cum consanguineis, &c. & congressus cum cognatis cognatione legali, vel spirituali habeat malitiam incestus; hic tamen non reservatur, nisi congressus completus, & naturalis cum consanguineis, vel affinibus in 1. & 2. gradu. Comprehenditur incestus cum affine ex copula illicita. Probabilius non comprehenditur copula cum uxore, cum qua contracta est affinitas; quia non est incestus perfectus, cum non habeat

malitiam fornicationis. Secundo, *Si vere, &c.* Prima, & tertia conditio requiruntur ad valorem absolutionis: secunda, probabilius non; quia est monitio, ut servetur, quod de jure servandum est, ex Trid.

X. *Qui contra dispositionem Sac. Canon. Clericos, quos noverint, ad Forum seculare traxerint, etiam consentiente reo extra casus hac in re tum in Bul. Cœn. Dom. tum in Mart. V. Const.* Ad reprimendos, *Summo Pontifici reservatos.*

Nota primo, *Extra casus, &c.* Casus 15. Bul. Cœn. loquitur tantum de Judice laico trahente personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal: Casus Martin. V. positus à nobis cap. 1. §. 3. n. 60. loquitur tantum de persona Ecclesiastica trahente aliam personam Ecclesiasticam, collegium, vel conventum, ad forum laicale, & de Judicibus laicis, executoribus, auxiliantibus, consulentibus, & ratihabentibus, postquam constiterit, ad eos non spectare. Hi duo casus sunt Papales; & Clem. VIII. an. 1602. prohibuit, ne Episcopi superflue sibi reservent casus Papales; ideoque Lug. d. 20. num. 151. cum aliis ait, Episcopum invalide eos sibi reservare, quia causa pertinens ad Superiorem non potest judicari apud Inferiorem. Itaque extra hos casus, quivis laicus, seu mas, seu femina, incurrit præsentem casum Archiepiscopalem, si traxerit, &c. Secundo, *Traxerint, &c.* sive per se, sive per alium, cum verbum *trahere* utrumque sensum proprium habeat in hac materia. Hæc tractio fieri potest quadrupliciter, per citationem, per capturam, per mandatum, per alios actus jurisdictionis. In his non prohibetur tractio in causa feudi, in qua licite potest conveniri Clericus coram Judice laico domino feudi, utpote ejus vassallus, ex cap. *Transmissa de For. Comp.* neque in causa reconventionis, quando scilicet Clericus conveniens laicum coram Judice laico, ab eo coram eodem reconveniatur, ex c. 1. & 2. *de Mut. Petit.* quamvis non possit tunc Clericus condemnatus cogi ab eo Judice ad solvendum. Incurritur ergo casus in reliquis causis civilibus, aut criminalibus; nisi vero Clericus citatus non compareat, cum sola citatio per se non sit tractio, ut notant Hugol, Suarez, Bon. & alii. Tertio, *Clericos, &c.* Nomine Clerici veniunt hic etiam Religiosi, & Moniales, eorumque Conversi, & Novitii, quia hi omnes in favorabilibus appellantur Clerici: Doctores

ctores communiter: item Equites Melitenses, & Teutonici, Tertiarii, & Tertiariæ SS. Dominici, & Franciſci collegialiter viventes, & Eremitæ obligati voto, aut pacto perpetuo obedientiæ; item Clerici ſeculares, dummodo gaudeant privilegio fori, quales ſunt Clerici in ſacris, quousque non degradentur realiter, vel per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici eo privilegio denudentur, ex cap. *Cum non ab homine, de Judiciis*, & Clerici in Minoribus, aut in prima Tonſura, dummodo non ſint bigami, & habitum cum tonſura deferant, & alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviant, aut ſcholæ ex ejus licentia incumbant, ex Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 6. Clerici autem ſalvatici gaudent privilegio fori in crminalibus, & in civilibus tantum quoad carcerationem, & onera perſonalia, ex Decr. S. Congr. pro Regn. Neap. Fagnau. Quarto, *Etiamſi conſentiente reo, &c.* quia Clericus non poteſt renunciare huic privilegio, utpote juris divini, & proprio ſtatus Eccleſiaſtici. Imo, qui tempore Clericatus commiſit delictum, & poſtea dimiſſo habitu ſtatum laicalem elegit, non poteſt pro eo delicto trahi ad forum laicale, ex Synod. Neap. apud Gramm. deciſ. 10. n. 3. & ſimiliter neque Novitius poſt relictam Religionem, quia inſpiciendum eſt tempus delicti: Bon. ex Bald. contra Nav. Mol. & alios. Contra vero, ſi poſt delictum Religionem, vel Clericatum aſſumpſit; quia præſumitur fraus: Bon. & alii. Denique Clericus, qui dimiſſo habitu ſtatum laicalem elegit, poteſt ex ſe habitum, & ſtatum clericalem reaſſumere, & ſic iterum frui privilegio fori: idemque probabiliter eſt, etiamſi privatus fuerit per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici, præciſe quod dimiſerit habitum; ſecus vero, ſi ob aliud delictum: v. Sanch. l. 7. *Matr.* d. 46.

XI. *Homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, Cœmeteriis, aut Sacriſiis, aut publicis Oratoriis patrantes.*

Nota: *Patrantes, &c.* Non ergo mandantes, aut conſulentes, cum ſimus in odioſis; Homicidium autem ſit etiam per abortum fœtus animati. Mutilatio vero debet eſſet membri, & non tantum partis membri; neque ſi membrum tantum debilitetur, aut arefiat, reddaturve inanime, ſed non abſcindatur; neque ſi tantum vulneretur, etiamſi ſanguine effuſo pollueretur Eccleſia; dummodo non ſit vulnus lethale, ut mox patebit; ſi enim

vulnus lethale, aut venenum abortus datum fit in Ecsia, Sacristia, aut Cœmeterio, incurritur hic casus, etiamsi mors postea sequatur extra (non tamen antequam hic effectus sequatur) quia posita est causa per se efficax intra Ecclesiam, &c. & per accidens est, quod moriatur extra: Suarez, Bonac. & alii: idemque est, si ab existente extra Ecclesiam occidatur quis existens in Ecclesia: Doctores cit. Contra vero est, si existens in Ecclesia sclopeto v. g. occidat existentem extra Ecclesiam, etsi ille postea moriatur in Ecclesia; quia vere non occidit in Ecclesia, sed ab Ecclesia, ex dictis cap. præced. §. 2. n. 1. Item, si occidas, vel mutiles existentem in Campanili, vel supra tectum Ecclesiæ, vel in Oratorio privato, non incurris hunc casum. Neque demum, si occisio, vel mutilatio facta in Ecclesia non fuerit peccatum lethale.

XII. *Conficientes cujuscunque generis venena in hominum perniciem, eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes, sive ad hoc qualitercunque cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu.*

Nota primo: *Conficientes, &c.* Incurrunt hoc ipso, quod conficiunt, seu componunt venenum, etsi deinde non applicent, neque alteri dent applicandum; dummodo conficiant ex prava intentione inferendæ mortis, vel gravis morbi proximo. Si autem conficiant ad experiendam eorum efficaciam in canibus, ad præparandas medicinas, ad temperandos colores, &c. non incurrunt: Quarti, & alii communiter. Secundo, *Eadem scienter dantes, &c.* qui scilicet ex prava intentione mortis, vel gravis morbi ea etiam ab aliis in alium finem confecta applicant, vel præbent alteri sumenda, modo secuta sit applicatio, vel sumptio, etsi pernicies non sequatur: cooperantes autem sumptioni, vel applicationi sunt omnes ex ead. prava intentione vendentes, ementes, mandantes, consulentes, auxilium, favorem, pecuniam præstantes, aut venenum potui aut cibo, &c. miscentes, qui omnes incurrunt posita applicatione, etiam pernicie non secuta. Si autem hæc sequatur in Clerico, incurritur etiam ex dictis casus Papalis. Hinc, dum Pharmacopolæ vendunt venena, distinguendum; vel enim sunt talia, quæ solum deserviunt ad perniciem, ad procurandum abortum, &c. vendendo scienter, incurrunt hunc casum posita applicatione; quia sic sunt cooperatores; vel sunt talia, quæ deservire possunt usui bono, & malo,

&

& pariter incurrunt, si vendant personis suspectis: secus vero, si moraliter constet, peti ad usus liticos. Simile est de pharmaco, quod datur ægrotæ prægnanti; si enim per se illud tendat ad abortum fœtus animati incurritur casus: secus, si per se tendat ad medendum ægrotæ, etsi prævideatur, quod forte sequatur abortus, quia id est per accidens, & præter intentionem, & aliunde præstat vitam matris servare, quam mortem utriusque permittere: v. Sanchez l. 1. *Decal.* c. 7. n. 47.

XIII. *Cujusvis conditionis personæ, quæ libros in Civitatem, vel Diœcesim introducunt, vel scienter introductos tradunt, aut traditos recipiunt, sive etiam de eadem Civitate, & Diœcesi extrahunt, priusquam à Deputatis nostris fuerint recogniti. Similiter Bibliopolæ, qui Bibliothecas emunt, non exhibito prius prædictis Deputatis emptorum librorum catalogo: transgressores autem etiam de nostra licentia numquam absolvantur, quoadusque libros sine prædictis requisitis introductos, aut emptos, recognitioni subjicerint. Typographi similiter, & eorum Operarii, qui sine nostra, vel Vicarii nostri licentia libros, aut cujuscunque generis folia imprimunt: præterea Auctores eorum, si typis mandent, vel quicunque mandari faciunt.*

Textus est clarus. Nota tamen Primo, Ad incurrendum hunc casum reservatum requiri scientiam in omnibus actionibus prohibitis, præter actionem introducendi libros: Secundo, Non comprehendi in hoc casu libros prohibitos in Bulla Cœnæ: Tertio, Comprehendi eos, qui imprimere, vel imprimi facere præsumunt librum, vel scripturam sine debita licentia, licet incurrant excommunicationem ipso facto latam à Concil. Lateran. quia potest excommunicatio Papalis non reservata reservari ab Episcopo, urgente gravi causa, qualis fuit in casu frenare nimiam licentiam scribendi, & legendi: Quarto, Quod attinet ad introductionem, satis esse ad incurrendam excommunicationem, sive liber in Civitatem, sive in alium locum Diœcesis introducatur; at quoad extractionem requiri, ut extrahatur à tota Diœcesi. Quinto, Probabilius non esse materiam levem introducere, &c. parvum liberculum, sicuti non esset materia levis illum legere, si esset prohibitus: Sexto, Non excusari introducentes, &c. etiamsi liber sit sanæ doctrinæ; quia non cessat lex, cessante in casu particulari ejus fine, ut dictum est c. ant. §. 1. casu Bul. Cœn.

XIV. *Qui in Paſchate non communicantes ab aliis doloſe accipiunt ſchedulas, ſeu chartulas, quæ eo tempore diſtribui ſolent in Metropolitana vel in Parochiis, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione. Item Illi, qui easdem non communicantibus quomodocunque accommodant in fraudem, aut utcumque cooperantes.*

Nota, *Qui, &c.* Intellige etiam feminas, arg. cap. *Si quis ſuadente.* Requiruntur ad hunc caſum tria ſimul: Primo, Quod non communices in Paſchate, hoc eſt à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, & in hac Diœceſi ad Aſcenſionem Domini: Secundo, Quod doloſe ab aliis accipias ſchedulam, ſive ſponte dantibus, ſive furto, ſive caſu inventam: Tertio: Quod eam exhibeas Parocho in fidem, &c. ita ut, ſi nondum exhibueris, non incurris. Alii vero, qui eam tibi quomodocunque accommodant in fraudem, incurrunt, ſecuta dicta exhibitione, quia tunc videtur conſummata fraus, & caſus in ſua ſpecie hic prohibitus.

XV. *Falſarii monetarum, videlicet ii, qui monetas quomodocunque vitiant, nimirum, vel eas diminuendo, vel fundendo, aut imprimendo cum deteriori liga, aut ſine legitimo Principis ſigillo.*

Nota primo, *Diminuendo.* Non incurrit excommunicationem attondens monetam exuberantem, ita ut remaneat juſtum pondus; quia non eſt falſarius monetæ; hæc enim falſa non dicitur, niſi vel in pondere, vel in materia, vel in legitimo ſigillo deficiat. Secundo, *Principis.* Etiam extranei; quia vere falſarius eſt, qui monetas etiam extranei principis vitiat. Qui in ære, vel pondere vitiat monetas Regni Franciæ, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, & conſequenter incurrit præſentem caſum reſervatum; licet Fill. dicat, dictam excommun. Papalem fuiſſe latam ad ſolum tempus Caroli magni.

XVI. *Sponſi, & Sponſæ poſt contracta ſponſalia, etiam privata inter ſe, & ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter ſe copulam habentes; necnon parentes, conſanguinei, & affines omnes, aut quicunque domus curam habentes, eandem carnalem copulam, vel Sponſorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice, permittentes.*

Nota

Nota primo, *Copulam.* Intellige perfectam: idem dic de permittentibus eandem copulam. Copula sodomitica probabilius non comprehenditur, cum in jure nomine copulæ veniat copula naturalis. Secundo, *Cohabitationem*, quæ scilicet apta sit ad acquirendum domicilium, vel quasi domicilium; quod intellige, si facilis sit ad invicem accessus; secus vero, si altera ad alterum accedere nequeat. Hinc permittentes commorationem sponsorum in eadem domo per paucos dies, dummodo copula non sequatur, non incurrunt excommunicationem: si vero eam permittant per tempus aptum ad domicilium acquirendum, incurrunt, etiam non secuta copula; quia permissio cohabitationis principaliter prohibetur. Tertio, *Pernoctationem*, hoc est moram in eadem domo per totam, vel fere totam noctem: Quarto, *Permittentes.* Incurrunt hanc permittentes, qui scilicet non impediunt, cum possint, licet pro una vice, & licet non sequatur copula.

§. II.

De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus non est adnexa Excommunicatio.

I. *Blasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine coram pluribus supra quatuor.*

Nota: *Blasphemantes: &c.* Tria requiruntur ad hunc casum: Primo, Quod blasphemia sit in Deum, vel B. Virginem: Secundo, Quod sit ex perversa consuetudine: Tertio, Quod sit coram pluribus supra quatuor. Hinc primo, Non incurrit, qui blasphemat alios Sanctos, vel falsum Deum, puta Bacchum; incurrit vero, qui blasphemat Christum, vel ejus membra, Corpus, Sanguinem, &c. vel si dicat, *A dispetto di Dio*, vel dicat, Deum non esse justum, dæmonem esse fideliorem Deo, &c. Secundo, Non incurrit, qui bis, vel ter blasphemavit Deum, vel B. V. quia nondum ex perversa consuetudiue, quæ secundum Homob. Avers. & alios, non dicitur acquisita, nisi post quinque saltem actus intra paucos dies; ideoque neque incurrit, qui raro blasphemavit, etsi plus, quam quinquies, quia raritas non induxit consuetudinem; neque, qui continenti sermonis, iræ, aut ludi serie blasphemavit etiam plusquam quinquies; quia veluti unico impetu, & ante contractam consuetudinem, ut supponitur: Graff. Bauc. Quart. & alii: si post consuetudinem in ultima confessione retractatam quis semel, aut bis blasphemet,

Homob. Averſ. & alii contra alios negant, incurrere, quia non fit ex conſuetudine voluntaria, & quæ ſit materia neceſſaria novæ confeſſionis : neque demum incurrit, qui ex perverſa quidem conſuetudine blaſphemavit, ſed inadvertenter; quia non peccavit blaſphemando, ſed tantum in cauſa non tollendo conſuetudinem : Doctores citati cum Suar. Tertio, Non incurrit, qui ex perverſa conſuetudine blasphemat coram tribus, aut quatuor; vel ſi plures ſupra quatuor alii ſint diſtracti, ſurdi, aut non percipientes blasphemiam, quia non dicuntur formaliter præſentes : Graff. & alii ex *l. Coram, ff. de V. S.* Incurrit vero, qui ex conſuetudine contracta per blasphemias occultas, ſemel poſtea blasphemet coram pluribus ſupra quatuor : Graff. Quart. & alii.

II. *Exercentes peccatum Sodomiæ, vel cum Brutis coeuntes; ita tamen, ut in his luxuriæ caſibus tantum maſculi comprehendantur.*

Nota primo, *Exercentes, &c.* Tria requiruntur ad hunc caſum, exercitium, ſodomia perfecta, & perſona ejusdem ſexus : hinc primo, Non incurrit, qui ſemel, aut bis, aut ter ſodomiam commiſit, ſed in quarta, aut quinta, &c. quia ſic dicitur eam exercere : Dian. p. 2. t. 12. r. 65. & alii; modo non fuerint antecedentes per confeſſionem retractatæ, ut addit Quarti : Secundo, Non incurrit, qui non conſummat in vaſe præpoſtero, quia nondum eſt ſodomia perfecta : Doctores communiter : ſi autem conſummat, probabiliter ſolum incurrit agens, quippe dicitur ſodomita; patiens enim dicitur tantum mollis : Cajet. Quart. & alii, quamvis Tamb. probabile etiam putet oppoſitum : Tertio, Probabiliter non incurrit mas, ſi abutatur vaſe præpoſtero feminæ, quia proprie non ſodomiam, ſed peccatum contra naturam committit : Quart. & alii communius contra alios; incurrit vero mas, ſi conſummet in vaſe præpoſtero maris, quia ſodomia proprie eſt copula carnalis perſonarum ejusdem ſexus : feminæ autem non incurrunt, ut ex. preſſe ait textus. Secundo, *Vel cum Brutis, &c.* Ad hunc alium caſum ſufficit unum peccatum beſtialitatis, quia non requiritur exercitium ex textu; debet tamen conſummari intra vas, ut ait Tamb. quamvis alii id non requirant. Qui coit cum dæmone, per Arsdech. Quart. & alios incurrit hunc caſum, quia coit cum ſpecie diverſa ab homine; ſed alii cum Tamb. negant, quia non

eſt

est proprie bestialitas. Feminæ neque incurrunt hunc casum, ut patet ex text.

III. *Confessarii omnes, etiam Curati, ad obscœna quaslibet personas sibi frequenter confitentes, licet non immediate post, vel ante Confessionem, inducentes, seu sollicitantes, vel cum iis quomodolibet impudice tractantes.*

Nota primo, *Confessarii.* Hoc est Sacerdotes habentes jurisdictionem, & approbationem, etiamsi ex solo errore communi, & titulo colorato; non vero simplices Sacerdotes, licet fingant se Confessarios. Simplex Sacerdos, qui frequenter feminam in mortis articulo in confessione audivit, si illam eo tempore sollicitet, incurrit hunc casum reservatum, ita ut absolvi nequeat, nisi ab habente facultatem; quia vere sollicitavit, dum erat Confessarius; secus, si elapso mortis articulo sollicitet. Idem dic de Confessario, qui, dum talis erat, sollicitavit, & postea amittit jurisdictionem. Secundo, *Frequenter.* Quot actus ad frequentiam requirantur, prudentis arbitrio definiendum, spectatis circumstantiis, tum rei, de qua agitur, tum temporis, intra quod agitur. Sanch. ait, frequenter fieri, quod semel in mense fit, vel quod ter fit tribus diebus continuis. Tertio, *Vel cum iis quomodolibet, &c.* Hinc incurrit Confessarius, licet non ipse inducat, sed inducenti consentiat.

IV. *Medici, qui visitantes in lecto infirmos post tres dies à visitatione non curaverint, ut prædicti infirmi peccata sua idoneo Confessario confiteantur, aut alias non deseruerint, secundum terminos Constit. S. Pii V. & Innocent. XI.*

Quomodo obliget hæc Bulla, juxta usum receptum, vide dicta disp. 1. q. 1. a. 2. in fine, nihil ergo hic restat addendum.

V. *Debitores quorumlibet piorum locorum, sive eorumdem debitorum administratores, si intra mensem, etiam extrajudicialiter, requisiti à Rectoribus, Procuratoribus, seu Administratoribus dictorum locorum, redditus, & census non solverint.*

Nota: *Debitores &c.* dummodo physice, & moraliter possint; quia impossibilium non est obligatio: puta, si non possis, nisi cadendo cum dedecore à statu juste acquisito, vel nisi cum damno longe majori eo, quod patitur creditor; vel cum damno famæ, honoris, & similium bonorum superioris ordinis pecunia: Doctores communiter; si autem potes intra mensem, & culpabiliter reddis te impotentem in fine mensis, incurris; quia es

causa voluntaria prævisæ impotentiæ. Mensem hic computandum mathematice à momento ad momentum, putat Quart. quia est tempus à lege determinatum, ex *l. Deniq. ff. de Minoribus:* sic etiam computatur annus Novitiatus, ex Trid. & tempus Paschale pro præcepto Communionis, & dies jejunii, Horarum Canonicarum, &c. Sed probabile etiam est, si in casu differas duos, vel tres dies, non incurrere; quia modica non veniunt in considerationem, ex cap. *Coram dilecto, ff. de Off. Delegat.* & ratio est, quia in materia restitutionis dilatio trium dierum censetur modica apud Sayr. l. 10. tr. 5. c. 5. Sic etiam lex jubens Superioribus Regularium, ut tali mense, tali die curent legi Constitutiones Pontificias, &c. permittit, si curent legi intra decem dies sequentes, ex Declar. S. Congreg. Quarti probabiliter etiam putat, incurri hunc casum à debitoribus pecuniæ mutuo acceptæ, vel rerum mobilium, ut sunt vasa, paramenta, &c. quia finis hujus statuti est consulere indemnitati piorum locorum; sed in textu solum exprimuntur debitores *Redditnum, & Censuum.*

VI. *Non absolvantur Concubinarii, & Concubinæ, etiamsi excommunicationis sententia in eos lata non fuerit, nisi, facta reali separatione, & thori, & domus, per duos se menses continuerint: vel, nisi certo, aut valde probabiliter constet, factos physice, vel moraliter impotentes ad reincidendum, aut paulo post esse inter se matrimonium contracturos.*

Nota primo, *Non absolvantur Concubinarii, &c.* Hæc non est mera admonitio, sed vera reservatio; est autem Concubinarius, *Qui frequenter habet copulam cum eadem femina, cum animo retinendi illam, tanquam suo usui mancipatam:* Doctores communiter ex *l. Penult. ff. de Concubin.* Ad inducendam hanc frequentiam, Graff. Diaz, & alii requirunt copulas ad minus quatuor: alii requirunt quinque: utrique probabiliter. Cæterum, si quis pluries etiam supra quinque copulam habuit cum eadem femina, sed absque animo retinendi illam, ut suam, non dicitur Concubinarius, neque adeo incurrit hunc casum; quia deest animus retinendi, &c. incurrit autem, si habeat talem animum, sive eam retineat domi suæ, sive in aliena: Doctores communiter. Si filiusfamilias frequenter copulam habeat cum serva etiam cum animo perseverandi, quamdiu ea domi patris sui manserit, non est concubinarius, neque incurrit hunc casum; quia non ipse eam retinet

retinet tanquam suo usui mancipatam: Verricel. Quart. & alii. An autem negari ei debeat absolutio ratione occasionis proximæ, dicemus infra q. 4. Si quis retineat feminam ad deosculandum. & ad similes tactus carnales, secluſa copula, neque est concubinarius, neque incurrit hunc casum; quia requiritur copula: Quart. & alii communiter: secus, si ad eam sodomitice cognoscendam, quia reservatio extenditur ad casus atrociores ejusdem generis: Doctores communiter: quod etiam aliqui extendunt, si ad se cum ea molliter polluendum, quia pollutio extra vas naturale est etiam atrocior. Cæterum non incurrit, qui retinet masculum ad se cum eo polluendum; si autem ad eum sodomitice cognoscendum, incurrit casum secundum hujus §. Secundo, *Nisi facta reali, &c.* Cessat hæc reservatio, ita ut concubinarius absolvi possit à quovis Confessario, si duobus mensibus à reali separatione thori, & domus se continuerit; vel si valde probabiliter constet moralis impotentia reincidendi, cum scilicet ob ægritudinem, senectutem, deformitatem, aut aliunde cessavit periculum: Pal. & alii apud Dian. pag. 2. tr. 16. r. 45. vel demum, si paulo post eam ducat in uxorem, scilicet intra tres dies ad summum; quod enim intra triduum fit, dicitur fieri quamprimum, & continuo, ex l. fin. cap. *de Judicis.*

VII. *Omnes utriusque sexus, qui à Dominica Palmarum usque ad diem Ascensionis Domini inclusive, Paschalis Communionis præcepto in Cathedrali, vel propria Parochia non satisfecerint, Interdicti pœnam ex cap.* Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss. *ipso facto incurrunt, à Nobis, sive facultatem à reservatis absolvendi a Nobis, vel Vicario nostro Generali habentibus, tantummodo relaxandum, dummodo non fuerint nominatim denunciati.*

Nota, quod C. *Omnis, &c.* minatur interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & ab Ecclesiastica sepultura; sed in hac Diœcesi id incurritur ipso facto ab iis, qui non satisfecerint præcepto communionis Paschalis, vel non communicando in Cathedrali, aut in Parochia propria, etiamsi alibi communicent; vel ibi tantum communicando sacrilege, cum sic neque satisfaciant præcepto, ex alibi cit. Prop. 55. damnata ab Inn. XI. secus, si ibi suscipiant Sacramentum communionis validum, sed informe, v. g. invincibiliter obliti mortalis commissi, vel cum confessione putata valida: Suar. Con. Gran. contra Valq. Si autem

ultimo

ultimo die superveniat impedimentum non præviſum, non incurrunt, ſi poſtea, quam primum poterunt, intra triduum communicent; incurrunt vero, ſi prævidentes tale impedimentum non antea communicaverint, juxta dicta d. 1. q. 1. cap. 3. Qui incurrit hoc interdictum, peccat graviter, ſi ingrediatur Eccleſiam, quando in ea celebrantur divina officia; ſecus vero, quando hæc in ea non celebrantur, vel ſi hæc audiat in Oratorio privato, juxta dicenda de Cenſur.; imo neque peccat, ſi vocatus inſerviat Miſſæ in Eccleſia, quia non ſe ingerit, ex Concil. Conſt. ex quo neque videtur eſſe privatus Eccleſiaſtica ſepultura, niſi fuerit nominatim denunciatus. Cæterum non poteſt recipere Sacramentum Pœnitentiæ, aut Communionis, niſi prius abſolvatur à tali interdicto, utpote ſpeciali perſonali; & hæc abſolutio reſervata eſt in hac Diœceſi.

Additur in fine Tabellæ: Primo, Nullum ex prædictis caſibus, & cenſuris incurri ab iis, qui 14. annum nondum expleverint; quod verum eſt juxta Dian. p. 10. tr. 14. r. 49. etiam in dubio, an quis expleverit 14. annum, qui proinde abſolvi poteſt ab his caſibus per quemvis Confeſſarium, etiamſi confeſſio fiat poſt 14. annum: Secundo, In generali conceſſione facultatis abſolvendi ab his caſibus, & cenſuris, nunquam intelligi caſum 5. §. antecedentis de locutione de obſcœnis cum Monialibus, &c. nec intelligi caſum, *Invitationum ad Eccleſias Monialium, & Regularium*, nec caſum, *Expenſarum factarum à Monialibus, aliisque in Monaſteriis, Conſervatoriis, Collegiis, Domibusque Oblatarum degentibus, ratione officii, in quibuscunque functionibus, aut feſtivitatibus*: Tertio, Nullum ex Confeſſariis, quibus quomodolibet conceſſum fuerit à reſervatis abſolvere, etiam Pœnitentiariis, ſubdelegare valide poſſe alium quemcunque Confeſſarium, neque ad unum tantum reſervatum, ſive ad nudum miniſterium. Quarto, Nulli ex Confeſſariis facultatem in reſervata habentibus, vel Pœnitentiariis, licere quempiam à cenſuris abſolvere, niſi audita integra confeſſione eundem abſolvat etiam ſacramentaliter: imo nullum poſſe abſolvere tantum à reſervatis, ſeu reſervationem auferre remittendo abſolutionem non reſervatorum ad ſimplicem Confeſſarium; ſi ſecus fiat, abſolutionem à reſervatione, & illicitam, & irritam eſſe. Quinto, Confeſſarios poſſe abſolvere ab aliis cenſuris, ſive ex ſynodo, ſive ex conſuetudine reſer-

reservatis huic Archiepiscopo: qua in re addunt Comitol. Homob. Pelliz. & alii, hoc ipso, quod Episcopus non proponit in tabella aliquos casus reservatos in Synodis, censeri tribuere generalem facultatem absolvendi ab illis; quia, si voluisset eos sibi reservare exposuisset in tabella. Demum noto, ex Chapeavil. apud Croix num. 1634. manere reservationem casuum expositorum in tabella, quamvis moriatur Episcopus, qui reservavit, quousque Successor non revocet; est enim per modum statuti perpetui: secus vero dicendum de reservatione facta tanquam ab homine. Noto insuper, quod. si Episcopus edat novum catalogum casuum reservatorum, in quo aliquem prioris tabellæ omittat, hunc etiam ante commissum desinere esse reservatum, non tamen desinere excommunicationem per illum jam incursam: contra vero, si Episcopus addat novum casum, cui etiam adnectat excommunicationem, qui hunc antea commiserat, non ligabitur ea excommunicatione, quia hæc non imponitur, nisi peccatis committendis; ligabitur tamen reservatione ex Bordon. Averf. & aliis apud Croix num. 1634. quia ablata est jam jurisdictio respectu illius; quamvis alii probabiliter aliter sentiant

CAPUT III.

De Casibus specialiter reservatis in Ordinibus Religiosis.

Præter casus Papales, quibus etiam subjacent Religiosi, Clem. VIII. ann. 1593. concessit Superioribus Regularium, ut possint sibi reservare 11. casus, quos ipsemet exprimit in Bulla, aut omnes, aut eorum aliquos, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverint: &, si quod aliud peccatum grave, præter 11. pro Religionis conservatione, aut pro Conscientiæ puritate reservandum videatur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, vel Provincialis in Provincia, matura discussione, & consensu. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab ejusmodi perpetrandis cohibere possint. Hactenus ex Clem. VIII. quod confirmavit Urb. VIII. Venio jam ad casus Bullæ Clement. VIII. qui

qui undecim numerantur, quosque undecim numeris hic breviter absolvam.

I. *Veneficia, Incantationes, sortilegia.*

Nota: *Veneficia*, etsi non habeant magicum quid conjunctum, modo venenum propinetur, etiamsi mors non sit secuta: Fagund. Portel. Homob. Bass. & alii. *Incantatores*, sive tacite, sive expresse invocato dæmone; & in hunc casum incidit etiam, qui incantatoris opera utitur: Doctores cit. *Sortilegia*, etiam sine pacto expresso; item, qui sortilegos consulit, eorum opera utitur; item divinatio; item astrologia judiciaria: Coriolan. contra Cours. apud Bass.

II. *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.*

Nota, *Apostasia, &c.* Si animo apostatandi dimisso habitu tentes egredi extra septa, nec potes, non incurris hunc casum; incidis tamen in excommunicationem, cap. *Ut periculosa, ne Cler. vel Monach. in* 6. ob temerariam habitus dimissionem. Si animo apostatandi exeas, sed statim redeas, peccas mortaliter, tamen non incurris hunc casum, quia peccatum non est exterius consummatum in ratione apostasiæ, cum non dicatur rigorose recessus: Navarr. Graf. Bon. Bordon. Bass. & alii. Si apostates è domo, vel loco, ubi Fratres morantur, dum fabricatur Monasterium, vel è domo alicujus secularis, incurris hunc casum; quia talis fuga est desertio Instituti animo non redeundi: Cours. Bass. & alii: secus, si desit hic animus, qui requiritur essentialiter ad apostasiam.

III. *Nocturna, & furtiva è Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.*

Nota, *Nocturna, &c.* Si fiat in crepusculo diei, Coriolan. dicit, non incurri hunc casum, Cours. dicit, incurri; in dubio censendum factam de die etiam pro foro externo, ut sic pœna mitigetur: Bassæus. *Et furtiva*, hoc est sine licentia Superioris, etiamsi alii sciant, ut addit Cours. contra Coriol. & March. quia fit invito Superiore; imo, etiamsi Prælatus indebite consenserit, quia licentia est nulla, ut addit Suar. Idem est, si ipse Prælatus egrediatur, quia contra regulam, & suum Superiorem majorem: Suar. Cours. Bass. & alii. Parvitas tamen

tamen temporis excusat juxta jam dicta; in Religione tamen observanti non excusat quadrans: Bordon.

IV. *Proprietas contra votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

Nota: *Proprietas, &c.* qua scilicet Religiosus tenet aliquid contra voluntatem expressam, vel probabiliter præsumptam Superioris, & Domini. Qui autem accipit, aut tenet absque licentia, sed cum dependentia à voluntate Superioris, non est proprietarius, nec incurrit hunc casum, etsi peccet graviter. Quantitas rei est, quæ sufficeret in seculari ad furtum mortale; addit tamen Marchant. ut ex circumstantiis loci, Monasterii, abundantiæ regionis, consuetudinis, &c. major etiam quantitas proprietatem non faciat; habenda est etiam ratio rerum unico usu consumptibilium, in quibus quandoque plus displicet Superiori modus, quam res; quod si etiam res displiceat, adhuc quantitas debet esse major, cum hujusmodi res sit frequenter objectum liberalis donationis, & oblationis: v. Bass. v. hic *cas.* 8.

V. *Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.*

Nota: *Juramentum, &c.* quando scilicet juridice, ac legitime interrogaris à Superiore, sive ut reus, sive ut testis; secus vero, si pejeres in judicio non legitimo, vel circa aliquid, de quo non interrogeris: Suar. t. 4. *de Relig.* l. 2. c. 8. n. 7. neque, si ex conscientia erronea putes, te pejerare, quia actus externus non est perjurium: Suar. contra Fagund. quando autem testis, vel reus teneatur fateri, dictum est q. anteced.

VI. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

Nota: *Procuratio, &c.* ex intentione scilicet abortus animati; requiritur tamen, ut sit applicata v. g. potio, &c. etiamsi abortus non sequatur. Hinc non incurris hunc casum, si ex alio fine percutias prægnantem, ex quo per accidens sequatur abortus; neque si des auxilium, vel consilium, & illa non applicet; neque, si dubitans de animatione fœtus, procures abortum, quem non procurares, si probabiliter scires, esse animatum, quia ex intentione non lædis fœtum animatum: Bordon. q. 7. Mandans autem comprehenditur sub voce illa, *Procuratio:* Bordon. Bass.

VII.

VII. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterii, aut Conventus.*

Nota: *Falsificatio, &c.* Fit hæc imitatione manus, vel si aliquid eorum litteris addatur, aut detrahatur, quo sensus ab eis intentus mutetur; similiter, si eorum sigillum applices litteris falsis, vel aliud simile effingas, eoque utaris. Si autem fureris eorum sigillum, aut aliud effingas, animo signandi scripturam, sed postea non signes, non incurris, quia proprie non habetur falsificatio, quæ respicit litteras signatas: Suar. l. 8. c. 18. n. 7. Neque, si signes epistolam continentem materiam levem, & animo non inferendi damnum: Suar. ib.

VIII. *Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

Nota: *Furtum, &c.* & similiter detentio, & usus rei, invito Superiore, & res Monasterii est etiam, quæ ad usum particularium est assignata: unde incurrit hunc casum, qui furatur, aut detinet scripta aliorum Religiosorum sui Monasterii, ut transcribat, & postea restituat, modo supponatur alter rationabiliter invitus: Bassæus. Addit Cours. talem furem incurrere etiam excommunicationem reservatam Papæ contra occupantes bona Ecclesiarum, quod probabile reputat Bost. Quantitas saltem quatuor argenteorum sufficit; & quandoque minor, juxta occurrentes circumstantias; modo non sit in comestibilibus: Suar. l. 8. *Relig.* c. 21. n. 40. & 41. Ait Sanch. l. 7. *Dec.* c. 20. num. 3. Opinionem unius Recentioris exigentis quantitatem requisitam ad furtum filiorum probabilem non esse, cum Instituti ratio, vox ipsa Superioris, & demum omnia jura prohibeant ejusmodi furta. Quamvis Tamb. l. 8. Decal. t. 2. c. 4. a n. 6. alleget Rebel. Ledes. Cened. & Caram. in oppositum: v. tamen Lug. *de Just.* d. 3. a n. 172.

IX. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.*

Nota: *Lapsus, &c.* significat seminis emissionem; imo etiam distillationem, quæ est vera seminis effusio, ut addit Gob. contra Dian. Dicitur autem *Voluntarius*, si voluntas volendo influat in illum; quale non est desiderium seminationis nocturnæ ob sanitatem, quia non peccas, juxta dicta d. 1. q. 2. Si proveniat ex sola delectatione interna absque omni actu externo, Coriolan. & alii apud Dian. p. 4. t. 4. r. 41. putant, non esse casum hic reservatum, quia requiritur, ut opere externo consummetur; sed absolute tenendum oppositum cum D. Th. Suar.

Suar. Sylv. Gob. & aliis, quia, quoties peccatum pervenit ad pollutionem, est in sua specie opere consummatum. Si seminatio sequatur ex nimio potu, & crapula, vel ex actu externo venialiter tantum libidinoso, qui scilicet leviter ex natura sua ad libidinem provocat, qualis est aspectus solius faciei, vel personæ decenter vestitæ, non incurri hunc casum censent Bass. & alii, quia non est lapsus carnis externo opere graviter libidinoso consummatus; sed si intentio libidinosa sit graviter prava, ex qua sequatur pollutio dicendum oppositum, ut supra; præsertim, si sit aspectus verendorum aliarumve partium graviter ad libidinem allicientium, ut docent communiter.

X. *Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ.*

Nota: *Occisio, &c.* etiamsi fiat per alium, juvando, ministrando instrumenta, &c. Bassæus. Dicitur autem percussio gravis, quæ conjuncta est cum gravi læsione, vel injuria, ex cap. *Si quis suadente.* Ut vero incurratur hic casus, debet id fieri pravo animo; non ergo incurris, si lædas coactus metu gravi, licet graviter tunc pecces: Floron. Bass. incurris autem, si pravo animo lædas consentientem, quia hic non est Dominus membrorum suorum; & similiter, si pravo animo lædas teipsum, quia es persona: Bass.

XI. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad Inferiores, aut ab Inferioribus ad Superiores.*

Nota: *Malitiosum, &c.* hoc est ex intentione impediendi effectum literarum, juxta Suar. l. 2. c. 18. n. 13. vel ex intentione mali, sive positivi, sive privativi, sive Superiorum, sive subditorum, juxta Bass. Incurris hunc casum, etiamsi aperiri facias ab alio, ut legat, etsi non legeret; item, etiamsi Superior ille non sit tuus Superior, cum satis sit, si sit Superior ejus, ad quem scribit. Non vero, si legas absque eo, quod aperias; vel si aperias cum tacito mittentis consensu, aut bona fide sperando in ratihabitione ejus, cui mittuntur; neque, si detineas, retardes, aperias, aut etiam comburas, probabiliter timens, in his contineri injustum aliquod malum, quia uteris defensione naturali: Fagund. Portel. Bass. & alii: secus vero, si malum sit justum, & tibi debitum, quia sic malo animo impedis actum justitiæ, Molin & alii.

QUÆSTIO IV.

De Absolutione Sacramentali.

ABSOLUTIO Sacramentalis peccatorum est *Forma, in qua præcipue est vis hujus Sacramenti*, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 3. & differt ab absolutione à censuris, quia hæc est extra sacramentalis, & tantum absolvit à pœnis Ecclesiasticis. Videndum, in quo consistat, quando, & quomodo danda sit, vel iteranda, & num aliquando neganda, vel differenda?

CAPUT I.

In quo consistat Absolutio Sacramentalis?

DICO primo: Absolutio Sacramentalis essentialiter consistit in verbis formalibus: Doctores communissime, ita ut Suar. dicat, esse certum; Lug. Arr. Averss. & alii dicant, oppositum esse errorem, vel hæresim. Ratio deducitur ex Traditione, & perpetuo usu Ecclesiæ: unde Florent. in Decr. Eug. ad Armen. docet, Formam hujus Sacramenti esse *Verba absolutionis, quæ Sacerdos profert;* & Trid. cit. *In illis Ministri verbis positam esse.* Neque obstat, quod absolutio à censuris dari possit scripto, aut etiam signo, & tantum nutu saltem à Pontifice. Nam hæc non est Sacramentalis, & est ex institutione Ecclesiæ; at absolutio à peccatis est Sacramentalis, & ex institutione Christi dari tantum potest verbis formalibus, ut constat ex Traditione, & Conc. cit. Hinc Sacerdos mutus, etsi in articulo mortis absolvere possit nutu, aut signo à censuris; at nullatenus absolvere potest à peccatis, ut docent communissime contra Joann. Pont. apud Dian. pag. 1. tract. 6. r. 14.

Infers primo, non solum illicitam, sed invalidam esse absolutionem Sacramentalem datam absenti; quia nemo in absentem uti potest verbis formalibus. Hinc Clem. VIII. ann. 1602. Constit. 87. damnavit, ut falsam, temerariam, & scandalosam hanc Prop. *Licet per litteras, aut internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Sacramentaliter absolvi.* Additque excommunicationem reservatam in eos,

eos, qui illam in aliquo sensu tamquam probabilem defendunt, aut in praxim quovis modo deducunt: atqui, si talis absolutio posset esse unquam valida, Pontifex non posset eam prohibere in omni casu; cum jure Divino, ac naturali fuisset licita in casu extremæ necessitatis pro moribundo absenti: ergo dicendum, esse omnino invalidam. Et, quamvis multi cum Palud. D. Anton. Sot. Med. & aliis antea dixerint tunc posse, tamen in Ecclesia nunquam fuit positum in praxi. Quod autem fertur de D. Th. Cantuar. de D. Cypr. & cap. *Qualis* 30. *q.* 5. intelligitur de absolutione à censuris, vel testimonio resipiscentiæ.

Infers secundo, Ad valorem absolutionis Sacramentalis essentialiter requiri præsentiam moralem, hoc est, ut tam parum distet pœnitens, ut, quamvis non sit necessarium audire verba absolutionis, posset tamen audire confessarium absolventem voce communi etiam aliquanto altiore, qua scilicet uti solet Judex pronuncians in Curia sententiam contra reum, quia sic verificatur loqui formaliter, & particula *Te* directa ad præsentem. Quod maxime valet in absolutione, quæ datur pluribus simul in casu Prælii, Terræmotus; &c. dicendo, *Absolvo Vos*, &c. tot enim tunc absolvuntur, ad quot pertingere posset vox loquentis ad præsentem, & verificari ly *Te*: ordinarie tamen expedit absolvere voce submissa, ne circumstantes advertere possint, quando negatur: Croix num. 652. Hinc Gob. t. 7. num. 288. ait, se, si aliter commode nequeat, sine scrupulo absoluturum eum, qui adhuc est intra cancellos Confessionalis, non jubendo iterum genuflectere. Et Bon. Lug. Tamb. & alii dicunt, si non posset commode vocari, adhuc absolvi posse pœnitentem abeuntem à Confessionali, & aliis vicinis permixtum, quia adhuc est moraliter præsens. At nimis laxum est, quod addunt Bon. Leand. Moy. & alii, sufficere, quousque Confessarius aliquo sensu percipere possit pœnitentem, etiamsi distet ad 20. passus, ut addit Molf. nam certum est, me posse videre simpliciter absentem, quin possim absolvere, & verificare particulam *Te*: Tamb. & alii. A fortiori rejicitur communiter Leand. dicens, Sacerdotem, modo videat domum moribundi, posse illum absolvere: nam sic nullo sensu illum percipit, nec ullo pacto dici potest simpliciter præsens: Tamb. Gob. & alii communiter.

Dico secundo: Ad essentiam absolutionis Sacramentalis non videntur sufficere hæc tantum verba *Absolvo te*, ut probabiliter docent D. Th. D. Anton. Suar. & alii communiter ex Catech. Rom. sed requiritnr insuper *A peccatis;* ut probabilius docent Gabr. Lug. Avers. Arr. Palud. Major. Pasqual. Martinon. Gorm. & alii. Ratio est, quia Christus instituens hoc Sacramentum Joan. 20. expresse ait, *Quorum remiseritis peccata:* sicut ergo, quia dixit *Quorum*, exprimendum est *Te;* ita, quia dixit *peccata*, exprimendum est, *A peccatis.* Idque est verum, etiamsi pœnitens unicum habeat peccatum post baptismum; quia ex communi modo loquendi sæpe ponitur plurale pro singulari; ideoque nec in Rit. Rom. ponitur necessario ly *Ab omnibus*, sed tantum *A peccatis.*

Objicies: Dum Confessarius dicit pœnitenti, *Absolvo Te*, ex circumstantiis confessionis factæ, & simul ex intentione Confessarii sufficienter determinantur hæc verba ad significandam absolutionem à peccatis: ergo non requiritur essentialiter, ut expresse dicatur *A peccatis.*

Respondeo, nego consequentiam. Christus enim pro forma absolutionis Sacramentalis assumpsit solum verba, ut à Sacerdote prolata, ac per se ipsa determinate significantia absolutionem pœnitentis præsentis à peccatis, & non mere determinata ex circumstantiis: aliter sufficeret etiam, si Confessarius digito demonstrans pœnitentem præsentem, & confessum, dicat tantum, *Absolvo;* cum ex circumstantiis etiam pateat, velle eum absolvere à peccatis, quod tamen communiter rejicitur contra Sot. male in hoc audientem, teste Avers.

Infers primo, Non requiri essentialiter ly *Ego*, & ly *Tuis;* quia primum sufficienter exprimitur per personam primam verbi *Absolvo*, secundum per primitivum secundæ personæ *Te;* peccat tamen Confessarius hæc omittens contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ; venialiter tamen, quia parum notabilis est hæc mutatio; mortaliter vero peccat, si omittens ly *Te*, dicat *Absolvo à peccatis tuis*, quia valde notabilis est mutatio; etsi valeat ea absolutio, cum ly *Te* includatur in ly *Tuis:* Croix à num. 639. Item venialiter peccat, si pro ly *Te* dicat *Dominationem*, *Excellentiam*, *Majestatem tuam*, *&c.* Et similiter, si absque necessitate absolvat simul plures, dicendo *Vos*, *&c.* Henr. Val. Reg. & alii contra Scot. Gabr. Con. dicentes, in hoc peccari mortaliter: item

item venialiter peccat, si sciens latino, absolvat vulgari idiomate: Vasq. Dicast. & alii.

Infers secundo, Quod, quamvis Christus in institutione hujus Sacramenti dixerit *Remiseritis*, tamen Ecclesia ex traditione merito utitur synonymo, *Absolvo*, ad significandam sententiam judicialem Confessarii contra Hæreticos damnatos à Trid *sess.* 14. *cap.* 6. *can.* 9. dicentes, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi, remissa esse peccata. Imo, etsi peccata pœnitentis fuerint ante remissa à Deo per contritionem, adhuc tamen Confessarius vere dicit *Absolvo*, etsi nihil tunc sit absolvendum, quia verba absolutionis Sacramentalis ex humana institutione habent hunc sensum; *Quantum est ex me, judicialiter libero te à peccatis*; & rursus in institutione Christi habent hunc alium sensum: *Quantum ex me est, confero tibi gratiam per se remissivam peccatorum*, adeoque, quæ remitteret. si non inveniret jam remissa: & revera Deus per infusionem novæ gratiæ iterum cedit jure ad odium peccatoris: Croix, & alii. Cæterum valet absolutio, si dicas, *Remitto, Condono, Solvo, Libero te à peccatis*, quia sunt synonima; peccas tamen saltem venialiter contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ: si autem dicas, *Mundo te à peccatis*, est adeo notabilis mutatio, ut sit dubium de valore, cum nullam habeat speciem judicialis sententiæ; & à fortiori, si dicas modo deprecativo, *O Deus, absolve hunc à peccatis*: D. Th. & alii: idemque ait Lug. contra Arr., si modo imperativo dicas, *Absolvat te Deus à peccatis*. Et Croix num. 639. etiam dubitat de valore, si dicas, *Sis absolutus*, vel *Absolvaris à peccatis*. Valet tamen, si dicas, *Jubeo, volo te absolutum à peccatis; Tu à me absolveris à peccatis, &c.* quia adhuc exprimitur actus judicialis.

Infers tertio, Non requiri ad essentiam absolutionis Sacramentalis ly *In nomine Patris, &c.* Doctores communissime contra Dur. & Aur. quia nullatenus id exprimitur in verbis Christi instituentis hoc Sacramentum; sed tantum in forma baptismi exprimuntur, Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine, &c.* & ratio diversitatis esse potuit, quia baptismus est speciale Sacramentum Fidei; ideoque merito Christus in eo requisi-

vit professionem Dei Unius, & Trini; quæ ratio non militat in Sacramento pœnitentiæ: peccat tamen saltem venialiter Confessarius id omittens contra consuetudinem, & præscriptum Ecclesiæ. Cæterum, si omittat ante confessionem dicere, *Dominus sit in corde tuo, &c.* & ante absolutionem, *Misereatur tui, &c.* & post absolutionem, *Passio Domini nostri, &c.* non peccat, quia dicuntur ex consuetudine libera: Lug. d. 13. num. 9. Ait tamen Gob. num. 161. addendum ly *Passio Domini nostri, &c.* etiam pœnitente recedente; quia per hæc verba probabiliter elevantur omnia opera bona illius ad satisfactionem Sacramentalem, eaque de causa posse minui pœnitentiam, juxta Nav. & Dian. pag. 3. tract. 4. r. 82. Itaque sufficit ex Rit. Rom. incipere, *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, &c. . . . .* & in confessionibus brevibus addere: *Ego absolvo te à censuris, & peccatis tuis in nomine, &c.* & in confessionibus longis, *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis, si sit in Sacris) & Interdicti, &c. Ego absolvo te à peccatis tuis in nomine, &c.* Addit demum Gob. num. 161. si multi adsint pœnitentes, etiam omitti posse ly *Dominus noster, &c.*

Quæres primo, Quomodo danda sit absolutio Sacramentalis?

Respondeo, Servandam esse consuetudinem cujusque loci, & Ecclesiæ, ex Rit. Rom. Quidam absolvunt tecto capite, quo se judices ostendant, ut volebat Sa: quam tamen sententiam expunctam ex ejus libris à Sacris censoribus testatur Raynaud. Mos ergo communis est, ut fiat detecto capite, ut significetur absolvere nomine Christi. Gob. non damnat peccati eum, qui absque scandalo absolvit tectus pileolo plicatili. Item communiter elevantur manus ad verba, *Dominus noster, &c.* & formatur Crux ad verba, *In nomine patris, &c.* quæ tamen omittere per se non est peccatum, ut notat Croix. Nec hodie obligat mos antiquus imponendi manus capiti pœnitentis, ex quo hoc Sacramentum vocabatur *Impositio manuum:* Gob. num. 163. Item Confessarii seculares utuntur superpelliceo, & stola, quando in templo publice absolvunt; & alicubi est eis injunctum sub censura. Item sedendo absolvitur etiam Rex, vel Pontifex, quia tunc confessarius est Judex.

Quoad

Quoad modum internum, danda est absolutio cum debita intentione saltem virtuali; item cum debita attentione, ita ut distractio voluntaria sit saltem grave veniale: Gob. tract. 7. num. 177. Si vero erret circa personam, putans Titium, quem absolvit, esse Cajum, valet; quia intentio saltem virtualis est absolvere præsentem: Doctores communiter. Si absolvat Sacramentaliter coactus metu gravi, adhuc valet, modo metus incussus sit à tertia persona, & pœnitens bona fide accesserit; quia sic nullo jure irritatur. Uti econtra irritatur absolutio à censuris data ex metu, ex cap. *Un. de his, quæ vi.* Denique, si duo Sacerdotes accurrentes ad moribundum absolverent, ita ut singuli habeant hanc intentionem conditionatam, *Si alter non absolvat*, tunc neuter absolvit, quia neutrius purificatur conditio: Suar. d. 23. s. 3. Si autem absolute uterque absolveret, conficerentur duo Sacramenta.

Quæres secundo, An absolutioni Sacramentali præmittenda sit absolutio à censuris?

Respondeo affirmative, Ita ut graviter peccet Sacerdos, si putans, pœnitentem esse excommunicatum, etiamsi excommunicatione minori, absolvat à peccatis, antequam absolvat à censuris; quia Ecclesia graviter prohibet, ne talis ullum recipiat Sacramentum: Suar. & alii communiter. Quare tunc Confessarius teneretur subjungere absolutionem ab excommunicatione, non tamen repeterè absolutionem à peccatis, quia excommunicatio non obstitit Sacramento, quando pœnitens non fuit in culpa: Suar. d. 31. Nav. & alii contra Sancium, & alios. Si autem Confessarius intendens agere, quantum potest, solum protulit absolutionem à peccatis; tunc, si habebat facultatem absolvendi à censura, satis probabile est, etiam absolvisse ab illa, quia in absolutione à peccatis videtur includi etiam ex ea voluntate absolutio ab omni eo, quod è peccato nascitur: Suar. Tamb. & alii: quod præsertim valet, cum pœnitens agit animam, ita ut sit periculum mortis, antequam detur absolutio à peccatis. At, si Confessarius non habebat facultatem super censura, pœnitens ab hac non fuit absolutus, extra articulum mortis; quamvis ob bonam ejus fidem maneat absolutus à peccatis, quæ subjecta erant huic Confessario: Croix num. 1569. Cæterum Suspensio, & Interdictum, cui pœnitens non dedit cau-

sam, ex cap. *Alma Mater*, cum non privent usu passivo hujus Sacramenti, non foret mortale, si absolverentur post absolutionem à peccatis: regulariter tamen absolvi debent ante.

Quæres tertio, Quænam sit forma absolvendi à censuris?

Respondeo, Quamvis sufficiant quæcunque verba, imo etiam signa, & nutus externi cum intentione interna; tamen ex Rit. Rom. sunt sequentes: Primo, Pro foro interno: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis (Suspensionis*, si pœnitens sit in Sacris) *& interdicti, quantum possum, & tu indiges*; Et in brevibus Confessionibus, *Absolvo te à censuris, & peccatis tuis, &c.* juxta jam dicta: quod si ex delegatione ex litteris S. Pœnitentiariæ, aut Episcopi, absolvas in eodem foro, dicas: *Auctoritate SS. Domini nostri Papæ* (vel *RR. Episcopi*) *mihi concessa, absolvo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi* (vel *incurrisse declaratus es*) *propter tale factum* (vel *Causam*) *& restituo te communioni, & unioni Fidelium, & Sacramentis Ecclesiæ, in nomine, &c.* Si vero agatur de Irregularitate in eodem foro, dicatur post absolutionem à censuris: *Eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate, in quam ob talem causam* (hanc nominando) *incurristi, & habilem reddo, & restituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum, in nomine, &c.* At, si detur absolutio à censuris publice, & pro foro externo, sunt plures cæremoniæ servandæ, ut habetur in Rit. Rom.

Quæres demum, quomodo exequendæ sint litteræ S. Pœnitentiariæ pro absolutione à Censuris, &c.

Respondeo, De hoc actum esse in Tract. de Legib. dis. 4. quæst. 3. c. 1. ex quibus solum noto primo, Si dicat, ut absolvas ab omnibus reservationibus, & censuris, *Quas propter præmissa quomodolibet incurrerit*, Krimer ait, etiam posse absolvere ab iis, quæ non ex peccato, ob quod dispensatur, sed aliunde proveniant, quia Pontifex tacite vult removeri, quidquid dispensationem impediat: arg. c. *Præterea, de off. & potest. Jud. Del.* sed contradicit Croix, quia dispensatio non trahitur ad disparata. Secundo, si pœnitens nolit secum dispensari, aut non posset ex defectu alicujus conditionis, &c. nec posset absolvi à Censuris, &c. quia additur ibi, *Ad effectum con-*

concessæ gratiæ. Tertio, Si dispensatio danda esset saltem post duos, aut tres annos, posset etiam nunc absolvi in ordine ad illam tunc ab eodem accipiendam; Lugo, Gob. num. 199. & sic, etiamsi interim relabatur in easdem censuras, &c. quamvis dicatur, *Hac vice absolvas*; quia durat hæc potestas, quamdiu ex rationabili causa durat executio dispensationis, quæ est ejus finis: Gob. num. 204. Quarto, Si dicat, ut injungatur *Gravis pœnitentia*, & pœnitens antea confessus proportionatam pœnitentiam accepit, aut lucratus est Indulgentias, aut accedat cum magna contritione, gravis pœnitentia mutari potest in levem: Gob. n. 208. Secus vero, si ibidem determinetur in specie, ut si dicat, *Confessionem unam singulis mensibus*, hæc durabit tota vita, etsi poterit eadem confessione menstrua satisfieri alii obligationi.

CAPUT II.

Quando, & Quomodo danda sit, vel iteranda Absolutio?

Confessario, ut licite absolvat, constare moraliter debet, Pœnitentem esse rite dispositum; quia secus exponeret Sacramentum periculo frustrationis: Busemb. & alii communiter. Verum hæc moralis certitudo non est accipienda absolute, sed respective ad pœnitentem, ex quo, si haberi nequeat notitia major, quam probabilis, & aliunde non appareat grave motivum in oppositum, ea erit sufficiens certitudo moralis respectiva. Hoc supposito

Dico primo: Confessarius, qui audivit in confessione peccata Pœnitentis, & prudenter judicat rite dispositum, seque præditum jurisdictione in illum, tenetur sub gravi eum absolvere: Doctores communiter. Ratio est, quia talis Pœnitens per confessionem acquisivit jus ad absolutionem, etiamsi confessus fuerit tantum veniale, cum semper sit jus grave ratione gratiæ acquirendæ per sacramentum: ergo, &c. Hinc absolvi tunc debet absolute, ita ut graviter peccet Confessarius, si eum absolvat conditionate, utpote constat jus absolutum: Lug. d. 17. s. 3. Item per se loquendo absolvi debet statim, ob eandem rationem; ideoque in Jansenistas damnatur ab

Alexand. VIII. hæc Prop. 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* Monent tamen communiter Doctores, aliquando per accidens posse differri tali Pœnitenti absolutionem, si nimirum prudenter judicet Confessarius, eam dilationem redundare in majus ipsius bonum, pro concipiendo scilicet majori horrore peccati, acriori dolore, ac firmiori proposito; sic enim non facit contra ejus jus, sed favet potius, agitque officium boni Medici, prout infirmitas ejus postulat. Cæterum, id ne fiat in articulo, vel periculo mortis, neque in casu necessitatis communicandi ad vitandum scandalum, vel infamiam; neque, si alias diu careret opportunitate confitendi; neque, si alias non posset lucrari indulgentiam; quia sic non esset majus ejus bonum: Lugo ibid.

Dico secundo: Si Confessarius prudenter dubitet de dispositione Pœnitentis, non potest eum absolvere absolute, potest tamen, & aliquando debet eum absolvere conditionate: Doctores communiter. Ratio est, quia, si cum tali dubio absolveret absolute, exponeret Sacramentum periculo frustrationis. Quia tamen aliquando charitas exigit consulere optimo modo saluti talis pœnitentis, ideo aliquando potest, ac debet absolvi sub conditione, per quam etiam providetur reverentiæ debitæ Sacramento: puta in articulo mortis, si prudens sit dubium, utrum vivat, an exspiraverit? Utrum signa, quæ dat, sint contritionis, an morbi, &c. tunc enim omnino debes absolvere sub conditione, *Si capax es, si es dispositus, &c.* idque, etiamsi valde tenuis sit probabilitas, quod vivat, quod sit dispositus, juxta dicta q. 1. c. Similiter pueri, semifatui, aliique, de quibus prudenter dubitas, an habuerint usum rationis sufficientem ad peccandum, an sufficienter doleant, ut oportet, an integre confiteantur, &c. absolvi debent sub conditione in his circumstantiis; nempe tempore Præcepti Paschalis; in casu necessitatis ad vitandum scandalum, aut infamiam; si alias diu carere deberent confessione; &, ut addit Gob. si aliter lucrari non possent indulgentiam. Extra has circumstantias, si afferant materiam de se gravem, & dubium sit, an in ea revera peccaverint, an sufficienter doleant, &c. debent etiam absolvi sub conditione, ne, si forte peccaverint, vivant in peccato: at, si afferant materiam de se levem, & dubium sit, an simpliciter in ea peccaverint, an doleant, &c.

Sporer,

Sporer, & alii dicunt, non posse absolvi, ne sub conditione quidem, quia, cum nulla sit necessitas, fieret injuria Sacramento. Laym. Dian. Dicast. Lug. num. 22. dicunt posse, tum ne priventur gratia Sacramenti, tum ne, si forte habeant mortale occultum, vivant in eo statu. Cæterum, si nullum afferant materiam, vel nulla sit, ne tenuis quidem, probabilitas dispositionis, non possunt ne in articulo quidem mortis absolvi sub conditione, juxta dicta q. 1. c. nuper cit.

Quæres primo, An, quando absolutio datur sub conditione, debeat hæc exprimi verbis?

Respondeo probabilius negative; quia conditio, etiamsi mente tantum sit apposita, adhuc reddit absolutionem conditionatam, cum absolutio secundum sensum à Christo intentum tacite involvat conditionem hic & nunc necessariam, juxta valorem Sacramenti: Con. Less. Dicast. & alii contra Caramuel. & Haunold. dicentem, regulariter fore peccatum, si non exprimatur. Addunt Croix Pal. Gorm. & alii, sæpissime non expedire, ut exprimatur, præsertim si prævideatur offensio pœnitentis. Addit Gob. t. 7. n. 271. sufficere, si conditio habeatur implicite in mente Confessarii, qua scilicet vult audire confessiones secundum institutionem Christi, & intentionem Ecclesiæ. Cæterum, si in casu necessitatis ad vitandum scandalum, &c. absolvas sub hac conditione, *Si habeo facultatem ad reservata*, de qua prudenter dubitas, debes id manifestare pœnitenti, ut postea videatur, an teneatur adire Superiorem pro illis. Denique, si absolvas sub conditione de futuro, puta *Si restituet, &c.* peccas mortaliter, quia, cum nequeat suspendi Sacramentum, esset simpliciter nullum. Si autem absolvas sub conditione de præsenti, sed omnino extrinseca Sacramento, puta, *Si est vir nobilis, &c.* peccas quidem, sed valet Sacramentum, si ille revera sit talis.

Quæres secundo, An aliquando iteranda sit absolutio?

Respondeo, Esse ex genere suo sacrilegium mortale iterare absolutionem eorundem omnino peccatorum in eadem confessione; quia secunda absolutio est irrita ex defectu novæ materiæ, scilicet novi peccati, vel novi doloris: Bonac Gob. t. 7. num. 171. Si vero pœnitens statim post absolutionem addat nova venialia, vel circumstantias non notabiliter aggravantes, non est necesse iterum

iterum absolvere; si tamen absolvas, expedit id facere submissa voce, nec formata cruce (uti etiam fieri debet, si afferat novum mortale) ne scilicet Circumstantes suspicentur attulisse aliquod grave: Croix n. 644. At, si rationabiliter dubites, an absolveris pœnitentem, an protuleris verba essentialia, an cum debita intentione, &c. teneris (& quidem sub gravi, si pœnitens confessus sit mortalia; si venialia, & sit innocens anima, probabiliter sub levi: Gob. t. 7. n. 171.) iterum absolvere sub conditione mente concepta, *Si antea non absolvi, si prior non fuit valida, &c.* Quod, si pœnitens surrexit à confessionario, potes eum discedentem submissa voce absolvere, modo adhuc sit moraliter præsens, juxta dicta c. 1. Imo etiam poteris multo post, si videas, eum petere communionem, quia adhuc censetur dispositus: Gob. & alii. At, si ille jam abiit, & confessus fuit mortalia; tunc, si est periculum, ne amplius confiteatur (ut esset graviter ægrotus) teneris etiam cum tuo gravi incommodo illum reperire; quia tunc est periculum mortis æternæ illius: Tambur. Lugo, & alii. Si vero tale periculum non sit, sed potius spes, ut iterum confiteatur, non est tanta obligatio; quia in sequenti confessione indirecte absolvetur ab aliis antea non absolutis: Tambur. l. 3. *Conf.* c. 8. num. 5. Quare, si iterum redeat ad confitendum, excita in eo dolorem de omnibus tibi confessis, & absolve, tacito tuo priori defectu; si non redeat, debes, si commode potes, invenire, & monere de tuo defectu, petita prius licentia, & probabiliter etiam non petita, imo etiam negata; cum hæc absolutio spectet ad conficiendum Sacramentum inceptum jam, & nondum completum: Suarez, Fil. Hurt. Laym. & alii apud Croix num. 1775.

Quæ dicta sunt, procedunt, quando dubium est rationabile. Nam, si sit leve, an absolveris, necne, &c. Gob. num. 171. dicit, esse mortale, si repetas etiam sub conditione absolutionem, quia moveris ex inani dubio, & imprudenter in materia gravi. Tamb. l. 1. *de Sacr.* c. 1. §. 3. dicit, esse tantum veniale, quia non irrogatur, nisi levis imprudentiæ injuria Sacramento. Croix l. c. ait, plurimos Confessarios in talibus repetitionibus omnino excusari idcirco, quod non apprehendant vanitatem sui scrupuli, aut in eas compingantur angustias, ut apprehendant peccatum sive repetant, sive non repetant;

petant; cum tunc sit minus malum iterare; *Non enim temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis*, inquit S. Leo. Cæterum ex eo, quod protuleris formam distractus, non habes rationabilem causam dubitandi, an revera integre protuleris: similiter, si ob distractionem ignores, an protuleris verba essentialia, sed scias, te dixisse *In nomine Patris, &c.* nisi vero non sis habituatus integre omnia proferre: Gob. n. 176. Si autem sine determinatione, utrum velis absolvere à censuris, an à peccatis, dicas *Absolvo te*, non peccas, si, statim ac te determines, repetas eadem verba, quia probabile est, in his tantum verbis non contineri absolutionem Sacramentalem, & potes inter probabiles sequi tutiorem; uti neque peccas, si non repetens determines voluntatem prosequendo, quia sufficit, si verba absolutionis habeant suam determinatam significationem, quando profertur ultima syllaba: Gob. t. 7. n. 155.

CAPUT III.

An aliquando neganda sit, vel differenda Absolutio?

VIDENDUM I. de ignorante Mysteria Fidei: II. de habente occasionem proximam: III. de Recidivo.

§. I.

Quid de ignorante Mysteria Fidei?

DICO primo: Qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter ignorat hæc duo Mysteria, *Quod unus Deus sit, & quod Remunerator sit*, nullatenus potest absolvi. Ratio est, quia horum fides explicita est necessaria necessitate medii ad justificationem, ex Apost. ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere: quia est, & quod Remunerator sit:* ergo adultus, qui hæc ignorat, non potest justificari per Sacramentum Pœnitentiæ: & consequenter ne in articulo quidem mortis potest absolvi sub conditione, sed debet prius breviter de his instrui, ita ut explicite ea credat; aliter est certo indispositus.

Dico

Dico secundo: qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter ignorat hæc alia duo, *Trinitatem*, & *Incarnationem*, non potest licite absolvi extra articulum mortis. Ratio est, quia, quamvis multi cum Gran. & Sanchez probabiliter dicant, hæc duo mysteria esse necessaria tantum necessitate præcepti; tamen alii communius cum Suar, Con. Sot. probabiliter, imo & probabilius docent, esse necessaria necessitate medii: ergo, si Confessarius talem ignorantem absolveret, peccaret sequendo primam opinionem probabilem relicta secunda tutiore, adeoque exponendo Sacramentum periculo frustrationis; quod damnatur ab Innocent. XI. Prop. 1. Ideoque ab eodem damnatur hæc alia Prop. 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C.* Hinc in articulo mortis debet confessarius breviter talem ignorantem instruere de his mysteriis, antequam absolvat. At, si nullum omnino esset tempus instruendi, absolvere eum potest, ac debet sub conditione; quia in tali casu potest, ac debet uti prima opinione probabili, & conditio apposita salvat reverentiam debitam Sacramento: in dicta enim propositione solum damnatur, quod sit *Capax* absolutionis licitæ, non autem absolutionis validæ; cum adhuc hodie maneat probabilis prima illa sententia: unde etiam infert March. apud Dian. p. 5. t. 13. r. 84. non esse repentendas confessiones factas ab eo, qui ignorabat hæc mysteria, quia probabile est, quod sit valide absolutus: v. dicta tr. 2. d. 1. q. 1. c. 1. §. 2. quæsito 3.

Dico tertio: Qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter ignorat reliqua Mysteria Fidei ab omnibus scienda, & credenda ex necessitate præcepti, regulariter non est absolvendus, donec addiscat. Ratio est, quia hæc Mysteria sunt Symbolum Apostolorum, oratio Dominica, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, Sacramenta omnibus necessaria, scilicet Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, & quæ ad hæc recipienda requiruntur. Sed, qui talia ignorat, quamvis proponat addiscere, tamen ex communiter contingentibus præsumitur, quod nolit efficaciter addiscere; ergo regulariter differenda est ei absolutio, donec addiscat. Dixi *regulariter;* nam in articulo mortis est absolute absolvendus: item in casu necessitatis communicandi ad vitandum scandalum, aut infamiam,

aut

aut aliud grave damnum; modo doleat de sua negligentia, si fuit negligens, & proponat postea addiscere. Cæterum præceptum hæc addiscendi memoriter ex consuetudine solum obligat sub veniali: Nav. Lop. & alii contra Barbos. Quare, si ea ita imperfecte sciat, ut saltem interrogatus sciat respondere, potest licite absolvi, etsi nesciat ea memoriter recitare. Si vero nec sciat respondere, instrui prius debet, vel remitti ad Parochum, qui tenetur ex officio eum instruere. At, si quis sit adeo stolidus, ut nullam propriam rationem de his Mysteriis formare queat, est quoad hoc adnumerandus inter infantes, & perpetuo amentes: Tann. Vide dicta §. supra cit. n. 2. quæsit. 6.

§. II.

Quid de habente occasionem proximam?

Occasio peccandi alia est remota, alia proxima. Remota dicitur, in qua quis nunquam, aut raro admodum peccavit, nec prudenter timet, se peccaturum: ut si decies accesserit ad tale consortium, & nunquam, aut forte semel, seu raro, & potius veluti casu est lapsus; & huic per se loquendo non videtur neganda absolutio, ex eo præcise, quod nolit eam occasionem deserere, quia aliter deberemus exire ex hoc mundo, ut loquuntur Theologi ex Ap. 1. *ad Cor.* 5. Proxima occasio dicitur, in quas quis frequenter peccavit, vel prudenter timet, se peccaturum: ut si decies accesserit, & octies, vel septies est lapsus, ea est occasio certe proxima; si vero ter, aut quater, est probabiliter proxima: Gob. *in Exper.* t. 7. num. 527. Et huic est omnino deneganda absolutio, si nolit deserere talem occasionem proximam peccandi mortaliter; quia jam est ei voluntaria; ideoque actuale peccatum, ex illo Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, hoc est ipse amor periculi peccatum est, ut explicant Doctores communiter: idque verum est, etiamsi periculum sit probabiliter proximum, cum hoc etiam sit præsens animæ malum: Carden. & alii contra Caram. Gob. & Mendo. Hinc ab Inn. XI. damnatur hæc Prop. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere.*

Dubium

Dubium est, An talis absolvi possit, antequam tollat occasionem proximam, si serio promittat eam tollere?

Negant Con. Azor. Carden. & alii; quia, qui accessit ad Confessionem, antequam illam tollat, præsumitur, nolle eam deserere; & in hoc, quod ea non deseritur, quando potest deseri, peccatur. Sed probabilius Suar. d. 32. s. 3. Cajet. Tamb. Cordub. & alii communiter affirmant; quia potuit pœnitens immediate ante audiendo concionem, vel ipsius Confessarii admonitionem, aut alia ex causa, excitari ad verum dolorem. & efficax propositum tollendi illam, ita ut possit prudenter præsumi, quod de præsenti eam nolit imposterum retinere: ergo potest absolvi saltem prima vice; nam de aliis vicibus dicam §. 3. Excipe tamen cum Tambur. publicum peccatorem, qui propter scandalum debet ejicere concubinam publicam, antequam absolvatur: excipe etjam in hac Diœcesi Neapolitana concubinarium, quem non possumus absolvere ante bimestre à separatione, juxta dicta in Append. c. 2. §. 2.

Quæres primo, An possit absolvi, qui versatur in occasione proxima necessaria, quam scilicet non potest tollere physice, vel moraliter?

Respondeo affirmative, Si aliunde ex signis veri doloris, & propositi prudenter præsumi possit, eum non relapsurum. Ratio est, quia talis occasio materialiter accepta est ei involuntaria; & ex dictis signis præsumi potest, quod non erit amplius voluntaria formaliter, & in ratione peccati: ergo non est, cur non possit absolvi. Sic absolvi potest, qui in eodem carcere detinetur cum concubina, quia est occasio physice necessaria: item Mancipium cohabitans apud dominum cum domestica secum peccante, quia est occasio moraliter necessaria, cum non possit deserere dominum sine injustitia. Item filiusfamilias, quamvis domi adsit serva, vel alia, cum qua consuevit peccare, & quam ipse expellere domo non potest; & à fortiori, si cum fratre, sorore habet occasionem peccandi, à quorum convictu moraliter sejungi nequit: Tamb. *de Confess.* l. 3. c. 3. n. 8. Item dic de eo, qui domum, officium, artem, mercaturam, &c. in quibus frequenter peccavit, deserere non potest sine valde gravi damno, quod subire vires humanas superat; puta, si deserendo incidat in periculum vitæ, scandali, infamiæ,

infamiæ, mendicitatis, ac miseriæ: Laym. l. 5. t. 6. c. 4. num. 9. Tenentur tamen hi omnes orationibus, jejuniis, ciliciis, frequentia Sacramentorum, aliisque remediis (præsertim iis, quæ pro cujusque necessitate, ac facultate suggeret Confessarius) reddere, quantum possunt, periculum illud à se remotum; sic enim deserunt occasionem illam formaliter, quando non possunt etiam materialiter: Doctores communiter.

Quæres secundo, An possit absolvi, qui non potest tollere occasionem proximam sine aliquo incommodo non valde gravi, si eam nolit tollere?

Respondeo negative, Quia, si damnum non est valde grave, non affert impotentiam moralem, seu superantem vires humanas ad illam rejiciendam: ergo præsumitur, quod occasio sit ei voluntaria, adeoque actu peccaminosa, & consequenter non est absolvendus, quamvis dicat firmissimum habere propositum non amplius peccandi in illa: cum hoc ipsum nolle talem occasionem tollere sit peccare, & facta sint contraria dictis. Hinc damnatur ab Alex. VII. Prop. 41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo, *dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Idem est, etsi illam ejiciendo amitteret lucrum in negotio, cui illa sit necessaria, vel non posset recuperare, v. g. 100. aureos, quos illi mutuo dedit; quia ad retinendam proximam occasionem materialem non sufficit quæcunque utilitas, sed requiritur periculum damni valde gravis, quale esset, si v. g. non recuperando dictos 100. aureos, incideret in gravissimam necessitatem, & mendicitatem, ac miseriam, cui non posset alia via occurrere: Mendo v. *Occasio.* Idem dic de aliis occasionibus odii, rixæ, blasphemiæ, detractionis, delectationis morosæ &c. Imo nec potest absolvi, qui directe quærit occasionem proximam pro quocunque bono temporali, vel spirituali, sive suo, sive alieno; ut constat ex Prop. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit,* & 63. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi,* damn. ab Inn. XI. quia ejusmodi causæ non efficiunt, ut illa occasio non sit directe volita, atque adeo

peccaminosa. Dixi, *qui directe quærit;* nam Confessarius, Chirurgus &c. qui sæpe lapsi sunt in turpes consensus, audiendo confessiones, medendo, &c. absolvi possunt, si proponant, non quærere directe eas occasiones: quamvis parati sint audire confessiones, mederi &c. ab aliis rogati, & sanctis cogitationibus muniti; Doctores communiter.

§. III.

Quid de Recidivo?

RECIDIVUS dicitur, qui post pœnitentiam relabitur in idem peccatum, sive ex fragilitate, aut consuetudine, sive ex occasione extrinseca.

Dico: non potest absolvi recidivus, si nulla appareat spes emendationis, etiamsi ore proferat, se dolere, & proponere emendationem: potest tamen absolvi, si aliqua appareat spes emendationis. Ratio deducitur ex Prop. 60. damnata ab Innoc. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem:* ergo, si aliunde appareat spes emendationis, potest licite absolvi. Porro signa talis spei sunt: si à confessione facta aliquanto rarius, difficilius, aut tardius peccavit: si sæpius sibi vim fecit, occasiones aliquas formales vitavit, locum, & tempus relabendi aliquando præcavit: si remedia aliqua adhibuit, præsertim ex præscriptis à Confessario: si sponte sua, & non ab aliis compulsus ad confessionem, & præsertim ad eundem Confessarium accedat: si statim post peccatum dolore tactus confiteri statuit, vel post multam luctam tandem resolvit: si initio graviora dicat, accuset se etiam de alias omissis, solicite exponat numerum, & minutas circumstantias, curetque, ut omnia bene intelligantur: si petat efficaciora remedia, desideret, aut alacriter acceptet magnam pœnitentiam, optet pati ad satisfaciendum Deo, injurias ultro condonet, &c. Hæc, vel aliqua horum prudenti Confessario esse possunt argumenta sperandi emendationem, adeoque bonæ dispositionis de præsenti, & consequenter potest licite absolvere: Croix n. 1733. Contra vero, si nihil horum appareat, etiamsi ore proferat,

rat, se dolere, & proponere emendationem, nequit absolvi, cum in hoc tali nulla appareat spes emendationis.

Infers primo: Si recidivæ peccati proveniant ex sola fragilitate, aut consuetudine, non peccare Confessarium, si talem absolvat toties, quoties affulget ex prædictis signis spes aliqua emendationis, quia sic pœnitens ex parte sui aliquid affert: Laym. Lezan. Croix n. 1822. & D. Jeron. relatus c. *Septies* d. 4. *de Pœnit.* ait, *Non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata condonentur.* An autem sit consilium differre huic absolutionem, pendet ex prudentia Confessarii; si enim pœnitens id non multum ægre ferat, & speretur, non ob id retrahendum à confessione, sed potius id fore medicinam, erit consilium differre absolutionem majori suavitate adhibita: si autem oppositum speretur, non erit consilium, nisi quando ille his peccatis magnum præberet scandalum: ita Sanch. l. 2. *Decal.* c. 33. num. 45.

Infers secundo, Si recidivæ proveniant ex occasione extrinseca, quam potens non deseruit, uti in priori Confessione promisit, neque peccare Confessarium, si absolvat secunda vice, si similiter appareat spes emendationis, & propositi eam mox tollendi: Suar. d. 32. s. 3. & alii communius contra Fill. Con. Azor. & alios: sic etiam passim absolvitur pœnitens per hoc, quod serio proponat restituere, quamvis antea admonitus non restituerit. Addunt Cajet. Cordub. & alii, quod possit etiam tertia, & quarta vice, præsertim, si adsint specialia signa doloris, & propositi. Quod maxime valet, cum urget Præceptum communionis Paschalis, aut necessitas ad vitandum scandalum, infamiam, &c. aut non sit ille habiturus opportunitatem redeundi, aut si alias non lucraretur indulgentiam, juxta dicta c. 2.

Quæres, An possit absolvi pœnitens, qui versatur in occasione proxima sibi necessaria, & adhibitis omnibus remediis semper labatur, ut prius?

Respondeo, non posse absolvi, nisi proponat, eam deserere etiam cum periculo omnium bonorum famæ, vitæ, &c. Ita Cajet. Nav. Lop. Regin. & alii communiter contra Pal. Tamb. Pallav, Gob. & alios. Ratio est, quia fugiendum est periculum formale peccati,

etiam cum periculo vitæ, si aliter vitari non possit; velle enim manere in illo est velle peccatum, & quisque tenetur potius mori, quam peccare: ergo, si hic nequit efficere, ut occasio illa necessaria evadat sibi remota formaliter, tenetur eam deserere etiam cum quovis suo damno; & consequenter, si nolit, non est absolvendus, utpote indispositus. Neque hinc inferas, quod neque posset absolvi, qui similem habens occasionem peccandi venialiter, nolit eam deserere: nam, licet similis esset obligatio, cum præstet potius mori, quam peccare etiam venialiter; tamen hæc obligatio est sub levi, ideoque absolutio cadere posset in alia ejus peccata.

QUÆSTIO V.

De Sigillo Confessionis Sacramentalis.

VIDENDUM, Primo, Quid sit Sigillum Confessionis, & Quæ ejus Materia? Secundo, Quos, & ad Quid obliget? Tertio, An possit aliquando Confessarius uti notitia habita in Confessione?

CAPUT I.

Quid sit Sigillum Confessionis, & quæ ejus Materia?

DICO primo: Sigillum confessionis est strictissima obligatio non revelandi, neque directe, neque indirecte ea omnia, quæ cognita sunt ex confessione Sacramentali alterius, & quorum revelatio redderet confessionem odiosam: Doctores communiter. Ratio talis obligationis deducitur non solum ex jure naturali, & Ecclesiastico, sed præcipue ex jure Divino per traditionem noto, quo Christus indispensabiliter noluit, tale sigillum posse revelari, ne pro salute quidem Confessarii, aut ipsius pœnitentis, aut etiam totius mundi; ne scilicet periculum sit, confessionem Sacramentalem à se institutam reddi Fidelibus suis odiosam. Hinc differt Sigillum Sacramentale à secreto naturali, quia oritur unice ex confessione, & ex jure tum naturali, tum divino

divino obligat in omni casu, ita ut nec Pontifex, nec tota Ecclesia possit in eo dispensare : itaque violator sigilli dupliciter peccat ; tum scilicet contra Justitiam ratione pacti tacite initi cum pœnitente, adeoque graviter, vel leviter pro quantitate materiæ ; tum præcipue contra reverentiam debitam huic Sacramento (quod peccatum semper est grave sacrilegium, etsi materia revelata sit levis) nullam tamen incurrit irregularitatem, utpote non expressam in jure : Suar. & alii communiter contra Majolum : verum est deponendus, & detrudendus in Monasterium, si sit Sacerdos ; si laicus, puniendus est pœna extraordinaria ; ex cap. *Omnis Utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss.* Et, si putet, id sibi licere, est denunciandus ad inquisitionem : Molfes. & alii communiter.

Infers primo, Hoc sigillum unice oriri ex confessione Sacramentali, hoc est, ex manifestatione peccati facta cum animo se accusandi in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ : quare habetur, etiamsi talis confessio fiat Sacerdoti non approbato, nec habenti jurisdictionem, nec intentionem absolvendi, quia sufficit, si bona fide fiat cum animo se accusandi, &c. Doctores communiter. Item, etiamsi fiat Confessario nolenti audire, ut addunt Dian. Lug. & alii contra Suar. Averss. Leand. & alios ; sicuti etiam, qui invitus audit peccatum confitentis alteri, tenetur ad sigillum ex communi sententia. Item, etiamsi confessio fiat laico, qui se finxit Sacerdotem, quia adhuc sit bona fide cum animo se accusandi, &c. Suar. Bon. & alii communiter contra Laym. Nugn. & alios : secus vero, si scienter fiat laico humilitatis causa : Suar. Bon. Vasq. & alii contra Nav. Palud. Leand. & alios. Item, etiamsi fiat confessio in Confessionario, putando adesse Confessarium, qui revera non adest ; quia sic etiam fit cum animo se accusandi, &c. ideoque, si quis tunc aliquid audierit, tenetur ad sigillum : Gob. Crcix, & alii : secus vero, si quis rudis peccata sua dicat coram statua alicujus Sancti, quia credibile non est, quod id faciat ex animo se accusandi in ordine ad Sacramentum : Gob. t. 7. num. 824.

Infers secundo, Oriri hoc sigillum, etiamsi talis confessio quacunque ex causa non finiatur, vel non sequatur absolutio, vel hæc sit invalida ; quia sufficit, si in-

choata sit confessio cum dicto animo: Doctores communiter. Item, etiamsi facta sit absque dolore, proposito, integritate, aliisque requisitis ex parte pœnitentis, modo adsit dictus animus. Item, etiamsi dixerit quis peccatum suum confessario ad habendum consilium pro pacanda conscientia, cum animo tamen confitendi, si opus fuerit; quia sic habetur etiam inchoative, vel saltem reductive confessio. Item, etiamsi prius peccata ei enarravit mere historice, vel ex jactantia, si tamen postea ex corde eidem adhuc memori addat, *Me accuso de antea tibi enarratis:* Item, si peccata scripserit ei absenti, cum animo tamen, ut postea ab eodem præsente ab illis absolvatur; secus, si sine tali animo, vel si cum animo, ut absolvatur ab eo absente: Croix num. 1939.

Infers tertio, Nullum haberi sigillum, si quis simulet se confiteri, ita ut nullum dicat peccatum, sed tantum petat schedulam confessionis. Item, neque si dicat peccata cum animo, non quidem se accusandi in ordine ad Sacramentum, sed solicitandi, aut injuriandi Confessarium, aut jocandi, furandi, &c. Item, neque si dicat peccatum cum animo tantum habendi consilium pro vitanda pœna, infamia, aliove damno, &c. nullatenus vero cum animo se accusandi in ordine ad Sacramentum: idque verum est, etiamsi illud peccatum dicat in confessionario; imo etiamsi addat, se illud dicere sub sigillo confessionis, & confessarius etiam sub sigillo acceptet: Suar. Vasq. Fil. Gob. & alii communiter; qui tamen addunt, servandum secretum naturale pro qualitate, & quantitate materiæ.

Dico secundo: Materia sigilli est omne id, quod, si revelaretur, redderet confessionem Sacramentalem merito odiosam. Ratio patet ex dictis. Hinc materia sigilli sunt.

Primo, Omnia, & singula mortalia, tum in genere, tum in specie, etiamsi sint dubia, aut putata, aut alias confessa, aut etiam designata in futurum, modo cognita sint ex confessione Sacramentali, in qua proinde, si voce alta Confessarius interroget pœnitentem, *Quoties peccaverit*, frangit sigillum, quia revelat adstantibus, materiam esse gravem: similiter, si alta voce acriter increpet, vel imponat pœnitentiam gravem: similiter, si

si injungat magnam pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, nisi consentiat pœnitens: Nav. Fagun. & alii; imo sunt etiam materia sigilli peccata publica, ita ut non possit Confessarius de Titio publico usurario dicere, *Cum magna contritione confessum esse sibi suas usuras;* si autem peccatum esset aliunde notum Confessario, non frangit sigillum, si de eo loquatur, nulla facta mentione confessionis, nec certius, vel amplius affirmet, quam quod extra confessionem novit; quia confessio non privat jure loquendi de rebus, quas ante, vel post aliunde novit; modo addat, unde sciverit, ad tollendam omnem suspicionem revelationis confessionis: Nav. Suar. & alii communiter contra Henr, Farin. Abb. & alios.

Secundo, Sunt materia sigilli omnes circumstantiæ, & ea omnia, quæ dicta sunt à pœnitente ad explicandum suum peccatum, etiamsi non essent necessaria, nec forte utilia ad illud explicandum: ut si ad explicandum suum peccatum dixerit, se esse pauperem, illegitimum, aut alium defectum, vel circumstantiam, quam pœnitens non libenter diceret extra confessionem: secus vero est de aliis defectibus naturalibus, qui ex modo confitendi innotescunt, ut quod sit blæsus, rudis, tardi ingenii, &c. vel de aliis circumstantiis, quas pœnitens non ægre vult sciri, ut quod sit Sacerdos, Uxoratus, Germanus, &c. Lug. Tamb. Averss. q. 18. s. 4. Sub sigillum etiam cadunt pœnæ peccatorum, ut censuræ, inhabilitates, item impedimenta cognita ex confessione.

Tertio, Sunt materia sigilli omnia, & singula venialia in specie; ut si Confessarius revelaret, Titium sibi confessum *verbum otiosum:* non autem venialia in genere; ut si dicat, confessum esse *Venialia;* quia hoc non aliud significat, quam quod receperit Sacramentum, in quo aliquod saltem veniale absolvi debet. Si vero dicat, *Plura*, vel *Nova venialia*, Henr. Lug. & alii contra alios apud Croix num. 1972. dicunt, frangi sigillum, quia potuit confiteri unum, vel tantum vetera; tutius ergo erit dicere, confessum esse *materiam venialem.* At, si auditis duorum confessionibus, de uno dicat, habere tantum materiam venialem, esse timoratæ conscientiæ, &c. frangit sigillum, si hoc dicat respective ad alterum, quia indirecte significat, alterum

non esse talem : secus vero , si absque ullo ejusmodi respectu : Suar. d. 33. s. 3. n. 9. & alii.

Quarto , Sunt materia sigilli etiam scrupuli, si eos pœnitens afferat ad declarandam conscientiam, aut peccata : Lug. d. 23. s. 5. n. 60. contra Marchant. Si autem cognoscantur tantum ex modo confitendi, negat Lug. frangi sigillum, cui adhæret Tamb. si sint palam noti: addit Leand. posse dici , *Illum esse scrupulosum*, quia regulariter loquendo , id potius est indicium bonæ, & timoratæ conscientiæ ; sed Croix ait, perinde esse, sive Confessarius eos audierit , sive viderit in pœnitente; cum jam noverit ex ipso actu confessionis, & molestum esset pœnitenti , si promovendus esset ad Prælaturam, & Confessarius diceret, eum esse scrupulosum , irresolutum, morosum , &c. idemque ait de aliis defectibus mere naturalibus.

Quinto , Sunt materia sigilli etiam vota , virtutes, aliave bona pœnitentis, si ab eo dicta sint in ordine ad declaranda sua peccata : sic , si habens votum castitatis confiteatur, se fornicatum fuisse, votum cadit sub sigillum : Lug, d. 23. n. 52. Similiter, virtutes, aut dona divina cadunt sub sigillum, si pœnitens confiteatur, se fuisse pro his ingratum , &c. Lug. num. 48. Secus vero, si hæc dicat quidem in confessione, non tamen ratione alicujus peccati, sed tantum, ut status animæ suæ innotescat Confessario : Lug. Stoz. Croix & alii.

Sexto, Sunt materia sigilli etiam peccata aliena dicta à pœnitente, ut connexa peccatis propriis : ut, si mater dicat, se imprecatam esse filio furaci, morosо, imprudenti, &c. hæc vitia filii cadunt sub sigillum. Stoz. Croix; & alii. Similiter peccatum complicis dictum etiam absque necessitate in confessione est materia sigilli, quia aliqualiter ad eam confessionem spectat: Suar. Avers. & alii contra De la crux. Contra vero non cadunt sub sigillum peccata aliena , si tantum historice in confessione narrentur, & absque ulla prorsus connexione cum propriis , quia sic se habent omnino impertinenter ad confessionem; quamvis etiam tunc cavendum est scandalum , & offensio pœnitentis , ut bene monet Croix num. 1948.

Septimo demum , Cadit sub sigillum etiam id, quod dubitatur, an sit materia sigilli : ut si Confessarius dubitet, an aliquid audierit intra, an extra confessionem, &c.

quia

quia in dubio standum pro pœnitente, ne confessio fiat odiosa: Suar. Bon. & alii communiter contra Bardi, cujus opinio habet plus speculativæ, quam practicæ probabilitatis: Gob. num. 848. Idem ait Croix, si tantum probabile sit, quod nulla sit fractio sigilli; quia sequendo meram probabilitatem contra pœnitentem, confessio hominibus etiam fieret odiosa: ideoque expedit sequi eas Doctorum opiniones, quæ favent sigillo, quia in pari probabilitate non prævalet possessio tuæ libertatis, cum obstet periculum saltem, quod confessio reddatur odiosa: Dian. Gob. t. 7. n. 855.

CAPUT II.

Quos, & ad quid obliget Sigillum?

Dico primo: Sigillum obligat omnes, & singulos, ad quos notitia materiæ sigillo clausæ, sive immediate, sive mediate, sive licite, sive illicite, pervenerit: Doctores communiter: ratio est, quia quivis horum, si revelaret, redderet confessionem Sacramentalem merito odiosam.

Hinc obligatur Primo, Confessarius, etiam putatus, juxta dicta c. 1. non autem pœnitens circa ea, quæ novit ex Confessario in sua confessione, quod scilicet sit indoctus, imprudens, &c. quia sigillum non est à Christo inductum in gratiam Confessarii, sed Pœnitentis: Averss. s. 5. & alii communiter contra Adrian. Palud. & Nav. tenetur tamen pœnitens secreto naturali circa defectus sui Confessarii, ut patet.

Secundo, Obligatur Superior, à quo petitur licentia absolvendi aliquem à reservatis, vel cui se sistit, qui fuerit absolutus ab alio cum onere, &c. Suarez, Lug. Dicast. dicens, hoc esse certum contra Con. Vasq. & alios.

Tertio, Obligatur interpres pœnitentis: D. Thom. Suarez, & alii communiter contra Cajet. & Sat. Item. qui per examen peccatorum dirigit aliquem ad confessionem, etiam cras faciendam alteri: Croix n. 1952. & alii contra Con. & Henr. Item is, cui quis dictat sua peccata, ut postea ex ejus scripto confiteatur alteri: Præp. & alii.

Quarto, Obligatur, qui, sive ex industria (in qua peccat mortaliter) sive ex casu, aut necessitate audit, dum pœnitens confitetur alteri: D. Th. & alii communiter contra Sot. Henr. & Becan. & similiter ille, cui talis auditor illicite revelavit, aut Confessarius licite, vel illicite dixit, & sic de reliquis, ad quos talis notitia pervenerit; quia transit cum suo onere sigilli. Si vero pœnitens omnino sponte ad majorem sui confusionem publice confiteatur coram Confessario, & aliis, Con. & Pal. Pal. putant, solum Confessarium obligari; Stoz vult, obligari etiam alios, si ita velit pœnitens; Lug. d. 23. & Aversˢ. s. 5. dicunt, ipso facto censeri datam licentiam omnibus.

Quinto, Obligatur, qui legit chartam confessionis traditam à pœnitente Confessario, & ab hoc deperditam; quia esset idem, ac si audisset in confessione: Vivald. Veg. Laym. Lug. & alii contra Henr. Gran. & alios; & peccat insuper, si advertenter legat. Si autem legat, antequam tradatur Confessario, Pal. Aversˢ. & alii multi dicunt, obligari solum secreto naturali, quia ea charta non est actualis confessio, nec signum, quo pœnitens manifestat peccata Confessario; sed tantum, ut ea sibi manifestet, & memoria retineat: sed contradicunt Nav. Veg. Graf. Dian. Gorm. & alii, quia videtur esse quædam inchoata confessio, quod ex communi sententia est verum, si charta sit pœnitentis muti, quia sic intendit manifestare peccata sua Confessario: si autem missa sit Confessario distanti, non censetur in ordine ad confessionem; cum nemo possit, neque adeo præsumatur velle sic confiteri: Croix, & alii.

Dico secundo: Qui obligatus est sigillo, in nullo prorsus casu, neque directe, neque indirecte, potest ejus materiam ulli revelare, nec ipsi pœnitenti, nec alteri scienti etiam sub sigillo, nec etiam post mortem pœnitentis; nisi vel aliunde materiam illam sciverit, vel nullum sit periculum revelandi pœnitentem, vel habuerit ab hoc expressam licentiam: Doctores communiter. Ratio est, quia secus redderetur merito odiosa pœnitentibus confessio: ideoque D. Thom. *in suppl.* q. 11. a. 1. ad 1. *Ex confessione scitum est quasi nescitum;* imo, *Minus scit, quam qui nescit*, ut loquitur D. August. Hinc maxime caveat Confessarius, ne in confessione loquatur de auditis in confessione aliorum, præsertim complicis: &,

&, si accuset, se audivisse confessionem alterius, præstat aliquando non eum monere de obligatione sigilli, ne forte ex malitia id dixerit, ut sic confirmetur sua suspicio. Caveat etiam Confessarius, vel quicunque viderit aliquem clam confiteri Confessario extraordinario, id aliis dicere, ne scilicet ingerat suspicionem peccati gravioris. Caveat item Parochus daturus Viaticum ægro, ne interroget Confessarium, an absolverit, sed solum interroget, an sit ille confessus, ne scilicet Confessarium incautum exponat periculo frangendi sigillum; Croix, Gorm. & alii. Porro quilibet Confessarius, si ab aliis interrogetur, potest, & debet negare peccatum pœnitentis, &, si opus fuerit, cum juramento, quomodocunque interrogetur, etiam ut Confessarius, quia habet scientiam omnino incommunicabilem, adeoque perinde est, ac si nihil sciret. Advertat tamen, quod, si interrogetur, an v. g. publica meretrix ipsi jam confessa dixerit suas fornicationes, tunc potest positive negare, quia inde inferretur, confessionem non fuisse integram; debet ergo, vel remittere interrogantes ad pœnitentem; vel dicere, ipsam confessam esse, & se functum suo officio: Henr. Gorm. & alii. Si autem eam non absolvit (quod caute fieri debet, ne advertant adstantes) & tamen ipsa petat schedulam confessionis; tunc, si nullum dixit peccatum, potest negare, quia nulla habetur ne inchoata quidem confessio. Si vero cum animo se accusandi dixit aliquod peccatum, probabilius non potest negare, si soleat dare aliis; quia negare esset indirecte manifestare, quod confessam non absolverit: Con. Laym. Averss. & alii contra Bonac. Fagund. & alios.

Dixi primo: *Nisi aliunde materiam illam scierit;* si enim peccatum pœnitentis esset aliunde notum Confessario, hic non frangit sigillum, si de eo loquatur, nulla facta mentione confessionis, nec certius, vel amplius affirmet, quam, quod extra confessionem novit, quia confessio non privat jure loquendi de rebus, quas ante, vel post aliunde scit; solum ergo caveat, ne appareat loqui ex notitia confessionis: Navar. Suarez, & alii communiter contra Henr. Abb. Farinac. Hinc, si publicus peccator, quem non absolvit, petat ab eo Communionem, Viaticum, Extremam Unctionem, &c. potest, & debet negare etiam publice petenti; quia utitur notitia publica, & quam ipse etiam aliunde habet: ne tamen

tamen revelet negationem absolutionis, dicat, *Cum sis publicus peccator, debes ante Communionem, &c. publice ostendere, quod mutaveris malam vitam:* Regin. Lugo, Averſ. & alii.

Dixi ſecundo: *Niſi ullum ſit periculum revelandi pœnitentem;* quia, ſi nullum ſit tale periculum, nulli redditur odioſa confeſſio. Hinc Confeſſarii paſſim conſulunt viros dictos de caſu in confeſſione audito, tacendo perſonam pœnitentis. Contra vero, ſi aliquod ſit ejusmodi periculum etiam ſuſpicandi de illa, non poſſunt; ideoque, ſi Confeſſarius non poſſit aliter confiteri ſuum peccatum, niſi cum periculo manifeſtandi peccatum ſui pœnitentis, debet illud tacere, juxta alibi dicta: ſi dicat aliis, *Primus mihi confeſſus fuit adulter,* exponit ſe periculo frangendi ſigillum, quia facile ſcire poteſt, quis fuerit ille primus: item ſi dicat, *Hodie Mulier, Sacerdos, &c. mihi confeſſus eſt furtum;* quia exprimendo ſtatum, & tempus, facit, ut perſona in ſuſpicionem prudenter venire poſſit: Fagun. & alii: item, ſi coram pœnitente, & aliis multis dicat, *Unus veſtrum adulteravit,* frangit ſigillum; quia merito reddit pœnitenti confeſſionem odioſam. Quod autem cap. *Sacerdos, de Off. Jud. Ord.* dicitur, *Pœnitentem arguì poſſe indeterminate, ſicut dixit Chriſtus, unus veſtrum me traditurus eſt,* intelligi debet de peccato aliunde noto: Sylv. & alii. Similiter, ſi de aliqua Communitate, Monaſterio, vel Cœtu dicat, ineſſe aliquod peccatum, peti licentiam à reſervatis, &c. quia quilibet eſt pars magna parvæ Communitatis; unde eſt non leve periculum ſuſpicandi de reo: Suar. Vaſq. Bonac. Lug. & alii communiter contra Navar. Averſ. & alios. Secus vero, ſi id dicat de ampla Civitate, quia omnes ſciunt in magna Republica eſſe peccata cujusvis generis, nec eſt periculum, ut Rei innoteſcant: Bon. Gran. Leand, & alii: etſi ſæpe expediat ab his locutionibus abſtinere, cum ſæpe adſit ſaltem ſcandalum.

Dixi tertio, *Niſi habuerit à pœnitente expreſſam licentiam;* quia ſigillum inductum eſt à Chriſto in gratiam pœnitentis, qui proinde poteſt illud relaxare: D. Th. & alii communiter contra Gabr. Duran. & alios. Debet autem hæc licentia eſſe expreſſa (nec ſatis eſt tacita, vel præſumpta: Doctores communiter contra Graff.) ſive facto, ut ſi pœnitens incipiat loqui cum Con-

Confessario de alias dictis in confessione, & sic dat licentiam loquendi secum; sive verbo, ut si dicat, ut de his loquatur cum alio. Debet etiam esse omnino libera, ita ut non valeat, si sit ob metum reverentialem, aut ob preces importunas concessa: Navar. Henr. Suarez, & alii communiter. Debet etiam esse concessa in bonum, ita ut, si sit in malum pœnitentis, aut aliorum, non valeat: Nav. & alii; si autem ad animi solatium, valet: Leand. Debet denique stricte accipi, ita ut, si dicat, *Do licentiam, ut loquaris cum Titio*, debeas cum aliis servare sigillum, & dicere Titio, te loqui ex licentia pœnitentis de auditis in confessione, ut scilicet Titius accipiat sub eodem sigillo: si dicat, *Quod dixi, sit tanquam dictum extra confessionem*, tunc, etsi possis loqui cum aliis, at non potes dicere, te audivisse in confessione, quia non loqueris ex ea notitia, neque ex facultate respectu illius, sed ex nova notitia: Suar. d. 33. s. 5. num. 7.

Infers hinc, Quod si Confessarius velit loqui cum pœnitente extra confessionem de auditis in illa, debeat prius petere ab eo licentiam: Suarez, Nav. & alii communiter contra Palud. ita ut, si pœnitens neget licentiam, debeat Confessarius tacere: Dian. p. 1. t. 11. r. 18. & alii communiter contra Suarez, cujus sententiam probabilem dixi q. 4. c. 2. in eo tantum casu, quo oblitus fuerit illum absolvere, quia non erat completum Sacramentum. Cæterum, si statim post absolutionem occurrat error emendandus, potest loqui etiam non petita licentia, quia, quæ fiunt in continenti, inesse dicuntur: Henr. Gran. & alii: idem est, si postea ad confessionem redeat, quia pertinet ad idem omnino forum: Gran. Leand. & alii contra Fag. & Dian.

CAPUT III.

An aliquando possit Confessarius uti notitia habita tantum in confessione?

Dico primo: Illicitum est uti scientia confessionis cum aliquo gravamine pœnitentis, etiamsi absit omnis revelatio sigilli, & etiamsi multo gravius gravamen pœnitentis sequeretur ex non usu talis scientiæ. Ita decretum est in Congr. Gen. universalis Inquis. sub Innocent.

nocent. XI. 18. Nov. 1682. quæ damnavit hanc in terminis Prop. *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Ratio est, quia, quamvis abesset omne periculum revelandi sigillum, & ita clam fieret, ut nemo prorsus adverteret, tamen adhuc merito redderetur fidelibus odiosa confessio, si scirent, aliquod gravamen sibi fieri posse ob notitiam datam in confessione. Quod verum est, etiamsi gravamen sit parvum, & multo gravius gravamen pœnitentis sequeretur ex non usu talis scientiæ; quia semper magni momenti est gravamen publicum, quod scilicet in omnes redundaret per hoc, quod sibi persuadeant, posse licite Confessarium uti scientia confessionis cum aliquali gravamine pœnitentis, & simul posse facile Confessarium ex nimio zelo, aut ex proprio affectu induci ad putandum, quod gravamen hic & nunc sit leve, &c. unde confessio ex hac persuasione redderetur merito odiosa.

Hinc non amplius probabilis est sententia eorum (quos supra 40. refert, & rejicit Sanchez l. 3. *Matr.* d. 16. n. 2.) dicentium, Confessarium ex sola notitia confessionis posse indigno negare Eleemosynam, Sacramenta, Ordines, Suffragium gratuitum, & Secretum in electione gratuita, Beneficium, &c. quæ alias esset daturus; quia, etsi absit revelatio sigilli, habetur tamen gravamen pœnitentis. Similiter nec potest ex tali notitia removere aliquem ab officio etiam ad nutum auferibili; nec expellere famulum confessum ei suum furtum, nec ostendere illi vultum severiorem, nec desist[illegible]e à committendis ei negotiis, nec specialem inquisitionem instituere circa subditos, nec dicere alteri, ut invigilet super familiam suam, &c. Imo addunt Lug, Averf Croix num. 1977. frangi sigillum, etiamsi in confessione juberet, famulum clavem reddere, aut sua sponte discedere, quia hæc jussio est actus non spectans ad confessionem. Similiter non amplius probabilis sententia Fagund. Tamb. & aliorum putantium, posse Superiores Regulares ex sola notitia confessionis statuere novas leges, crebrius visitare, claves reficere, ostium claudere, licentiam solitam exeundi negare, mutare cubicula, &c. etiam secluso omni periculo revelationis; quia semper adest gravamen pœnitentis, nisi ipse licentiam dederit: ideoque

expresse

expresse Clement. VIII. 28. Maji 1594. prohibet Superioribus Regularibus, *Ne notitia confessionis utantur ad exteriorem gubernationem.*

Dico secundo: Non est illicitum uti scientia confessionis, si nullum sit gravamen pœnitentis; vel si ex non usu deberet confessarius facere aliquid intrinsece malum: Doctores communiter. Ratio est, quia non eodem pacto prohibetur revelatio sigilli, ac usus scientiæ confessionis; illa enim est semper illicita, etiamsi fieret in bonum pœnitentis: hic vero est solum illicitus, quando cedit in gravamen pœnitentis; si ergo nullum sit tale gravamen, erit licitus. Hinc ex notitia confessionis potest Confessarius omittere modum suum agendi, quem novit pœnitenti esse ingratum; familiarius cum eo se gerere ob spiritualem ejus indigentiam, vocare ad se, & volentem exercere studiis, ut sic honeste occupetur, & abducatur à malis consortiis; etsi enim ille advertat, propter peccata confessa id fieri, tamen censetur ipso facto dare ad id licentiam, si scilicet non ostendat, id sibi esse molestum: Lug. Aversa. Bus. Croix n. 1970.

Dixi: *Vel si ex non usu, &c.* v. g. Si maritus invita uxore suscepit Sacerdotium, & audiens ejus confessionem in articulo mortis intelligit peccatum, ex quo scit, matrimonium ab initio fuisse nullum; ea postea convalescente, & petente debitum, non posset reddere, quamvis ipsa adverteret eum negare ex notitia confessionis. Ratio est, quia talis redditio debiti esset intrinsece mala: Croix n. 1978. Addit Illsa. n. 255. si sciam ex confessione, aliquem non esse Sacerdotem, posse desinere ei confiteri, quia sic simulare susceptionem Sacramenti est intrinsece malum; sed probabilius dicit Lugo, me posse, ac debere pergere ita confiteri, quia dicere peccata non Sacerdoti absque intentione absolutionis non est intrinsece malum, & ex causa justa talis simulatio, & cooperatio ad peccatum illius videtur tantum materialis. Similiter, si Episcopus ex confessione sciat, aliquem non esse Sacerdotem, non ideo posset illum non designare in Confessarium, si alias hoc erat facturus; quia sic materialiter tantum, & ex justa causa cooperatur his sacrilegiis: Dicastil. ap. Croix n. 1977. Item Sacerdos non potest non communicare cum aliquo, quem ex sola confessione scit esse excommunicatum vitandum: neque potest non celebrare in Ecclesia, quam ex sola confessione

fessione scit esse publice pollutam ; nisi vero nec revelatio sigilli , nec ullum gravamen pœnitentis inde resultet : Averss. s. 8.

At, quid, si Sacerdos celebrans ex confessione sciat, in Calice esse venenum; vel ex confessione sciat, domi parari sibi mortem , aut in itinere parari sibi insidias, aut machinari in Principem, in Religionem, &c. Dico, si pœnitens nolit dare licentiam, & sit periculum revelandi sigillum, aut sit aliquod gravamen pœnitentis , teneri propinare venenum , exponere se periculo , &c. quare muniat se orationibus, & in divino auxilio speret, quod non sit aliquid mali eventurum: sic enim se , & omnia Deo committendo, rem ei gratissimam facit ad reverentiam Sacramenti, simulque ad augendam apud omnes securitatem sigilli, & ad omne pœnitentis gravamen vitandum : Croix, Viv. & alii post Decr. cit. Inquisitionis contra alios hodie non facile probandos. Hæc de Pœnitentiæ Sacramento dicta sint satis.

INDEX

INDEX
LOCUPLETISSIMUS
Rerum omnium notabilium,
quæ in Tractatu quinto & sexto,
& Tomo tertio continentur.

A.

Abbas. Licet aliquibus Abbatibus concessa sit facultas exercendi pontificalia: in ea tamen non comprehenditur facultas confirmandi. pag. 81. Ex concessione, quam habent à Papa, possunt conferre tonsuram, & ordines minores sibi subditis, non verò aliis. 221. Num suis novitiis? 222. Abbates regulares, non seculares dare possunt dimissorias suis subditis. 229. Num etiam suis novitiis? Et ad quemcunque Episcopum? *ibid.* Num, & quæ altaria possint consecrare? 154

Abbatissæ. Prioriſſæ, &c. in odiosis num comprehenduntur sub nomine Monialium? 508. Nisi obstet consuetudo possunt confiteri cuivis confessario generaliter ab Episcopo approbato. 395. Secus non approbato. 396. V. *approbatus ad confessiones Monialium.*

Abortus. Si detur pharmacum ægrotæ prægnanti causativum abortus, incurritne dans 12. Casus reservatos cum excommunicatione in Diœcesi Neap. 516. Est item casus reservabilis specialiter in ordinibus religiosis. 527

Abſens. Abſentia. Abſolutio collata abſenti. V. *Abſolutio à peccatis Abſolutio à Cenſuris.*

Abſolutio à peccatis eſt *forma, in qua præcipuè eſt vis Sacramenti Pœnitentiæ.* 530. Differt ab Abſolutione à Cenſuris. *ibid.* Eſſentialiter conſiſtit in verbis formalibus. *ibid.* Illicite ſimul & invalidè confertur abſenti. 325. & 530. Quæ præſentia ſit ſufficiens præſertim in abſolutione moribundi. 531. Quomodo dari poſſit pluribus ratione terræ motus, &c. *ibid.* Num ſic eam conferens ſine neceſſitate peccet, & qualiter? *ibid.* Quæ verba neceſſario requirantur ad eſſentiam talis abſolutionis, & quæ omitti poſſint? 532. & ſeq. valetne abſolutio, ſi immutentur verba per ſynonima, vel verba proferantur imperativo aut deprecativo modo, vel deferatur *Dominus noſter, &c.* 534. Dicens *abſolvo dominationem veſtram,* vel ſciens latinum ſermonem proferat illam italicè, peccat venialiter. 532. & ſeq. Quare Eccleſia dicit *abſolvo,* cùm Chriſtus dixerit: *Remiſeritis?* 533. Quomodo, ſeu quibus ritibus danda ſit abſolutio à Cenſuris? 535. v. *Abſolutio à Cenſuris.* Data ex metu, aut ex errore circa perſonam num valeat? 52. & 535. In abſolvente requiritur attentio debita, & intentio ſaltem virtualis. *ib.* Si duo Sacerdotes ambo conditionatè abſolvant eundem moribundum: eſſetne valida abſolutio? *ibid.* Quando & quomodo danda ſit abſolutio? 537. v. *Confeſſarius.* Num, quando abſolutio datur ſub conditione, debeat hæc exprimi verbis? 539. An aliquando iteranda? *ibid.* Ignorans myſteria fidei nequit abſolvi. 541. Num aliquorum myſteriorum ignorantia reddat abſolutionem invalidam etiam in mortis articulo? 542. Qui verſatur in occaſione remota, regulariter poteſt abſolvi: ſecus, qui in proxima. 543. v. *Occaſio proxima.* Num abſolvendus recidivus? 546. v. *Recidivus.* Vel blasphemus? v. *Blasphemus.* Abſolutio in articulo mortis. v. *Moribundus.*

Abſolutio à Cenſuris, & Caſibus reſervatis. Quis poſſit abſolvere à caſibus Papalibus, vel Epiſcopalibus &c. in articulo, vel periculo mortis. 372. Quis à caſibus, & cenſuris Papalibus extra articulum, vel periculum mortis, in caſu legitimi impedimenti, ſive perpetui, ſive temporalis? 433. & ſeq. Quis ab Epiſcopalibus extra etiam articulum, vel periculum mortis, præſertim in caſu legitimi impedimenti? 439. Quis poſſit

possit pœnitentem regularem absolvere à reservatis. 444. v. *S. Pœnitentiaria. Legatus à latere. Episcopus Vicarius Capitularis, vel Generalis. Prælatus Regularis. Confessarius secularis, & Parochus. Confessarius Regularis. Superior Regularis.* Quomodo intelligendæ sint concessiones absolvendi à reservatis. 448. Num petere licentiam pro absolutione à reservatis, sit onus pœnitentis; an Confessarii. *ibid.* & seq. Licentia petita & non obtenta nequit confessarius pœnitentem absolvere. 449. Quid si pœnitens sit regularis? *ibid.* Num possit denegare Superior hanc facultatem? *ibid.* quomodo intelligendæ sint licentiæ limitatæ absolvendi à reservatis. 450. Quomodo illimitatæ. 451. v. *Bulla Jubilæi. Bulla cruciatæ. Confessarius.*

Absolutio à Censuris. Differt ab absolutione Sacramentali. 530. Potest dari absenti, scripto, & signo. *ibid.* Data ex metu est irrita. 535. Quæ sit ejus forma. 536 Quomodo exequendæ literæ S. Pœnitentiariæ pro absolutione à Censuris? *ibid.*

Acolythus. Acolythatus. Acolythatus est ordo, *quo datur potestas accendendi lumina, & porrigendi Subdiacono urceolos.* 205. Quæ ejus materia proxima, quæ remota? *ibid.* Quæ forma? 210. Quæ ejus munera, & onera? 215. & seq. v. *Ætas.* v. *Baptismus* in calce.

Adoratio. Species panis & vini à Christo separatæ, num, & qua adoratione sint adorandæ? 90

Adulter, & *Adultera*, in adulterio explicandum in confessione, an conjugatus peccaverit cum libera, vel contra. 285. Consentiente marito adhuc est grave peccatum. 293. Maritus, si in actu conjugali se morose delectet cum alia veluti præsente est species adulterii. 294. v. *Copula.*

Adultus non censetur dispositus ad habitum fidei, & spei, nisi præcedat actus fidei & spei: secus relate ad habitum charitatis. 318. In adultis, quæ intentio requiratur ad suscipienda Sacramenta. 47. v. *Sacramentum.*

Ætas pro ordinibus olim major requirebatur: nunc autem quæ requiratur ex Tridentino pro singulis ordinibus? 235. Num anni, quæ requiruntur, debeant esse completi, an verò sufficiat, si sint inchoati? 236. Num licita vel saltem invalida sit ordinatio ante legitimam ætatem? *ibid.* & seq. Quis dispensare possit in ætate ad ordines requisita? 238

Altare est locus immediatus Sacrificii. 154. Absque eo celebrare grave sacrilegium est. *ibid.* Quod sit altare aptum sacrificio ; & num consecretur per merum sacrificium bona, vel mala fide in eo factum ? 155 Qualis esse debeat lapis consecratus. *ibid.* Quinam usus altaris portatilis sit hodie prohibitus. 167. In quo casu possit licitè celebrari in hujusmodi altari. *ibid.* Non licet celebrare in altari execrato: Quando autem intelligatur execratum? 156. v. *Ecclesia* seu *Templum.*

Alumni Religiosorum num, & quos casus reservatos incurrant, & à quibus absolvendi ? 431

Amens. Perpetuò amentes num possint confirmari? 86 Num possit iis ministrari extrema unctio? 201. & 122. Vel Eucharistia saltem in mortis articulo. *ibid.* Quid de cæteris Sacramentis ? 47. Num, quando sufficit consensus habitualis, conferri possit Sacramentum amenti, qui dum fuit rationis compos, illud voluit, vel voluisse præsumitur. 49. Porro post septennium ingredi omnino non possunt monasteria. 481

Angelus nequit esse minister Sacramentorum. 24

Apostasia. Quæ Apostasia à Religione sit casus reservabilis in ordinibus religiosis ? 526. Nocturna & furtiva è monasterio, seu conventu egressio etiam non animo apostatandi facta est item inter casus Clem. VIII. reservabiles in iisdem ordinibus. *ibid.*

Apellatio. Apellantes ab ordinationibus Rom. Pontificis ad futurum concilium &c. excommunicantur in bulla cœnæ. 466. Item omnes, qui prætexentes frivolam appellationem à gravamine &c. literarum apostolicarum &c. ad curias seculares recurrunt. 473. Item, qui prætextu literarum apostolicarum &c. causas spirituales &c. à Judicibus Ecclesiasticis avocant. &c. 474

Applicatio Indulgentiarum. v. *Indulgentiæ.* Operum satisfactoriorum. v. *Satisfactio Sacramentalis.*

Approbatio est *judicium, quo Superior declarat aliquem Sacerdotem esse idoneum ad audiendas confessiones.* 386 Sine approbatione sitne invalida absolutio ? *ibid.*

Approbatus ad Confessiones sæcularium. Hæc approbatio fit ex Trid. tripliciter. 387. Debet dari gratis, secus est illicita, sed probabiliter valida. *ibid.* Quid, si detur ex vi, vel metu, vel Episcopus erret circa idoneitatem, vel externe tantum approbet? *ibid.* Superior

rior approbatus ad confessiones secularium est Episcopus, etsi nondum consecratus, vel vitandus, vel ejus Vicarius Generalis, vel sede vacante Vicarius capitularis. *ibid.* Num approbare etiam possint, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem? vel Nuntii Apostolici, Legati in Provincia, Capellani majores relatè ad confessiones militum, vel domus regiæ? *ibid.* Episcopus existens extra suam diœcesim num possit approbare Sacerdotem pro sua diœcesi? *ibid.* & seq. Num Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, vel Parochus mutans parochiam &c. 388. Quivis Sacerdos ad confessiones sæcularium indiget approbatione Episcopi. 389. Non ergo sufficit approbatio universitatis ad gradus licentiati, Doctoris &c. nec approbatio semel habita à Vicario Papæ in Urbe, ut possit intelligi approbatus pro toto orbe. *ibid.* A quo Episcopo fieri debeat hæc approbatio. *ibid.* Num Confessarius secularis diœcesanus approbatus in una Diæcesi, si peregrinetur extra illam, possit absolvere subditos illius diœcesis etiam peregrinantes. 390. Num idem dici possit de confessario regulari diœcesano pariter extra Diœcesim peregrinante. 391. Ad approbationem pro confessione sæcularium non sufficit esse idoneum, & Episcopo præsentatum, sed requiritur ejus judicium saltem tacite manifestatum. *ibid.* Episcopus approbare potest vel absolutè, vel limitate ad tempus, locum, & personas. *ibid.* Licet possit non admittere Sacerdotem ad examen, si tamen admiserit, & idoneum repererit, peccat contra justitiam, si illi negat sine justa causa approbationem. 392. Quoad regulares, quid Episcopo liceat, quid non? *ibid.* Num possit illos iterum examinare? *ibid.* Vel suspendere facultatem confessiones audiendi omnibus simul alicujus conventus &c. *ibid.* Regularis approbatus num possit quovis tempore, & quorumvis etiam infirmorum confessiones audire? *ibid.*

Approbatus ad Confessiones Regularium. Ad Confessionem Religiosorum exemptorum non requiritur approbatio Episcopi, sed facultas Superioris regularis. 392 Hic potest approbare, seu deputare quemvis Sacerdotem etiam alterius ordinis, etiam secularem non approbatum ab Episcopo. *ibid.* Nomine Religiosorum num veniant etiam Equites melitenses. 392. Vel Novitii? 393. v. *Novitius.* Num etiam seculares domus

religioſæ? Alumni ejusque familiares? *ibid.* Hujusmodi autem qui ſint? *ibid.* Tenetur tamen ire ad Parochialem Eccleſiam pro communione paſchali. *ibid.* Num ad id teneantur etiam famuli? *ibid.* Confeſſarii Regularium num poſſint hos, imo etiam Novitios, familiares, &c. abſolvere etiam extra conventum, & Diœceſim? *ibid.* & 379. v. *Religioſi Soc. Jeſu.*

Approbatus ad Confeſſiones Monialium. Quid requiratur, ut quis ad Confeſſiones Monialium ſit approbatus? 394 Approbatus pro uno monaſterio, vel pro una vice non intelligitur approbatus pro alio, vel pro pluribus. *ibid.* Approbatus pro duabus, vel tribus monialibus in aliquo monaſterio, nequit alias aliarum monialium confeſſiones audire. *ibid.* Hujusmodi approbatio relate ad moniales etiam exemptas dari debet ab Epiſcopo Diœceſano. *ibid.* Et quoad exemptas non ſine ſpeciali etiam licentia Superioris ordinis: ſecus, quoad non exemptas. *ibid.* Confeſſarius ordinarius durat ad tres annos. *ibid.* Extraordinarius debet offerri bis, vel ter in anno ab Epiſcopo, ſi monaſterium ſit ſubjectum Epiſcopo: à Prælatis Regularibus, ſi his ſit ſubjectum monaſterium, quodſi hi non offerant, poteſt aſſignare Epiſcopus. *ibid.*

Approbatus ad Confeſſiones Privilegiatorum. Privilegiati hic ſunt, qui ſive jure, ſive à conſuetudine, ſive ab homine habent facultatem eligendi ſibi confeſſarium non approbatum. 395. A jure hoc habent Epiſcopi, etſi tantum confirmati, & titulares: item, etſi excommunicati, ſuſpenſi, aut depoſiti: ſecus, ſi ſint degradati, aut nondum confirmati. *ibid.* Privilegiatus exiſtens in aliena Diœceſi nequit eligere ſibi ſimplicem Sacerdotem illius Diœceſis: benè verò approbatum, vel ſimplicem ſuæ Diœceſis. *ibid.* Qui alii jure gaudeant hoc privilegio? 396. Qui ſaltem à conſuetudine? *ibid.* Privilegium ab homine habere poſſunt tantum ii, quibus Epiſcopus, vel Papa concedat. *ibid.* Approbatus pro viris tantum num poſſit tempore Jubilæi audire confeſſiones monialium? *ibid.*

Aqua. Quæ aquæ quantitas requiratur ad vini conſecrationem, & num neceſſariò &c. v. *Vinum.* Quæ, & in quanta quantitate ſit materia certa ad baptizandum? 61. Quæ ſit materia dubia? 60. v. *Baptiſmus.*

Articulus mortis. v. *Moribundus. Reſervatio.*

Archiepiscopatus. Archiepiscopus. Archiepiscopatus num sit ordo diversus ab Episcopatu? 204. Quid possit circa absolutionem à reservatis, & censuris? 439. v. *Episcopus.*

Attritio est *dolor, & detestatio peccati non ex motivo charitatis, sed alterius virtutis moralis.* 310. Ejus motiva sunt turpitudo peccati, gehennæ, & pœnarum metus, & amissio gloriæ. 311. & seq. Se sola non sufficit ad justificationem peccatoris extra Sacramentum. 313. Est sufficiens tamen in Sacramento, etsi nullam involvat formalem Dei dilectionem. 314. & seq. Detestatio peccati ex solo metu gehennæ falsum est, quod contineat hoc adjunctum: *Peccarem, si gehenna non esset.* v. *Dolor.*

B.

Baptismus. Quod sit ejus etymon? 55. Variè appellatur. *ibid.* Definitur communiter *ablutio corporis exteriòr facta sub præscripta forma verborum &c. ibid.* Aliter definitur à Catech. Rom. 56. Ejus virtus ad quosnam effectus se extendat? *ibid.* & seqq. Alius est fluminis, alius flaminis, alius sanguinis. 56 Num ad baptismum sanguinis necessariò prærequiratur contritio, vel dilectio Dei super omnia? *ibid.* v. *Martyrium.* De fide est, fuisse institutum à Christo Domino. 58. Dubitatur de tempore. *ibid.* Præcipitur baptismus omnibus etiam infidelibus præcepto positivo divino, estque necessarius necessitate etiam medii, vel in re, vel in voto ad salutem. 58. Num possit vel etiam teneatur quis se objicere certo mortis periculo, ut baptizetur. 59. Ejus materia remota est aqua elementaris: quid autem intelligatur hoc nomine? *ibid.* Sunt inepta ad baptismum lacrymæ, sudor, cerevisia & alia apposita. 60. & seq. Num ad licitè baptizandum requiratur semper aqua consecrata? *ibid.* Materia proxima est ipsa ablutio, quæ tripliciter fieri potest. *ibid.* Num requiratur, ut qui profert formam, ipse baptizantem abluat? 61. In qua parte, & qua aquæ quantitate debet ablui infans, qua valide baptizetur. *ibid.* Ex præcepto Ecclesiæ abluendum caput. *ibid.* Num valeat, & liceat baptismus infanti collatus per ejusdem projectionem in puteo? *ibid.* Quæ sit

baptimi forma uſurpata à latinis, quæ à græcis? 62 Ad ejus validitatem requiritur expreſſio ſaltem implicita baptizantis, item explicita baptizandi, ipſius actionis abluendi, & unitatis divinæ Naturæ cum Trinitate Perſonarum. 63. Num & quomodo unus baptiſmus conferri poſſit à pluribus, vel plures ſimul baptiſmi ab uno? *ibid.* Qui ſit baptiſmi Miniſter Ordinarius, qui in caſu neceſſitatis, & num opus habeat facultate Epiſcopi? 65. Quis ordo ſub gravi, vel ſub levi ſervandus ſit in adminiſtratione baptiſmi in caſu neceſſitatis? 66. Quibus ritibus miniſtrandus baptiſmus ſolemnis? 67. Requiritur potiſſimum deſignatio Patrini; de quo. v. *Patrinus.* Baptiſmi ſubjectum eſt unus homo viator: non ſatyri, non monſtra, neque infantes in utero matris totaliter exiſtentes. 69. & ſeqq. Num baptizari poſſint filii infidelium, mancipiorum, hæreticorum, & Apoſtatarum invitis parentibus? 71. Quid, ſi ſint infantes morti proximi? 72. Quid, ſi pater ſive hæreticus, ſive infidelis petit, filium baptizari? *ibid.* Quid, ſi baptiſmus conferatur ab Ariano? 32. Quandonam baptiſmus iterari poſſit, aut debeat ſub conditione? 72. & ſeq. Num valeat baptiſmus collatus ab obſtetrice, & quando? 73. v. *Obſtetrix.*

B. Virgo non recepit gratiam Sacramenti Pœnitentiæ, ut putavit Albert. Magn. 327

Beneficium. Beneficii Epiſcopus quis ſit? 223. v. *Ordo.* Qui titulus Beneficii? 246. v. *Titulus.* Quæ ſit ſuſpenſio à Beneficio. v. *Suſpenſio.*

Beſtialitas. v. *Luxuria.*

Bibliopola num, & quando incurrat caſum reſervatum in Diœceſi Neapol. cum excomm. lata contra ementes libros &c. non exhibito prius Deputatis emptorum librorum Catalogo? 517

Blasphemia. Num omnes Blasphemiæ ſint ejusdem ſpeciei; & quid in Confeſſione exprimendum? 291. Tria requiruntur ad incurrendum primum caſum ſine excommunicatione reſervatum in hac Diœceſi contra *Blasphemantes*, &c. 519. Quando excuſari poſſunt Blasphemantes à tali incurſione? 520

Bulla Cœnæ. Uſus hujus Bullæ quando incepit? 457 Renovatur ſingulis annis in Cœna Domini. *ibid.* Continet 20. excommunicationes latæ ſententiæ ſtrictiſſimè reſervatas Papæ. *ibid.* Usque ad 477. Num dicendæ ſunt à Jure, an ab homine? 458

Bulla Cruciatæ quomodo intelligenda quoad facultatem absolvendi à Censuris? 455. Vi hujus Bullæ nequit quisquam complicis confessionem audire Ben. XIV. 512. Neque potest quisquam sibi eligere Confessarium sacerdotem non approbatum. 395

Bulla Jubilæi quomodo intelligenda quoad facultatem absolvendi à casibus, & censuris reservatis, commutandi vota &c. 452. & seq. Num in Jubilæis requiratur, ut opera injuncta fiant in gratia? 368. Ex Bulla Jubilæi nequit quis sibi eligere in confessarium sacerdotem non approbatum. 396. v. *Regularis. Approbatus ad Confessiones Privilegiatorum. Moniales &c.*

C.

Cadaver. v. *Sepultura Ecclesiastica. Homicidium.*

Cæcus quomodo confiteri debeat, præsertim, si cœcus simul sit ac surdus, & mutus nativitate. 347

Calix & quidem consecratus sub mortali requiritur ad Missæ celebrationem. 186. Cujus materiæ possit, & debeat esse. *ib.* Si denuo inauretur, probabiliter non indiget nova consecratione. *ib.* & seq. v. *Presbyter. Presbyteratus.*

Canonicus, Canonicatus. Canonicus Cathedralis debet sepeliri in sepulchro Canonicorum ejusdem, &, si hoc desit, in sepulchro suæ familiæ. 423

Capitulum sede vacante potest à primo anno vacationis dare testimoniales suis subditis habentibus aliunde dimissorias, imo & dare licentiam Episcopo, etiam nullatenus, ibi exercendi Pontificalia. 232. Num etiam dimissorias? 228

Capellanus. Quid agere debeat, si obligatus celebrare in tali Ecclesia, hæc sit polluta, execrata, vel interdicta. 169. Num teneatur statim initio cujuscunque anni, & sine interpellatione celebrare numerum Missarum, ad quem redactum est de licentia sedis Apostolicæ onus Missæ quotidianæ. 182. v. *Sacerdos.* Num Capellani Majores possunt Sacerdotes approbare relatè ad confessionem militum, & domus regiæ. 387

Carcer. Incarceratus. Carcere detenti num urgeantur præcepto confessionis annuæ? 268

Cardinalis. Cardinales etiam non Episcopi possunt de jure communi indulgentias concedere in Ecclesiis suorum titulorum. 366

Casuum reservatio. v. *Reservatio Casuum* Casus reservati Papæ sunt 20. Bullæ Cœnæ. Sunt item 6. specialiter reservati extra urbem intra Italia. a his versibus comprehensi.

Jura Sacri violata loci, vel Septa Sacrarum
Virginum, & in Clero cum violenta manus.
Simonia fide, aut facto producta: Duellum:
Hos intra Italiam non nisi Papa levat.

v. 478. ad 491. quid veniat nomine Italiæ? 478. Alii sunt in corpore Juris, aliisque Const., & 84. hic enumerantur. 491. Non reservati 60. enumerantur. 496. & seq. Casus reservati Episcopis alii sunt à Jure, vel consuetudine, alii, quos ipsi Episcopi sibi reservant, & exponere solent in tabellis suis. 439. & 501. num horum reservatio cesset mortuo Episcopo, præsertim, si ille aliquem sibi casum reservavit per modum mandati. *ibid.* Expenduntur cum suis notis 16. Casus reservati in Diœcesi. Neapol. cum excomm. & 7. sine excomm. quos omnes suis versibus comprehensos habes:

Hæreticos adiens, & abutens chrismate; spondens
Obsequium diti: Vos quoque sortilegi.
Virginis alloquium: falsi cum crimine testes,
Complicis absolvens crimina, sollicitans.
Incestus; Clericumque trahens laicum ante tribunal:
Quique necem in templo: quique venena parat.
Invectans libros, simulantes Paschate schedam,
Falsificans nummos, sponsaque juncta toro.
Blasphemus, sodoma, & sibi fassum sæpe Sacerdos
Sollicitans: medicus, qui Sacra non jubeat.
Qui pia defraudat monitus loca; pellice lectum
Qui scelerat, qui nec paschate Sacra capit.

v. 501. ad 528. Num hi casus incurrantur ab omnibus etiam pueris. 524. Sex adhuc adnotantur. *ib.* Circa hujus reservationem expenduntur 11. Casus Clem. VIII. Qui reservari possunt in ordinibus Religiosis. 525

Catechumenus. Pro catechuminis possitne offerri Missæ Sacrificium? 152

Chrisma.

Chriſma. v. *Confirmationis ſacramentum. Extrema Unctio.*

Chriſtianus. Chriſtiani captivi num licitè remigent metu mortis in triremibus Turcarum invadentium claſſem Catholicam, vel licite Turcis porrigant arma &c. 367. & ſeq.

Circumciſio in lege veteri num cauſabat gratiam, & virtute ſua delebat originale. 4

Circumſtantiæ peccatorum. v. *Peccatum. Confeſſio.*

Clauſura Monialium eſt *ſpatium intra januam Monaſterii ſemper clauſam, & cætera Monaſterii loca, quæ ea janua continentur.* 481. Violatur, tum per egreſſum ipſarum Monialium, tum per ingreſſum aliarum perſonarum. *ibid.* Quæ autem perſonæ poſſint ex privilegio ingredi, *ibid.* Ingredientes ſine debita licentia, quam excomm. incurrant? 482. Prælati vero pontificalis dignitatis, ſi ingrediantur, præterquam in caſibus ſibi conceſſis, plures pœnas incurrunt. *ibid.* Num in egreſſu, vel ingreſſu detur, & quæ ſit parvitas materiæ. *ibid.* Quid hac in re liceat ex neceſſitate, vel periculo, puta incendii, terræmotus &c. *ibid.* Num caſus à Clement. VIII. reſervatus tantum complectatur, qui illam violat ex malo fine fornicandi, an vero ob alios etiam malos fines: puta furandi, &c. *ibid.* Num etiam Moniales converſæ, Educandæ, Oblatæ, Novitiæ teneantur ad clauſuram, an vero ſaltem ex parte eximantur. 481

Clericatus, Clericus. Incedens ſine habitu Clericali, & tonſura, item omittens adſcribi alicui Eccleſiæ num amittat præfatum privilegium? 215. & ſeq. & 477. Clericus num gaudeat immunitate Eccleſiaſtica contra ſuum Judicem Eccleſiaſticum. 481. Num Clericis Diacono inferioribus poſſit, ſin minus ab Epiſcopo, à ſummo ſaltem Pontifice delegari facultas diſpenſandi Euchariſtiam. 112. Clerici inducentes aliquem ad vovendum &c. Sepulturam in eorum Eccleſia &c. incurruntne excommunicationem. 421. v. *Regulares.*

Cæmeterium. v. *Eccleſia. Sepultura Eccleſiaſtica. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ. &c.*

Communio. v. *Quotidiana communio. Euchariſtiæ Sacramentum.*

Commutatio pœnitentiæ Sacramentalis. v. *Satisfactio Sacramentalis.*

Complex.

Complex. Num debeat pœnitens in confessione manifestare complicem, si non possit aliter integre confiteri suum peccatum, vel aliquam ejus circumstantiam? 346. Quando fieri potest confessio integra sine complicis manifestatione, est illicita talis manifestatio: imò à Bened. XIV. damnata fuit praxis nonnullorum confessariorum exquirentium nomen complicis. *ibid.* * Adde, quod hic Pontifex in alia Const. edita die 2. Junii anno 1746. cujus initium *ubi primum* (& cujus mentio non fit in opere) addit excommunicationem latæ sententiæ sibi reservatam in docentes oppositum, vel scriptis, aut verbis eam praxim defendere præsumentes &c. In Confessarios vero contrafacientes, ultra peccati lethalis incursum, suspensionem ab officio audiendarum confessionum, aliasque graviores pœnas inferendas statuit. * In Synodo Neapolit. imo & pro tota jam Ecclesia ex Bened. XIV. tollitur omnis facultas absolvendi à peccatis venereis, quorum confessarius fuit complex. 512. Etiam in articulo mortis, si adsit alius, etsi simplex Sacerdos. Quid, si hic alius sacerdos sine infamia, vel scandalo vocari nequeat, vel hoc ipsum confingatur à pœnitente in articulo. 513

Concordata inter Sanctiss. P. N. Bened. XIV. & piissimum Regem nostrum Carolum quæ sint. 477. & 481.

Concubinarius. Concubina. Concubinarius est, *Qui frequenter habet copulam cum eadem fœmina cum animo retinendi illam, tanquam suo usui mancipatam.* 522. Quomodo intelligendus 6. casus reservatus in Diœcesi Neapolit. sine excommunicatione circa reservationem absolutionis relate ad concubinarios, & concubinas. *ibid.*

Confessarius. Quæ potestas ordinis debeat haberi à confessario, ut suum ministerium rite exequatur. 371. v. *Pœnitentiæ Sacramentum.* Quid agendum sit confessario dubitanti, utrum habeat facultatem necne in reservata. 455. Excitans pœnitentem ad contritionem non descendat ad particularia Dei amori posthabenda. 309. Frangatne sigillum confessarius interrogans voce alta pœnitentem *quoties peccaverit?* Vel acriter eum increpans, vel ei imponens pœnitentiam publicam? 550. v. *Sigillum.* Confessarius, ut licite absolvat pœnitentem debet esse moraliter certus de ejus dispositione. 537. Hæc moralis certitudo debet accipi respective,

ctive ad pœnitentem. *ibid.* Quando tenetur sub gravi illum absolvere. *ibid.* Quando potest prudenter ei differre absolutionem. 538. Si dubitet de ejus dispositione non potest absolvere. *ibid.* Num possit, vel etiam teneatur aliquando illum absolvere conditionate. *ibid.* v. *Absolutio.* Num aliquando debeat, vel saltem possit absolutionem iterare? 539. Confessarii qualiter debeant se in praxi gerere cum pœnitentibus, qui debent repetere confessiones invalide antea factas. 338. Confessarius quadruplex gerit officium: unde plures habet obligationes? 397. Debet esse probus: qualiter ergo peccet ministrans hoc sacramentum in mortali, & quid agere debeat, si petatur ad audiendas confessiones? *ibid.* Num ligatus censura peccet absolvendo, si per contritionem se ponat in gratia. 398. Debet scire, quæ ad suum officium pertinent. *ibid.* Proindeque debet habere scientiam habitualem, actualem, & per interrogationes acquisitam, ut licite Sacramentum Pœnitentiæ administret. *ibid.* Quoad habitualem tria scire debet. 399. Num tum ad licite, tum ad valide absolvendum? *ibid.* Quanta debeat esse confessarii scientia, ut licite administret hoc Sacramentum? *ibid.* v. *Pœnitens.* Quæ est scientia actualis, quam habere debeat confessarius. 401. Qualiter peccet, si audiens confessiones non attendat ad peccata pœnitentium. *ibid.* Quomodo debeat recordari peccatorum pœnitentis, dum eum absolvit. 402. Licet debeat formare judicium de auditis in confessione ante absolutionem, non tamen tenetur judicare de singulis peccatis in particulari. *ibid.* Si post datam absolutionem vel pœnitens, vel confessarius re melius perpensa advertat esse veniale, quod absolutum fuit ut mortale, vel contra, ad quid teneantur. 403. Quid si pœnitens confitendo afferat casum difficilem. *ib.* Quando debet Confessarius interrogare pœnitentem, sciat nec ne requisita ad confessionem. *ibid.* Num, si videat pœnitentem deficientem ab integritate confessionis debeat illum interrogare. 404. Quando non tenetur, nisi leviter tantum, illum interrogare. *ibid.* Interrogatio debet esse discreta respective ad statum pœnitentis. 405. Hinc rudior pœnitens de pluribus est interrogandus. *ib.* Debetne interrogare pœnitentem tacentem peccatum, quod clarè commisit, & quid, si pœnitens illud neget. 406. Post moralem autem diligentiam

non

non tenetur ulterius pœnitentem interrogare: nam non tenetur exactius illum interrogare, quam teneatur pœnitens se examinare. 404. Habens ex officio curam animarum, teneturne semper sub gravi admittere pœnitentem ad confessionem? 406. v. *Parochus. Testis.* Quid de reliquis non habentibus curam animarum. 407. Num debeat ignorantem mysteria fidei, vel indispositum prius instruere, ut eum possit absolvere. 408. v. *Absolutio.* Num debeat ignoranti e.g. invaliditatem sui matrimonii impedimentum aperire. *ibid.* & seq. Si pœnitens illum interroget: an aliquid sit peccatum, præceptum &c. num debeat illi aperire veritatem. 409. Tenetur in multis monere pœnitentem ad denunciandum. 410. v. *Denunciatio.* Confessarius sollicitans. v. *Denunciatio. Sollicitatio.* Quæ sint cæteræ obligationes confessarii monendi, & docendi pœnitentem &c. 418. v. *Reus. Juramentum* in calce. *Magus. Sepultura Ecclesiastica. Absolutio à reservatis, & censuris.* Confessarii Regulares quid possint circa absolutionem à casibus, & censuris reservatis Papæ? quid Confessarii sæculares. 436. & seq. Quid circa reservatos Episcopis? 440. & seq. Num Confessarii sæculares, vel Regulares possint aliquando extra articulum, vel periculum mortis absolvere à casibus expositis in tabella non petita priùs facultate. 442 Confessarius cruciatæ. v. *Bulla Cruciatæ.* Confessarius debitorem audiens in Confessione. v. *Debitor.* Confessarius habens potestatem in reservata. v. *Absolutio à reservatis. Reservata.*

Confessarii approbatio. v. *Approbatio. Approbatus &c.*

Confessarius Monialium. v. *Approbatus ad Moniales.*

Confessionis præceptum. v. *Pœnitentiæ Sacramentum.*

Confessio. v. *Pœnitentiæ Sacramentum. Peccatum. Examen. Contritio.* &c. Confessio oris est *Externa ac sensibilis accusatio proprii peccati in ordine, ad absolutionem sacramentalem accipiendam.* 323. Sexdecim sunt ejus qualitates (non tamen omnes illi essentiales) quatuor versibus comprehensæ. *ibid.* Nequit fieri absenti per litteras, aut internuncium. 325. Materia confessionis sufficiens sunt sola peccata fidelium. 326 Num etiam censuræ, peccata merè putata, imperfectiones morales? 326. v. *Imperfectio. Regula.* Venialia, quæ, & quomodo esse possint materia confessionis. 327 Num possint ex industria aliqua omitti in confessione, *ibid.* v. *Dolor.* Quid de mortalibus alias rite confessis.

fessis. 328. Materia necessaria sunt omnia, & singula mortalia, ita ut exprimendus sit in confessione etiam mortale in individuo. 329. Num confitendus etiam effectus peccati mortalis? *ibid.* Num non solum circumstantiæ mutantes speciem, sed etiam notabiliter peccatum intra eandem speciem aggravantes. 330. & seq. Num confitenda etiam necessario consuetudo peccandi mortaliter. 332. Quid significet vox *circiter* addita in confessione numero expresso peccatorum. 333. Qui bona fide dixit in confessione, se v. g. Decies circiter peccasse, & postea comperiat, undecies. &c. vel qui bona fide apparuerunt statum animæ suæ confessario, & postea distinctius ejus recordentur, ad quid teneantur. 341. Num peccatum mortale dubium sit materia necessaria confessionis? 334. Num se solo sit materia confessionis? 337. Hoc autem tripliciter potest esse. 333. Mortale dubium confessum ut tale, si deinde deprehendatur ut certum, num iterum ut certum debeamus illud confiteri. 341. Quid de pœnitente, qui bona fide integrè exposuit sua peccata confessario imperito. 342. Qui suscipit sacramentum pœnitentiæ, sine debito dolore, integritate &c. unum peccatum commisit, & satis sit, si confiteatur: *Confessus sum sacrilegè.* 292. Jactantia de peccato præterito quomodo in confessione aperienda? 285. Quomodo omissio auditionis sacri in die festo? 289. Quomodo peccata contra castitatem? 283. & seq. & 292. & seq. v. *Luxuria. Sodomia. Incestus. Adulterium. Inducens ad malum. Virginitas.* Peccata sunt confitenda, ut sunt in conscientia: certa ut certa, dubia ut dubia. 342. Hinc si invincibiliter ignorabas malitiam, vel non advertebas ad aliquam circumstantiam, illam non contraxisti. *ibid.* v. *Mendacium in Confessione.* Quæ mortalia antecedentium confessionum sint materia necessaria confessionis præsentis. 338. Invaliditas confessionis potest oriri tum ex defectu pœnitentis, tum confessarii. *ibid.* v. *Reservatio.* Si confessiones invalidæ repetantur apud confessarium diversum à primo. Debent omnia, & singula mortalia repeti: secus, si apud eundem Confessarium. 338. Num in dubio pœnitens debeat repetere confessiones antea factas, & qualiter cum iis debeant se gerere confessarii. 339. & seq. Mortalia indirectè absoluta in alia confessione sunt materia necessaria confessionis præsentis. 340. Quæ sint

sint hujnsmodi peccata. *ibid.* v. *Censura. Reservatio.* Num mortale in Confessione oblitum, si memoria occurrat ante communionem debeat ante hunc subjici clavibus. 341. Quæ sit confessio formaliter tantum integra, & non materialiter, & quæ tum formaliter, tum materialiter integra. 345. Confessio formaliter tantum integra licet, si adsit impotentia, sive physica, sive moralis. *ib.* v. *Impotentia Moralis. Impotentia Physica.* Non est tamen causa sufficiens dimidiandi confessionem concursus populi. 348

Confirmationis Sacramentum. Confirmatio quare sic dicta. 74. Quandonam instituit Christus hoc Sacramentum. *ib.* Num apostoli non solum impositione manuum, sed & Chrismatis unctione uterentur in hujus Sacramenti administratione. 75. Ejus materia remota est Chrisma ab Episcopo benedictum. *ib.* Chrisma autem qua necessitate debeat esse mixtum oleo, & balsamo. *ibid.* Num liceat moribundum confirmare in necessitate solo oleo infirmorum. 76. Oleum debet esse olivarum, non ex nuce, vel grandi pisce: balsamus cujuscunque sit regionis. *ibid.* Num semper, & à quo debeant esse benedicta. *ibid.* Num non solum Chrismatis consecratio, sed etiam modus, quo consecratur, sit de jure divino. 77. Qualiter peccet Episcopus transgrediens Ecclesiæ ritum. *ibid.* Quando consecrandum est Chrisma, & quorum assistentia. *ibid.* Materia proxima est unctio in fronte confirmandi facta manu Episcopi in formam crucis. *ibid.* Num unctio fieri possit alibi à fronte, vel medio aliquo instrumento, vel alio digito præter Indicem. 78. Valeatne confirmatio, si Episcopus prius signet cruce, mox ungat. 77. Qui sit finis, & effectus hujus sacramenti. 78. Quæ ejus forma apud latinos, quæ apud Græcos. *ib.* Quid debeat necessario explicari in forma. 80. Variæ fuerunt ab initio Ecclesiæ manuum impositiones, & variæ unctiones. *ibid.* Minister ordinarius confirmationis est solus Episcopus etsi excommunicatus, hæreticus &c. *ibid.* Delegatus ab uno Papa potest esse simplex sacerdos, non tamen simplex clericus, vel laicus. *ib.* Ex parte ministri in hujus sacramenti administratione quatuor requiruntur. 82. Num, quando, & quibus ritibus, ac cæremoniis teneatur Episcopus illud ministrare? 83. Hujus Sacramenti subjectum est homo baptizatus. 85. Num requiratur semper voluntas suscipientis.

scipientis. *ibid.* v. *Infans, Amens.* An & qualis sit obligatio suscipiendi confirmationem. 86. Confirmationis reiteratio, utut grave peccatum, irregularitatem tamen non inducit. *ibid.*

Consuetudinarius num habere possit propositum efficax, si non possit habere spem aliquam non relabendi. 319. & seq. Sitne absolvendus. 545. & seq.

Consuetudo ipsa mortaliter peccandi num aperienda in confessione. 332

Conversæ Monialium. v. *Clausura.*

Contritio est animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. 295. Dividitur in perfectam, & imperfectam. *ibid.* Perfecta est *Dolor & detestatio de peccatis ex motivo charitatis.* v. *Attritio. Dolor.* 306. Num possit procedere ex motivo alterius virtutis Deum respicientis. 307. Debet se extendere ad omnia mortalia saltem virtualiter. 308. Non autem ad omnia venialia. *ibid.* Debet detestari peccatum super omnia mala saltem virtualiter, & implicite. 309. Num per eam remittatur non solum culpa, sed tota etiam pœna temporalis. 310. Contritio perfecta justificat etiam extra Sacramentum. 261

Copula. Diversimode habita quomodo mutet peccati species in confessione aperiendas. 294. Copula conjugalis in Ecclesia num haberi possit, & num ibi habita, illa polluatur. 159. Num communionem impediat. 128

Custo Monetæ. v. *Falsificatio.*

D.

Dæmon. Dæmoni spondentes obsequium, thus &c. item condentes, condere facientes imaginem, in qua dæmonem constringunt &c. Incurrunt casum reservatum cum excommunic. in Diœcesi Neapolit. 504

Damnatus. Pro damnatis ad inferos invalide & illicite offertur Sacrificium. 152. Damnatis ad mortem ob quodvis crimen est administranda Eucharistia. 119

Debitor. Debitores piorum locorum, sive eorundem debitorum administratores intra quod spatium tempo-

ris, niſi ſolvant, incurrant caſum reſervatum in Diœceſi Neapolitan. ſine excommun. 521

Decimæ. Imponentes quavis auctoritate decimas &c. perſonis Eccleſiaſticis &c. Sine expreſſa Rom. Pont. licentia, vel eas exigentes &c. excommunicantur in Bulla Cœnæ. 476

Delectatio moroſa quam peccati ſpeciem deſumat. 286. & 294.

Denunciatio. Obligatio denunciandi confeſſarios ſollicitantes eruitur, cum ex aliis Pontificum conſtit. tum potiſſimum ex Bulla Greg. XV. cujus verba citantur. 410. & ex nova Bulla Bened. XIV. cujus ſumma apponitur. Verba Greg. XIV. fuſius explanantur. 411. & ſeq. Debent denunciari, omnes, & ſinguli Sacerdotes ſollicitantes perſonas, quæcumque illæ ſint. &c. *ibid.* Qui hic veniant nomine Sacerdotum, & qui nomine perſonarum ſollicitatarum. 412. Debet ſollicitatio eſſe ad res venereas, quod verificatur, etiamſi pœnitenti tradat confeſſarius chartam poſtea legendam, ubi ad venerem incitat. *ibid.* v. *Dubium.* Per hæc verba: *ſollicitatio in actu ſacramentalis confeſſionis.* &c. Sex deſignantur caſus ſollicitationis deſignandæ. 413. Obligatio denunciandi confeſſarium ſollicitantem quosnam urgeat. 414. Cui fieri debeat hujusmodi denunciatio, & quandonam. *ibid.* Quinam ſollicitati excuſentur ab hac obligatione denunciandi: qui non: 415

Denunciator. Delator. v. *Accuſator.*

Deſiderium ſpecie diſtinquitur juxta executionem externam. 286

Diaconatus. Diaconus. Diaconatus eſt *ordo, quo datur poteſtas proxime miniſtrandi celebranti, legendique Evangelium in Miſſa.* 206. Quæ ejus materia remota, quæ proxima apud latinos, quæ apud Græcos. *ibid.* Quæ forma. 210. Quæ ejus munera, & onera. 215. & ſeq. v. *Ordo.* Diaconus, an & quando poſſit Euchariſtiam miniſtrare. 112. Diaconatus eſtne Sacramentum. 204. v. *Ætas. Tempora ordinationum.*

Dilatio abſolutionis. v. *Abſolutio.*

Dimiſſoriales litteræ ſunt, *quibus datur licentia accipiendi tonſuram, & ordines.* 227. A quibus dari poſſint. *ibid.* Num à quolibet Epiſcopo ſive originis, ſive domi-

domicilii, sive beneficii. 228. Quomodo intelligenda sit facultas data in dimissorialibus. 229. Adnotanda adhuc septem sunt circa has. 230. Num ordinatus uno ordine ab Episcopo originis possit sine dimissoriis alium ordinem suscipere ab Episcopo domicilii, & alium ab Episcopo beneficii. 225

Dispensatio pro Ordinibus. v. *Ordo. Episcopus. Pontifex. &c.*

Distinctio peccatorum numerica, vel specifica. v. *Peccatum.*

Divinatores incurrunt casum reservatum cum excomm. in Diœcesi. Neapol. 504

Dolor. v. *Contritio. Attritio.* Dolor requisitus essentialiter ad Sacramentum Pœnitentiæ debet esse formalis, & simul detestatio peccatorum: Item elici debet ex fide, & spe saltem virtuali. 295. & seq. Non ergo satis est dolor virtualis, vel putatus, vel tantum externus, nec merum propositum, nec quæcunque displicentia cum velleitate, vel dolor, quo quis doleat, se non dolere &c. neque in confessione venialium. 296. Quinque sunt qualitates veri doloris. 298. & seq. Num opus sit, ut dolor descendat ad detestanda singula mortalia, an vero sufficiat eorum detestatio universalis. 299. Num in confessione venialium requirantur etiam dictæ qualitates. 302. Quando dolor debeat elici, & quomodo fiat sufficienter sensibilis. 303. An elicitus ante confessionem, ut sufficiat ad sacramentum, debeat elici ex intentione confitendi. 304. & quamdiu ante confessionem elici possit. 305. Num idem dolor physice præteritus sufficiat pro pluribus absolutionibus. 306

Domicilium. Episcopus Domicilii. v. *Ordo.*

Dubium. Dubius. In Dubio an puer, vel quilibet alius æger unquam sit usus ratione, num possit dari extrema unctio. 201. Quid in aliis dubiis puta, sitne infirmus in certo periculo mortis, vel in gratia, &c. Peccatum dubium num debeamus confiteri. v. *Confessio.* Confessarius quid agere debeat in dubio de dispositione pœnitentis. 538. Vel in dubio de sua jurisdictione. 385. & seq. Num in dubio possit absolutionem iterare. 539. & seq. In dubio, an aliquid

quid cadat ſub ſigillum. v. *Sigillum.* In dubio, an puer habeat uſum rationis, quando obligetur ad annuam confeſſionem? 269. Dubium de ordine ſuſcepto. v. *Ordo.* Dubium de confeſſionibus antea factis, fuerint necne bonæ? 339. v. *Confeſſio.* Sitne denunciandus confeſſarius, ſi dubium ſit, an verba obſcura ab ipſo prolata fuerint ex prava intentione. 412. Dubitans confeſſarius habeat necne facultatem abſolvendi à reſervatis. v. *Confeſſarius.*

Duellum. v. *Homicida.* Duellum eſt *Duorum vel etiam plurium pugna deliberate ſuſcepta ex conditto, ſtatuto tempore, & loco cum periculo mortis, vel gravis vulnerationis.* 483. Quid ſi hoc accidat in rixa, vel fiat pugnis, vel fiat non ſtatuto tempore, & loco. *ibid.* In duobus tantum caſibus licitum eſt duellum. *ibid.* Num alii à duellantibus, puta conſulentes, permittentes in terris ſuis &c. excommunic. incurrant Papæ reſervatam extra urbem, intra Italiam. *ibid.* Quando proprie incurratur à duellantibus excommunicatio. 484. Quando à reliquis. *ibid.* Num etiam à ſpectatoribus. 483. A quibusnam incurratur excommunicatio etiam duello non ſecuto. 484. v. *Regulares.* Qualiter peccet, & num obligetur ad reſtitutionem, tum provocans, tum acceptans duellum, præſertim, ſi ſecuta ſit mors, vel mutilatio. *ibid.*

E.

Ebrietas. Ebrius. Num poſſit illi miniſtrari Extrema unctio. 201. v. *Impedimentum publicæ honeſtatis.*

Eccleſia. Quando Eccleſia ſuppleat, aut diſpenſet in aliquo ad valorem ſacramenti requiſito. 39. Quando Eccleſia ſuppleat jurisdictionem. v. *Jurisdictio. Sacramentum Pœnitentiæ.* Qui jurisdictiones, fructus, reditus &c. Ad ſedem Apoſtolicam, & ad quascunque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum &c. pertinentes uſurpant, ſequeſtrant &c. ſine debita licentia, excommunicantur in Bulla Cœnæ. 476. v. *Religioſi Societ. Jeſu* circa Eccleſiaſticam ſepulturam in ſuis Eccleſiis.

Ecclesia, sive *Templum*. Ecclesiæ nomine quid veniat. 157. In ea (nisi sit execrata, polluta, vel interdicta) debet fieri Sacrificium. *ibid.* A quo consecrari vel benedici possit. *ibid.* Pollui & violari potest per homicidium, effusionem sanquinis, effusionem seminis, & per sepulturam excommunicati vitandi, seu infidelis. *ibid.* & seq. Num polluatur etiam, si consecretur, vel benedicatur ab Episcopo excommunicato vitando. 158. An in ea publice polluta, antequam reconcilietur, licite fiat Sacrificium? 160. Quomodo autem concilietur? *ibid.* Quomodo execretur, & an in ea execrata celebrari possit. *ibid.* Execrata Ecclesia num & altaria ipsa execrentur, vel econverso; & num, si corruant ejus parietes, Ecclesia benedictionem amittat. 161. Ejus vero lapides, ligna &c. Cui usui inservire possint. *ibid.* Num celebrari possit in Ecclesia interdicta. *ibid.* Num Sacerdos e. g. forensis possit sine licentia Ordinarii alterius Diœcesis ibi celebrare. *ibid.* Regularium Ecclesiæ in casu necessitatis mutarine possint de loco ad locum à Provinciali? *ibid.*

Episcopatus est *ordo, quo datur potestas confirmandi, & ordinandi.* 208. Quæ ejus materia remota, quæ proxima. *ibid.* Quæ forma. 210. Num sit ordo ab aliis diversus. 204. Quæ sint Episcopi munera, & onera. 215. & seq. v. *Ætas. Tempora ordinationum.* Episcopatus Minister quinam sit. 220. Num pro assistentia duorum aliorum Episcoporum possint ex Papæ dispensatione esse duo Sacerdotes. 228

Episcopus. Num peccet consecrando in peccato Chrisma, calices, vel dando primam tonsuram &c. 36. Episcopus potest delegare facultatem dispensandi Eucharistiam Diacono, ex necessitate tamen gravi. 112. Num clericis, vel laicis. *ibid.* v. *Eucharistiæ Sacramentum.* Episcopus ordinarius potest Ecclesias etiam Regularium consecrare. 157. Potest tamen id alteri Episcopo, non verò simplici Sacerdoti delegare. *ibid.* v. *Religiosi Societ. Jesu. Ecclesia.* Nequit Episcopus concedere sæcularibus oratoria privata. 162. Bene vero habentia ostium patens extra domum: item potest exigere, vel mutare unum, vel plura oratoria in pluribus suis domibus Episcopalibus, villis &c. 162. Num possit Episcopus dispensare, ut Missa celebretur

alibi à loco obligationis. 169. Num poſſit aliquid accipere pro collatione ordinum. 219. Epiſcopus ex Papæ conceſſione concedere poteſt indulgentias: non tamen pro defunctis. 366. Epiſcopus approbans ad confeſſiones. v. *Approbatus.* Epiſcopus interdicens, deponens, degradans. v. *Interdictum. Depoſitio. Degradatio.* Epiſcopus num poſſit diſpenſare in ordinationibus extra tempora. 239. Epiſcopus ordinans. v. *Ordo. Dimiſſoriales. Teſtimoniales &c.* Quas pœnas incurrat Epiſcopus ordinans ſine titulo. 254. v. *Ordo.* Poteſt concedere jus perpetuum, & proprium ſepulturæ in aliquo loco. 425. Quid poſſit Epiſcopus circa abſolutionem caſuum reſervatorum Papæ, ſive per ſe ſive per Vicarium, ſive in caſu impedimenti perpetui, ſive diuturni &c. 433. Quid circa reſervatos Epiſcopis. 439. Num poſſit auditis tantum reſervatis abſolvere, & remittere pœnitentem, ut à reliquis abſolvatur per alium confeſſarium. *ibid.* Quid poſſit cum Regularibus? 444

Equites Melitenſes. v. *Approbatus ad Confeſſiones Regularium. Percuſſio Clerici.*

Error miniſtri circa perſonam ſuſcipientem ſacramentum, per ſe loquendo (ſi excipias matrimon.) non obſtat ejus valori. 31. Si ex errore falſo putes alicui peccato adnexam eſſe reſervationem, eam non incurris. 427

Euchariſtiæ Sacramentum. Quod ejus etymon. 88. Varie appellatur. *ibid.* Fuit à Chriſto inſtitutum in ultima ejus cœna, & probabilius in azymo. 89. Definitur; *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini ad ſpiritualem animarum refectionem divinitus inſtitutum. ibid.* Ad hujus conſtitutionem pertinent ſpecies tum panis, tum vini, tum ipſum Chriſti corpus ſub iis ſpeciebus contentum. 90. Verba conſecratoria ſunt pars eſſentialis hujus Sacramenti. *ibid.* Sumptio tamen eſt ſolum conditio neceſſaria, proindeque differt ab aliis Sacramentis. *ibid.* Quando Euchariſtia cauſat ſuum effectum. 91. Num Sacramenti gratiam ſuſcipiat, qui tamdiu retinet ſpecies in ore, donec diſſolvantur, vel moriatur, antequam hoſtia in ſtomachum deſcendat. *ibid.* Quid dicendum de Euchariſtia per miraculum poſita in ſtomacho

macho ſine ſumptione. *ibid.* Chriſti ſanguis, & corpus ſub ſpeciebus panis, & vini eſt unum ſpecie Sacramentum, non plura, unde autem hæc unitas deſumatur? 92. Diſcrimen apponitur inter ordinem & Euchariſtiam. *ib.* Unde deſumenda numerica hujus ſacramenti multiplicitas? *ib.* Non major ſuſcipitur gratia à ſuſcipiente plures particulas, quam à ſuſcipiente unam: num ſuſcipiens plures particulas recipiat majorem ſucceſſive gratiam per hoc, quod Chriſtus diutius ſit in ejus ſtomacho. 93. Quod ſit diſcrimen inter ſumptionem duarum particularum ſimul, & ſumptionem ſpecierum panis, & vini, & num harum ſumptio poſſit aliquo modo dici duorum Sacramentorum. *ibid.* In quo differat hoc Sacramentum à reliquis. *ibid.* Ejus natura dignoſcitur ab effectibus, quorum primarius eſt augmentum gratiæ: ſecundarii, qui cauſantur in anima, numerantur novem. 94. Qui cauſantur in corpore, quatuor. 95. Euchariſtia immediate ex opere operato remiſſionem cauſat venialium, quæ tamen ſaltem virtualiter deteſtanda ſunt. 94. Quæ ſit ejus materia proxima, quæ remota, & num poſſit ſaltem aliquando Sacerdos unam tantum ſpeciem conſecrare. 95. v. *Panis. Vinum.* Ad validam Euchariſtiæ conſecrationem duo requiruntur, & ut ſit præſens conſecranti, & ut ſit certa, atque à conſecrantis intentione in individuo determinata. 104. Num reputetur præſens materia in calice cooperto, in ciborio, vel tabernaculo clauſo, vel ſub corporali, miſſali &c. vel poſita in ſpeculo poſt tergum, infra pedem, poſt parietem, à latere &c. vel in modiciſſima quantitate. 105. & ſeq. v. *Hoſtia.* Quid requiratur ad licitam materiæ Euchariſtiæ conſecrationem; & num peccet, qui vas, in quo hoſtiæ conſecrandæ ſunt, non operit tempore conſecrationis, vel illas conſecrat extra corporale, vel guttas calicis exterius adhærentes intenderet conſecrare. 109. Quæ ſit forma Euchariſtiæ conſecrativa panis, quæ vini? *ibid.* Num & quod peccatum ſit aliquid immutare in hujus formæ prolatione. 16. & 109. Quomodo explicent Doctores ly *hoc* & *hic*, ly *meum* & *mei* in utraque conſecratione. 110. Verba conſecratoria quando operantur effectum ſuum. *ibid.* Quomodo ex eo, quod ex vi verborum ſub ſpeciebus panis (idem dic de ſpeciebus vini) ſolum Chriſti corpus ponatur, adhuc totus Chriſtus

sub utraque specie constituatur. *ibid.* Constituitur autem sub his speciebus ad modum spiritus. 111. Minister Eucharistiam conficiens (qui in hoc solum Sacramento esse potest distinctus à conficiente) est omnis & solus sacerdos. 111. Qui sit minister ex officio dispensans Eucharistiam, qui ex delegatione. *ibid.* Qui teneatur eam ministrare, præsertim in necessitate. 118. v. *Parochus.* Quid requiratur in Ministro ad validam Eucharistiæ confectionem? v. *Sacramentum.* Quid ad licitam. 113. & seq. v. *Jurisdictio.* Num possit minister Eucharistiam deferre ad infirmum sine habitu decenti, lumine &c. Currendo, aut illam deferendo, vel clam in sinu suo, vel in equo mansueto, illamque porrigendo aliis ab indice, & pollice digitis, vel medio aliquo instrumento &c. 116. Quid, si illam ministret sine *confiteor:* vel de uno ad alterum altare deferat sine lumine, vel sacris vestibus. *ibid.* Vel ministret indigno? v. *Sacramentum.* Tripliciter suscipitur Eucharistia à tribus personarum generibus. 121. Solius tamen hominis viatoris est illam suscipere. *ibid.* Quæ requiratur in illam suscipiente dispositio ex parte animæ. 125. v. *Intentio.* Num requiratur immunitas ab omni peccato etiam veniali, à censura &c. 125. & seq. Quod sit præceptum confitendi ante communionem, præsertim Sacerdotibus. 274. & seq. v. *Pœnitentia. Sacramentum. Sacerdos.* Ad principalem fructum Sacramenti, etiam Eucharistiæ suscipiendum, & ad alias gratias actuales obtinendas num requiratur actualis devotio. 51. & 126. Qualis obligatio suscipiendi Eucharistiam ex præcepto divino? 136. Quinam hoc præcepto obligentur? 137. & quando fideles. 138. Quando cessat hoc præceptum. 139. Quæ obligatio ex præcepto Ecclesiastico. 141. Præsertim circa Eucharistiam sumendam in Paschate. *ibid.* Quid veniat nomine Paschatis. *ibid.* Per communionem sacrilegam non satisfit huic præcepto. 143

Eucharistiæ Sacrificium. v. *Sacrificium Missæ.*

Examen conscientiæ est *diligens perscrutatio peccatorum latentium in conscientia.* 279. Per se loquendo ex præcepto divino illud tenemur præmittere confessioni. *ib.* Quod sit sufficiens, præsertim pro mortalibus. 280. quæ diligentia requiratur. *ibid.* Si ob fragilitatem timeas,

meas, ne diu morando in peccatorum examine in ea consensu prolabaris, num possis te breviter examinare. *ibid.* Num teneamur scripto adnotare peccata, aut complicem de eorum numero interrogare, aut in Kalendario. e. g. videre, quot diebus festis Missæ non interfuerimus: num nos examinare debeamus, etsi sciamus à Confessario diligenter interrogandos. 281. Num timorato, vel illi, qui paulo ante confessus est, sufficiat modica diligentia? *ibid.* Quæ diligentia adhibenda in articulo mortis. *ibid.* Quid agendum pœnitenti, cui sit moraliter impossibile numerum. scire suorum peccatorum? 283. v. *Confessio.*

Excommunicatio. Si moribundus fuit per simplicem sacerdotem absolutus ab excommunic. si hæc erat reservata, si convaluescit, remanet illi onus se præsentandi, quamprimum commode poterit, Superiori: non ut absolvatur iterum, sed ut illi præstet obedientiam. 373. & 418

Excommunicatus num ab eo liceat petere administrationem Sacramenti? 54. Num ipse peccet se ingerendo, vel tantum conferendo, si rogetur? *ibid.*

Execratio. Quomodo execretur Altare? 156. v. *Altare.*

Exorcista. Exorcistatus. Exorcistatus est ordo, *quo datur potestas fugandi dæmones ab Energumenis.* 205. Quæ ejus materia remota, quæ proxima. *ibid.* Quæ forma. 210. *Exorcistæ* munera, & onera quæ sint. 215. & seq. v. *Ætas.*

Expositus. Expositivus. Infantes expositii num sint rebaptizandi. 73

Extrema Unctio. Hoc Sacramentum fuit à Christo Domino institutum. 193. Ejus materia remota est oleum olivarum, an sufficiat chrisma in necessitate? 194. Oleum, qua necessitate debeat esse benedictum, & à quo. *ibid.* Num oleo sancto liceat miscere aliud non benedictum. *ibid.* Materia proxima est unctio. 195. Quas Corporis partes ungunt latini, quas Græci, & quas essentialiter. *ibid.* Quomodo fieri debeat unctio, præsertim in casibus periculosis, & qualiter peccaret Minister ritus transgrediens. 196. Quæ sit hujus Sacramenti forma. *ibid.* Tria debent per ipsam necessario significari. *ibid.* Quas preces omittere sit veniale

tantum. 197. Miniſter eſt unus Sacerdos. *ibid.* Num debeant plures intereſſe. *ibid.* Num Miniſter debeat eſſe proprius cujuscunque Paſtor, & num hic teneatur ſub gravi tale Sacramentum miniſtrare. 198. Num poſſint in neceſſitate plures ſimul ſacerdotes illud miniſtrare? 199. Solus periculoſe infirmus eſt ejus ſubjectum: quid autem hic veniat nomine periculoſe infirmi? *ibid.* Num quivis hujusmodi infirmi inungi poſſint, vel teneantur ſub mortali hoc Sacramentum ſuſcipere. 200. Qui ſit effectus primarius, qui ſecundarii Extremæ Unctionis. 202. Num dari poſſit homini, qui fuit ſemper in gratia, vel pueris ante rationis uſum, vel amentibus. *ibid.* Num huic Sacramento debeat neceſſario præcedere confeſſio ſacramentalis, & Viaticum. 203. Eſt iterabile. *ibid.* Quando debeat repeti ſub conditione. 194. v. *Parochus.* Num, cum defertur ad infirmum, debeat neceſſario lumen præcedere. 116. v. *Religioſus, Regularis.*

F.

Facultas abſolvendi. v. *Abſolutio.* Legendi libros prohibitos. v. *Liber.*

Falſificatio manus, aut ſigilli officialium monaſterii, aut conventus eſt caſus reſervabilis in Ordinibus Religioſis. 528. Falſum deponentes, Falſificantes apochas, inſtrumenta &c. præſentantes falſum patrimonium &c. quando proprie incurrunt caſum reſervatum cum excommunic. in Diœceſi Neapolitan.? 509. Item alium caſum cum excommunicat. incurrunt falſarii monetarum. 518. Item caſum Bullæ Cœnæ incurrunt falſificantes litteras Apoſtolicas, vel falſo fabricantes ſupplicationes, vel eas falſo ſignantes. 468

Falſus Teſtis. v. *Teſtis.*

Feſtorum obſervantia. Quot peccata committat, qui à primo mane diei feſti ſtatuit non audire Sacrum, & ſæpe usque ad meridiem hanc voluntatem repetit. 283. Num omne peccatum die feſto commiſſum habeat ſpecialem malitiam irreligioſitatis, & ſacrilegii. 290. Qui die natalis Domini, unam audit Miſſam, ſatisfacitne? 291

Filiusfamilias. Filius inobediens parenti in duabus rebus diversis, committitne duplex peccatum etiam specie diversum. 284. v. *Sepultura Ecclesiastica.*

Fratres minores de Observantia. Semel in vita possunt Confessarium de ordine seligere, à quo absolvantur ab omnibus reservatis, & censuris, & dispensentur in irregularitate excepta ex homicidio, vel mutilatione voluntaria: item in articulo mortis; & quidem toties, quoties sunt in eo articulo, possunt ab eo absolvi ab omnibus omnino sine ullo onere. 448. Num etiam his gaudeant Novitii, & familiares Conventus. *ibid.*

Furiosus. Num illi ministranda Extrema unctio. 201. v. *Impedimentum publicæ honestatis.*

Fur. furtum. Differt à rapina. 294. Furtum rei sacræ die sacro num sint duo sacrilegia. 291. & seq. Surripientes bona naufragantium Christianorum etiam in litoribus inventa excommunicantur in Bulla Cœnæ. 467. Item piratæ, cursarii, latrunculi &c. Discurrentes mare pontificium. &c *ibid.* Furtum de rebus monasterii &c. in ea quantitate, quæ est peccatum mortale, reservabile est in ordinibus religiosis. 528

G.

Gabellæ. Imponentes nova pedagia, seu Gabellas, vel eas augentes, præterquam in casibus à Jure permissis, vel ex speciali licentia Sedis Apostolicæ excommunicantur in Bulla Cœnæ. 468. Item, qui personis Ecclesiasticis &c. imponunt tallias, decimas, &c. 476. v. *Ecclesia. Ecclesiastici.*

Generalis Confessio. v. *Mendacium in Confessione.* Qualiter se gerere debeant Confessarii cum pœnitentibus repetentibus Confessiones invalide antea factas? 338. & seq.

Gladiatus, omisso scandalo num licite communionem sumat? 129

Grassator Publicus. v. *Bannitus.*

H.

H.

Hæreditas. Hæres. Num ultra dispensationem Episcopi indigeat Sacerdos consensu hæredis, ut celebret alibi à loco obligationis. 169

Hæresis. Num errores & dubia in fide sint ejusdem speciei? Num etiam dubium de fide est hæresis. 290. Quando incurratur excommunicatio reservata in Diœces. Neapol. contra adeuntes cœtus hæreticorum &c. 501. Quando excommunicatio Bullæ Cœnæ contra hæreticos, & eis credentes &c. 458. Quinam sint hæreticis credentes? *ibid.* Qui hæreticorum receptatores, fautores, & defensores. 459. v. *Liber.* Excommunicantur pariter in Cœna Domini deferentes arma, vel quid simile ad hæreticos per Apostolicam Sedem expresse declaratos &c. 469

Hermaphroditus. Num valide ordinetur. 213

Homicidium. Homicida. Qui occidens præterea discerpat cadaver, evellat cor, præsertim si faciat adhuc spiranti, est reus malitiæ specie distinctæ. 293. Item velle occidere, & graviter vulnerare specie differunt. *ibid.* Occisio, vel vulneratio seu gravis percussio cujuscunque personæ est inter casus Clement. VIII. reservabiles in Ordinibus religiosis. 529. Homicidia vero, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, cœmeteriis, aut sacristiis, aut publicis oratoriis patrantes incurrunt excommunicat. reservatam in Diœces. Neapolit. 515. Item incurritur excommunic. Bullæ Cœnæ ab interficientibus, mutilantibus, &c. Romipetas &c. 472. Item alia excommunic. ab interficientibus, mutilantibus &c. S. R. E. Cardinales, Episcopos &c. *ibid.* Item alia excommun. ab occidentibus &c. vel spoliantibus eos, qui pro suis negotiis sunt, vel recurrunt ad Romanam Curiam. 473

Hostia. v. *Sacrificium.* Hostiæ rubræ num possint esse materia consecrationis. 98. Quid agendum, si in distribuenda Eucharistia sacra Hostia decidat. 116. Quid de fragmentis hostiarum, quæ forte requiruntur &c. 117. Est figuræ orbicularis in Ecclesia latina, quadratæ in græca, & in particulis triangularis? 100. Num liceat celebrare cum hostia fracta, maculata, non

non integra, vel in hostia minore, quæ datur laicis? *ibid.* Num liceat parvam sumere, & majorem relinquere ad exponendum in hierotheca v. g. vel à se consecratam reponere in ciborio, & ab alio consecratam sumere. *ibid.* Num error sacerdotis consecrantis circa numerum hostiarum à se consecrandarum obsit validæ consecrationi omnium. 106. Num censendæ sint consecratæ particulæ positæ in ciborio, seu pyxide, in altari, ut consecrentur à celebrante, si hic tempore consecrationis ad eas nullimode se reflectat, vel cogitet. 107. Num invalide consecraret, qui ex multis hostiis unam aut plures intenderet consecrare, eas non determinando: & alia id genus. 106. v. *Eucharistiæ Sacramentum.*

I.

Jactantia. Ad quam peccati speciem pertineat jactantia de peccato præterito. 283. Quomodo in Confessione aperienda? 284

Jejunium naturale ante communionem in quo consistat, & per quid violetur? 129. Ita graviter obligat, ut non admittat materiæ parvitatem. *ibid.* Triplici ex capite frangi potest; vel quia id, quod sumitur habet rationem cibi, & potus, vel quia sumitur per modum potationis, & comestionis. Vel quia sumitur ab extrinseco. *ibid.* Plurima recensentur, quæ illud frangunt, plurima quæ non. 130. Post sumptam Eucharistiam, licet non sit præceptum, est tamen conveniens jejunium servare, quousque species absumantur. 132. Quando hæc credantur absumptæ. *ibid.* Quibus casibus liceat Eucharistiam sumere non jejuno. *ibid.* v. *Dubium.* Relate ad tale jejunium quomodo computanda media nox, & quo horologio sit utendum, si alicubi plura sint? 135

Ignorantia. Ignorans. Num incurrat reservationem, committit casum reservatum ignorans reservationem: & quid, si sciat peccato esse adnexam excommunicationem, cujus reservationem ignoret. 428

Immunitas Ecclesiastica quid sit? 478. Immunitate gaudet quævis Ecclesia auctoritate Episcopi stabiliter fundata

data. *ibid.* Quid de oratoriis, locis piis, hospitalibus, Palatio Episcopi, & partibus ipsius Ecclesiæ. *ibid.* Qualiter peccet, & puniatur impediens fugientem ad talia loca, vel violenter eum ab Ecclesia abstrahens. *ibid.* Quando proprie quis dicitur extrahi ab Ecclesia. 479. v. *Judex. Clericus.* Adhuc tamen plures delinquentes possunt ex jure extrahi ab Ecclesia. 480. Quinam autem isti sunt. *ibid. Concordata.* Est etiam casus reservatus in Diœcesi. Neapol. cum excommunicatione contra trahentes Clericos ad forum sæculare etiam consentiente reo. &c. 513. *Appellatio.* Lædentes, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel quovis modo vexantes, qui in urbe commorantur, &c. excommunicantur in Bulla Cœnæ. 471. Item, qui impediunt, vel invadunt deferentes ad curiam Romanam victualia &c. 470

Imperfectio. Imperfectiones morales num sint materia Sacramenti Pœnitentiæ. 326. Num saltem licitum, & laudabile sit eas confiteri. 328

Impotentia moralis. Num impotens implere totum præceptum teneatur implere partem, quam potest. 269. Quæ sit impotentia moralis, ob quam licet confessio tantum formaliter integra. 345. & seqq. Num adsit hæc impotentia, si pœnitens non possit aliter confiteri, nisi nominando complicem? vel si ex confessione timeat grave damnum spirituale, vel temporale sibi, suis, vel Confessario? 346. Vel sit mutus. 347. Vel surdus. *ibid.* Vel cœcus à nativitate. *ibid.* Vel puer rudis. Vulgo *Locco.* v. *Confessio.*

Impotentia physica confitendi materialiter integre est in periculo mortis: puta naufragio, terræ motu &c. 348. In hoc sufficit confessio tantum formaliter integra. *ibid.* Num tunc sit obligatio confessionis publicæ. *ibid.* Quid de tempore pestis. *ibid.* v. *Pestis. Moribundus.*

Impubes. Num ab impubere exposcendum juramentum in articulo mortis, si absolvatur à reservatis, censuris &c. 419

Incestus. Incestuosus. In incestu sitne explicanda in confessione circumstantia personæ in primo gradu lineæ rectæ. 284. Quando ob hæc crimen incurritur excommunicatio reservata in Diœcesi. Neapol. 513

Inducens ad malum. Si mulierem induxeris ad fornicandum, num debeas hanc inductionem exprimere in confessione. 287

Indulgentia definitur *Remiſſio extra Sacramentum pœnæ temporalis Deo debitæ per applicationem ſatisfactionis Chriſti, & ſanctorum.* 364. Dividitur in partialem, & totalem, quæ & aliter appellatur. *ibid.* Item in perſonalem, localem, & realem; in perpetuam, & temporalem. 365. Quæ ſit indulgentia carena. *ibid.* Indulgentiis frui poteſt etiam eas concedens; large ſunt interpretandæ; nec expirant morte concedentis. 364. An ſi pluries Eccleſia viſitetur, poterit pluries acquiri indulgentia plenaria tali Eccleſiæ conceſſa. 365. Quis poſſit indulgentias concedere, præſertim pro defunctis. *ibid.* Num validæ ſint indulgentiæ collatæ ſine legitima cauſa, aut ſine injunctione alicujus operis ad earum aſſecutionem. 366. & ſeqq. Juſta autem cauſa, ac legitima quæ ſit. *ibid.* Qui ſint indulgentiarum effectus. 367. Quid requiratur, ut defunctis applicatæ proſint, & num iis proſint ſemper infallibiliter. 368. Sex diſpoſitiones neceſſario prærequiruntur in lucraturo indulgentias. *ibid.* Num & quando requiratur, ut ſit in gratia. 368. Num lucretur indulgentiam ponens opera injuncta principalius ob alium finem, vel Eccleſiam viſitans præciſe ob curioſitatem. 369. Num præmitti debeat confeſſio, vel contritio, & quam pœnæ remiſſionem impediat veniale. 370. Num indulgentiæ reviviſcant. *ib.* Aſſecutus indulgentiam plenariam num teneatur ad pœnitentiam Sacramentalem. 368. Indulgentiæ conceſſæ officium recitantibus. v. *Horæ Canonicæ. Jubilæum anni ſancti.*

Infans. Infantia. Quorum Sacramentorum ſint capaces. 46. Quomodo urgeantur præcepto baptiſmi. 59. v. *Baptiſmus.* Num, & quando poſſunt confirmari. 95. Pro infantibus offerri poteſt ſacrificium Miſſæ. 152. Num poſſit ipſi dari extrema unctio. 201. & ſeq. Num poſſint ingredi monaſteria Monialium. 481

Infirmus. Infirmi num poſſint à Religioſis communicari tempore præſertim Paſchatis. 115

Inſtructio Confeſſariorum, & Parochorum. v. *Confeſſarius. Parochus.*

Intentio. Quid. 25. Ad valorem Sacramenti non ſufficit ex parte miniſtri intentio ponendi res & verba ex joco, neque pure materialiter, ſed neceſſario requiritur intentio ponendi ea, ut Sacramentalia. 26. Num

ſufficiat

sufficiat in ministro intentio indirecta, vel habitualis, vel interpretativa. 28. Sufficit tamen virtualis, & à fortiori actualis. *ibid.* Num minister, qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum possit prudenter dubitare de intentione requisita, & num illi opus sit semper dicere: *Intendo hoc facere &c.* 29. Num possit habere intentionem conditionatam de præterito, de præsenti, vel de futuro. *ibid.* Si habeat simul intentiones contrarias, quænam debeat prævalere. 30. Num ejus intentio debeat esse determinata ad certam materiam, & personam? 31. Quæ intentio requiratur in infantibus, vel amentibus, v. *Infans*, *Amens*. in adultis suscipientibus Sacramentum requiritur voluntas propria, & simpliciter libera, quæ tamen non vitiatur ex metu gravi. 47. Item sufficit habitualis, imo in aliquibus Sacramentis aliquando etiam interpretativa. 48. Aliter requiritur intentio in ministro, aliter in suscipiente Sacramenta. *ibid.* Si quis ratione utens ore tantum renuat, corde tamen consentiat in baptismum, confirmationem &c. validene baptizetur, confirmetur. 49. Ad valorem ordinationis non sufficit intentio interpretativa, nec habitualis in ordinante, neque sufficit indirecta, sed requiritur formalis, vel saltem virtualis. 212. Quæ autem intentio requiratur ex parte ordinandi ad valorem ordinationis. *ibid.* v. *Ordo. Subdiaconatus.*

Interpres pœnitentis tenetur ad Sigillum. 553. Pœnitens barbari idiomatis num teneatur confiteri (etsi possit) per interpretem. 347. Saltem in articulo mortis. *ibid.* Num teneatur confiteri saltem per signa. *ibid.* Interpres sollicitans in confessione non videtur denunciandus. 411

Interstitium. Interstitia quæ sint. 240. Num interstitia intercedere debeant inter tonsuram, & ostiariatum. 241. Quæ intercedere debeant inter minores ordines, & majores inter se. *ibid.* Sub qua culpa, & pœna servanda sunt? 242. Quis possit in iis dispensare. *ibid.* Quæ sint causæ dispensandi, & quomodo intelligenda verba dispensationis. 243. Num possint saltem ex dispensatione accipi uno die plures ordines minores. *ibid.* Quæ autem causa, & quæ necessitas in his dispensationibus requiratur. *ibid.* Num Superiores Regulares dispensare possint cum suis subditis in interstitiis, & quinam habeant in hoc privilegium Papæ. 244

Jubilæi

Jubilæi Bulla. v. *Bulla.*

Judex teneaturne semper quibuscunque reis tempus concedere pro Eucharistia sumenda. 119. Quos justitiæ actus exercere possit in Ecclesia judex Ecclesiasticus. 480. v. *Prælatus.* Judex sæcularis incurrit casum Bull. Cœn. si se interponat in causis criminalibus in Religiosos. &c. 477. Item, si ex prætenso officio, vel ad instantiam partis &c. personas Ecclesiasticas, conventus &c. ad suum tribunal ante se, vel ad suam audientiam præter juris canonici dispositionem trahit, vel trahi faciat &c. 474. v. *Injustitiæ censura.*

Juramentum. Quæ perjuria sint specie diversa, & proinde aperiri debeant in confessione. 291. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo est reservabile in Ordinibus religiosis. 527. Confessarius absolvens in articulo mortis percussorem Clerici, num debeat illi imponere juramentum de standō mandatis Ecclesiæ, item aliud de satisfaciendo parti. 518 Quid, si sit impubes, vel certo credatur statim moriturus. 419. v. *Absolutio à Reservatis.* v. *Interdictum.*

Jurisdictio. Ad licitam cujuscunque Sacramenti administrationem requiritur aliquando ordinaria, aliquando delegata. 376. In pœnitentiæ Sacramento jurisdictio requiritur ad validam ejus administrationem. 34. Et in ministro non habente jurisdictionem ordinariam administrandi Eucharistiam, sufficitne præsumpta. 114. Qui sine ulla prorsus jurisdictione illam administraret, graviter peccaret. *ibid.* Num & irregularitatem incurreret. *ibid.* v. *Religiosi mendicantes.* Ecclesia potest reddere irritam absolutionem datam à Sacerdote, licet non consecrationem. 376. Hæc jurisdictio quoad absolutionem sacramentalem esse potest vel ordinaria, vel delegata, vel ex errore communi cum titulo colorato. *ibid.* Qui illam habeant ordinariam. *ibid.* Num, quicunque habet jurisdictionem ordinariam absolvendi suos subditos, possit eam delegare alteri. *ibid.* Quando cessat jurisdictio ordinaria? 377. Qui habent jurisdictionem delegatam. 378. Quid requiratur ad acquirendam jurisdictionem absolvendi sacramentaliter. 380. Quando cessat jurisdictio delegata absolvendi sacramentaliter. 381. Quando habetur error communis, quando titulus coloratus. 382. Error com-

munis cum titulo colorato dat jurisdictionem abſolvendi. 383. Num ad talem errorem ſufficiat, ſi ſit communis in hac civitate e. g. etiamſi non alibi. *ibid.* Num Eccleſia ſuppleat jurisdictionem, ſi adſit error communis, ſed ſine titulo colorato. 384. Num ſuppleat, ſeu tacite det jurisdictionem Confeſſario abſolventi ex opinione probabili circa ſuam jurisdictionem. 384. Num licite abſolvat Sacerdos in dubio de ſua jurisdictione. 385

Jus Patronatus. Habens jus patronatus in aliqua Eccleſia, non ideo jus habet ſepulturæ. 425

L.

Laicus. Laici, qui ex neceſſitate communicant cum ſola contritione mortalium, num teneantur, ut Sacerdotes, confiteri quamprimum. 279. Num iis, ſin minus ab Epiſcopo, à ſummo ſaltem Pontifice committi poſſit facultas diſpenſandi Euchariſtiam. 112. Num poſſit Laicus ſaltem in extrema neceſſitate abſolvere à cenſuris. 372

Lapis conſecratus. v. *Altare. Sacrificium Miſſæ.*

Lectoratus. Lector. Lectoratus eſt Ordo, *quo conceditur poteſtas legendi Prophetias, & Scripturas in Eccleſia.* 205. Quæ ejus materia remota, quæ proxima. *ibid.* Quæ forma. 210. Lectoris munera, & onera, quæ ſint. 215. & ſeq. v. *Ætas.*

Legatus à latere num poſſit approbare ad confeſſiones. 387. Num dare dimiſſorias, & quibus. 228. Quid poſſit circa abſolutionem à reſervatis. 433. Quid præſertim pro abſolutione Regularium à reſervatis. 444. Num poſſit ſuam facultatem aliis ſubdelegare. *ibid.*

Liber. Libri hæreticorum prohibiti in Bulla Cœnæ qui ſint. 459. Num etiam libri Catholicorum continentes hæreſes, vel ſcholia hæreticorum. *ibid.* Libri prohibiti in indice in duplici ſunt claſſe, alii prohibentur ſub excommunicatione, alii tantum ſub peccato. *ibid.* Quan-

Quando autem legere dicaris tales libros, & proinde excommunicationem incurras: quando ab ejus incursione excuseris? 460. Num excuseris à parvitate materiæ. *ibid.* Vel, si tantum audias legentem tales libros. 461. Vel, si legas manuscriptum. *ibid.* Excommunicatio extenditur etiam ad retinentes, quis autem dicatur tales libros retinere? 462. Cui autem tradendi sint, & num possis privatim comburere. 463. Dicta procedunt etiam de libris prohibitis, donec corrigantur. *ibid.* Item extenditur excommun. contra imprimentes: quis autem dicatur imprimere? 464. Demum contra defendentes: quis autem dicatur defendere. 465. v. *Denunciatio.* Quid requiratur ad incurrendum casum reservatum in Diœc. Neapol. cum excomunicatione lata contra introducentes sine debita licentia libros in civitate, vel vendentes, extrahentes, imprimentes &c.? 517.

Litteræ. v. *Dimissoriales. Testimoniales. Commendatitiæ.* Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel contra est casus specialiter reservabilis in Ordinibus Religiosis. 529. v. *Falsificatio. Appellatio.*

Lumen pro sacrificio. v. *Sacrificium Missæ* in calce.

Luxuria. Mollities, Sodomia, bestialitas specie differunt. 284. Num & copula incepta & completa. *ibid.* Num pollutio tactibus propriis, vel alienis. *ibid.* Vel, si quis se polluat tangendo solutam. *ibid.* Num in fornicatione specie differant circumstantia sponsi & sponsæ de futuro. 285. Num etiam circumstantia disparitatis cultus. *ibid.* v. *Incestus. Adulterium.* Sitne sacrilegium diversum cum religioso, ac cum sacerdote. *ibid.* Lapsus carnis voluntarius opere consummatus est inter Clem. VIII. casus reservabiles in Ordinibus Religiosis. 528

M.

Magus. Confessarius magi, vel veneficæ tenetur eos monere de quatuor obligationibus. 419

Magistratus quomodolibet se interponens in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas, &c. incurrunt casum Bullæ Cœnæ. 477

Maleficium. Venefici, veneficæ &c. incurrunt caſum reſervatum cum excommunicatione in Diœc. Neapolitana. 504

Martyr, Martyrium remittit omnem ſimul culpam, & pœnam. 261. Ut deleat peccata, ſufficit attritio. 57. Num, ſi dormiens occidatur à Tyranno in odium fidei, ſit verè Martyr. 58. In Martyre ne habitualis quidem requiritur voluntas martyrium ſuſcipiendi. *ib.* Quandonam martyr fructus percipiat ſui martyrii, & num eos etiam percipiat, ſi poſt ſuſceptam lethale vulnus miraculoſe à morte liberetur. *ibid.*

Medicus. Quandonam incurrat caſum reſervatum in Diœceſ. Neapol. omittendo admonere infirmum de Sacramentis ſuſcipiendis. 267. & 521

Mendacium in Confeſſione circa materiam liberam probabilius eſt tantum veniale. 343. Circa materiam neceſſariam eſt grave ſacrilegium. *ibid.* Qui confitetur mortale, de quo dubitat, an antehac ſit confeſſus, num teneatur dicere, ſe de hac dubitare. 344. Num valide confiteatur, qui dicit, ſe velle confiteri generaliter, & peccatis alias confeſſis miſceat nova, quin dicat, illa non eſſe antea confeſſum. *ibid.* Vel, qui ex neceſſitate confitens huic confeſſario e. g. cui ex juſta cauſa tacet aliquod peccatum, id ab eo interrogatus neget. 345. Vel, qui mentitur circa individuum phyſicum peccati? *ibid.*

Mendicantes. Quæ privilegia habeant circa Euchariſtiæ adminiſtrationem. 114

Metus. Num incurrat reſervationem, qui compulſus metu committit caſum reſervatum. 430. Approbatio ex metu extorta. v. *Approbatus.* Valetne ordinatio facta ex metu? 214. v. *Ordo.* An liceat miniſtro ob metum gravem diſſimulare Sacramenta. 44

Miniſter Sacramentorum. v. *Sacramentum.*

Miſſæ Sacrificium. v. *Sacrificium Miſſæ.*

Moniales, aliæ ſunt exemptæ à jurisdictione Epiſcopi, aliæ non. 432. Omnes incurrunt caſus reſervatos Papales. *ibid.* Num etiam Epiſcopales, vel reſervatos in illa Religione, cui ipſæ ſubduntur in ſpiritualibus. *ibid.* Clauſura Monialium. v. *Clauſura.* Moniales num poſſint eſſe matrinæ in baptiſmo. 68. Vel in confirmatione. 84. v. *Approbatus ad Moniales.* Num tem-

tempore Jubilæi possint Moniales sibi eligere in Confessarium approbatum ab Episcopo pro sæcularibus. 396. Loquentes cum Monialibus incurrunt casum reservatum cum excommunicatione in Diœcesi. Neapol. 505. Num excusentur à tali incursione ob necessitatem, vel materiæ parvitatem? *ibid.* Num incurrant etiam feminæ, Episcopi, pauperes, famuli, parvuli, &c. 506. Num etiam consanquinei, vel alii loquentes cum Abbatissis, Priorissis, vel Novitiis, Educandis &c. 509. Quid de Religiosis. *ibid.* Num incurrant etiam hunc casum consanquinei in primo, vel secundo gradu, vel qui habentes licentiam loquendi, vel loquentes cum Abbatissa, &c. agant de obscœnis &c. 509. Num aliquando excusari quis possit à tali incursione. *ibid.*

Mollities. v. *Luxuria.*

Monachus. Monasterium. v. *Religiosus. Regularis. Prælatus. Regularis. Superior. Abbas &c.*

Moribundus potest absolvi à Ministro, qui non est in gratia etiam citra hujus culpam. 35. Moribundus est constitutus in gravi necessitate suscipiendi Eucharistiam, etsi confessus sit. 119. Quando verificatur, quod sit in mortis articulo. 349. Tunc licet moribundo confessio formaliter tantum integra. *ibid.* Si nequit loqui, ex quibus signis possit arguere confessarius, illum petere absolutionem. *ibid.* Si signum sit dubium, possitne absolvi sub conditione. *ibid.* Quid, si hic moribundus neque per se, neque per alium dederit pœnitentiæ signum. *ib.* Num possit absolvi, qui actualiter peccando destituitur sensibus. 350. Vel Catholicus in duello, vel adulterio confossus, si supersit aliquod tempus ante mortem. *ibid.* Si sit infidelis, vel hæreticus, vel fidelis jam mortuus, etsi signa ante dederit pœnitentiæ, nequit absolvi. 351. Num quilibet sacerdos possit moribundum absolvere licite & valide à quibuscunque peccatis, & censuris. 372. Num etiam simplex Sacerdos, si præsens sit alius approbatus. 373. Num dicta procedant in mortis periculo, ac in mortis articulo. 374. v. *Baptismus.* v. *Reservata.*

Moribundus per simplicem Sacerdotem à quibuscunque peccatis reservatis absolutus, si convalescit, non tenetur se sistere Superiori, cum ab iis fuerit tunc directe absolutus. 373. & 418. Quodsi tunc dicere ea non

potuit, satis est, si inde ea aperiat cuivis confessario. *ib.* Num idem dicendum de Censuris. *ib.* v. *Excommunicatio. Juramentum.*

Mutus num teneatur ad sumendam Eucharistiam tempore Paschatis. 122. Quomodo confiteri debeat. 347. Num scripto, vel nutibus. *ibid.*

N.

Narratio peccatorum mere historica facta confessario num sufficiat ad confessionem? 304. & 324

Necessarium ad salutem, aliud dicitur tale necessitate medii, aliud necessitate præcepti. 6. & 258. Necessaria necessitate medii alia sunt in re, alia saltem in voto. 259

Novitius. Num & quos casus reservatos incurrat. 431 Cui possit confiteri. 393. Præsertim si habeat reservata. 445. Novitii à quibus accipere possint, vel debeant Testimoniales. 232. Nequeunt ascendere ad sacros ordines, nisi titulo beneficii, pensionis, aut matrimonii. 253. Si ordinentur in sacris titulo paupertatis Religiosæ, incurrunt suspensionem, & si in ordine sic suscepto ministrent, irregularitatem. 255

Novitiæ Monialium. v. *Clausura. Sepultura Ecclesiastica.*

Nuntius Apostolicus, num possit approbare ad Confessiones. 387. Num possit aliquando dispensare in temporibus ordinationum. 239. Potest pro sua Provincia & ordinare, & dimissorias concedere. 228. Imo ultramontani, & alii nati extra Italiam debent (si velint ordinari inter Italiam) Nunciis Apostolicis ostendere dimissorias &c. *ibid.*

O.

Obex Sacramentorum, alius est positivus, alius mere negativus. 53. Num ipso remoto reviviscant Sacramenta quoad causandam gratiam, & venialia remittenda? *ibid.*

Obsessus. Num obsessis danda sit Eucharistia tempore paschatis. 123

Obstetrix. Infantes baptizati ab obstetrice, vel dubie, vel certe venefica sunt rebaptizandi. 74. Quid, si obstetrix sit integræ famæ. *ibid.* Porro quæ sit in hoc consuetudo? 75

Occaſio peccandi, alia eſt proxima, alia remota. 543. Num verſans in occaſione remota poſſit abſolvi. *ibid.* quid, ſi verſetur in proxima. *ibid.* Num poſſit abſolvi, antequam tollat occaſionem proximam peccandi, dummodo ſerio promittat eam ſublaturum. 544. v. *Concubinarius.* Quid, ſi talis occaſio ſit ei neceſſaria. 544. Vel econtra, ſi potens quis cum aliquo ſuo incommodo eam tollere nolit. Vel, ſi directe vel indirecte quærat occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali ſuo, vel alterius? 545

Odium peccati. v. *Contritio.* Odium, detractio &c. contra parentes ſunt diverſæ ſpeciei ab aliis. 292. Qui veniant nomine parentum. *ibid,* Odium proximi quod peccatum ſit. *ibid.*

Omiſſionis peccatum. v. *Peccatum.*

Onera Ordinati. v. *Ordo. Tonſuratus. Diaconus &c.*

Opera Satisfactoria. v. *Satisfactio Sacramentalis.*

Opinio probabilis. In adminiſtratione Sacramentorum non licet miniſtro uti ſententia tantum probabili de valore Sacramenti relicta tutiore, &c. 37. & ſeqq. v. *Sacramentum.*

Oratio, quæ attentio requiratur ad orationem. 193. v. *Attentio.*

Oratorium privatum eſt *locus aliquis intra domum hominis privati deputatus ad tempus ad divina officia.* 162 Quibus privilegiis gaudeat, & in quo differat ab oratorio erecto in domo Epiſcopi, Regularium, &c. *ib.* Qua authoritate erigi poſſit, ubi & quomodo exigendum ab habente privilegium Sedis Apoſtolicæ. 163. Durat usque ad mortem privilegiati: at quid, ſi mutet domicilium. *ibid.* Num ceſſet morte concedentis. *ibid.* Num poſſet pollui. *ibid.* Quot miſſæ ſingulis diebus poſſint in eo dici. 164. Num omnes ibi audientes Miſſam die feſto, præcepto ſatisfaciant. *ibid.* Num in iis liceat celebrari abſentibus illis, in quorum commodum privilegium eſt conceſſum. 165. v. *Eccleſia.* Num diebus hebdomadæ ſanctæ liceat miſſam celebrari in his oratoriis. 174

Ordines majores, vel minores. v. *Ordo. Ordinatus. Diaconatus. Subdiaconatus. Presbyteratus. Tempora ordinationum. Sponſalia &c.*

Ordo. Sacramentum ordinis definitur *ſignum ſenſibile, quo tribuitur ſpiritualis poteſtas circa Euchariſtiam.* 204 Ordines ſeptem in Trid. unum ſunt Sacramentum. *ibid.*

Quæ ſit materia cujuscunque ordinis. 205. Quam determinationem circa materiam, & formam ordinum ſtatuit Chriſtus Dominus, quam Eccleſiæ reliquit. 206. An ad valorem ordinationis requiratur contactus phyſicus. 208. Num etiam cujusve materiæ. 209. Quæ ſit forma ordinationis. 210. Num neceſſario debeat eſſe verbalis, & immutabilis. *ibid.* Sitne valida ordinatio, ſi forma proferatur ante vel poſt materiam proximam. *ibid.* Quando eſſe poſſit prudens dubium de valore ſuſcepti ordinis, & num hic debeat repeti caſu, quo repetatur baptiſmus. 211. Hujusmodi autem reordinatio fieri poteſt ſub conditione à quocunque Epiſcopo, & quovis tempore, etiam in oratorio privato. *ib.* Valet ordinatio, ſi unus Epiſcopus conferat poteſtatem conſecrandi, & deinde eo deficiente alter Epiſcopus conferat poteſtatem abſolvendi. *ib.* Quæ intentio requiratur ad ordinationem? 212. v. *Intentio.* Qua animi diſpoſitione accedere quis debeat ad ſtatum Eccleſiaſticum. 214. An valeat ordinatio facta ex metu gravi injuſte incuſſo. *ibid.* An, & quando teneatur Sacerdos celebrare tres illas miſſas, quæ ei injunguntur ab Epiſcopo ordinante. 182. Quæ ſint munera, & onera ordinatorum. 215. & ſeq. Quæ ſint pœnæ male ordinati. 216. & ſeq. v. *Suſpenſio. Clericus.* Quæ male ordinantis. 217. Num liceat Epiſcopo aliquid accipere pro collatione ordinum. 218. v. *Tempora Ordinationum. Interſtitia. Ætas.* Epiſcopus eſt miniſter ordinum, quos, ut licite conferat, requiritur, ut ſit proprius ordinandi ratione, vel domicilii, vel originis, vel beneficii, aut ab his habeant dimiſſorias, vel Teſtimoniales. 220. v. *Dimiſſoriales. Teſtimoniales. &c.* Quis ſit Epiſcopus domicilii. *ibid.* Habens duo domicilia poſſitne ab utroque Epiſcopo ordinari. 221. Quis ſit Epiſcopus originis. 222. Qui huic ſubdatur. *ibid.* Si pater in duabus diœceſibus habeat duo domicilia, licet poſſit ab alterutro Epiſcopo ordinari: ejus tamen filius ab illo tantum poteſt ordinari titulo originis, in cujus diœceſi natus eſt. 223. Filius natus in patris domicilio, patre alibi domicilium figente, adhuc retinet jus originis jam acquiſitum in prima diœceſi. *ibid.* Quis ſit Epiſcopus beneficii. *ibid.* v. *Dimiſſoriales.* Num ordinatus uno ordine ab Epiſcopo beneficii, ſi illud hoc anno reſignet, poſſit alium ordinem ſuſcipere ab eodem Epiſcopo. 225. Num, qui plura habet beneficia in diverſis diœceſibus, poſſit in ſin-

singulis ordinari. *ibid.* Quis sit Episcopus alienus. *ibid* Num ordinatio ab hoc collata sit non solum illicita, sed etiam invalida. 226. Sunt tamen duo casus, in quibus Episcopus alienus potest aliquem ordinare sine licentia proprii Episcopi. *ibid.* Subjectum ordinum. 233. Debet esse essentialiter mas, & baptizatus. *ibid.* Num valide ordinetur baptizatus baptismo tantum flaminis, vel sanquinis. *ibid.* Vel baptizatus, sed nondum confirmatus. *ibid.* Peccat sacrilege, & graviter suscipiens ordinem in irregularitate. 234. Num suscipiens quemvis ordinem. *ibid.* Num valide ordinetur irregularis, vel censuratus ignotus Episcopo ordinanti. *ibid.* Num possit Episcopus licite ordinare extra suam diœcesim. 244. Vel extra Ecclesiam. 245. Quæ sint reliquæ circumstantiæ ordinationum. *ibid.* v. *Titulus ordinandorum.*

Ostiariatus est ordo, *per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam.* 205. Quæ ejus materia remota, quæ proxima, quæ cæremoniæ? *ibid.* Quæ ejus forma? 210. Quæ sint ejus munera, & onera. 215. & seq. v. *Ætas.*

P.

Panis triticeus est materia necessaria Sacramenti Eucharistiæ. 96. Non autem confectus ex ariza, castaneis, aliisque materiis appositis. 97. Mortaliterne peccaret consecrans in materia dubia, puta in siligine, spelta &c. *ib.* Panis triticeus debet esse igne tostus. *ib.* Qualiter autem sit coquendus? 98. Item debet esse confectus aqua naturali, non ex melle, oleo, aut aliis liquoribus oppositis. 97. Si vinum cum pane coqueretur, neutrum esset consecrabile. *ibid.* Quid, si tritico admisceatur parum e.g. hordei, vel salis per errorem. 98. Sive fermentatus sit, sive azymus semper est materia valida consecrationis. *ibid.* Porro Sacerdos græcus tenetur in fermentato, latinus in azymo ex Ecclesiæ præcepto consecrare. 99. Num id teneatur servare græcus etiam, cum celebrat in Templo latinorum, vel latinus in Templo græcorum. *ibid.*

Præsertim in necessitate, vel ad vitandam mortem. 100. Cujus figuræ debeat esse panis consecrandus in Ecclesia latina, cujus in græca. *ibid.* v. *Hostia.* Quid requiratur ad validam ejus consecrationem. v. *Eucharistiæ Sacramentum.*

Paramentæ. v. *Sacrificium Missæ.*
Parentes. Quomodo eos urgeat præceptum baptizandi prolem. 59. Nequeunt, nisi in extrema necessitate baptizare propriam prolem. 66. Num secus privarentur jure petendi debitum. 67. v. *Pater. Mater &c.*
Particulæ consecratæ. v. *Hostia.*
Parochus. Debet monere populum de irreiterabilitate confirmationis. 87. Tenetur ex charitate simul, ac justitia Eucharistiam ministrare morituro. 118. Num etiam cum periculo vitæ propriæ. *ibid.* Quando tenetur sub gravi celebrare vel per se, vel per alium. 171. Num Parocho timenti, ne noctu vocetur ad ægrum liceat retinere domi sacrum oleum, ut vocatus possit venire expeditius. 203. Nequit indulgentias concedere. 366. Hoc ipso, quod est electus, num intelligatur approbatus. 388. Quid, si desinat esse Parochus, vel mutet Parochiam. *ibid.* Num possit à Papa suspendi in sua jurisdictione ordinaria. 377. Num possit etiam extra Diœcesim absque ulla alia facultate suorum subditorum confessiones audire. 379. Num possit, aut teneatur populum suum deserere tempore pestis, & ire ad audiendas confessiones infectorum. 407. v. *Pestis.* Parochus quam facultatem habeat circa absolutionem à casibus & censuris Papæ reservatis. 437. Quid circa reservatos Episcopis. 440. 451. & seq. v. *Confessarius.* Num possit delegare Diacono potestatem dispensandi Eucharistiam. 112. Parochus nequit impedire electionem sepulturæ, dummodo illi detur quarta pars funeralium juxta consuetudinem suæ Parochiæ. 421. Si plus petat, eoquod quis sepeliatur apud Religiosos, peccat, & excommunicatur. *ibid.* Dum quis sepeliatur in Ecclesia Regularium, non solum licet Parocho funus prosequi, sed multa alia. *ibid.* Quid possint concordare Regulares cum Parocho. 421. Potestne Parochus concedere jus perpetuum sepulturæ. 325. Ad ipsum pertinet determinare iter in associando cadavera. *ibid.*
Paschalis communio. v. *Eucharistiæ Saaramentum.*
Patrimonium, qui sit titulus patrimonii requisitus ad ordinationem. 246. Quale debeat esse patrimonium, ut possit quis eo titulo ordinari. 250. An possis alienare patrimonium, seu pensionem, cujus titulo es ordinatus. 251. Num si accepisti patrimonium ad ordines sub pacto, & conditione, ut donanti reddas totum, aut

aut partem, vel eo non utaris &c. tenearis hanc conditionem implere. 252. Quodnam sit patrimonium falsum, fictum, aut fiduciarium. 256. v. *Titulus* &c.

Patrinus, qui aliter etiam appellatur à SS. PP. est in baptismo solemni necessarius. 68. Potest esse quicumque rationis capax, modo sit baptizatus. *ibid.* Num sit interdictum Regularibus, ac Monialibus. *ibid.* Quam obligationem suscipiat. 68. Ad quem spectet ejus designatio. *ibid.* Num debeat esse unus tantum, & an possit esse fœmina. 69. Ut contrahat cognationem spiritualem debet puerum suscipere è baptismo, & quidem per aliquem contactum physicum. *ibid.* In baptismo conditionato, vel non solemni non requiritur Patrinus: qui, si adhibeatur, probabiliter non contrahit cognationem spiritualem. 68. Num pater, mater &c. possunt esse patrini suorum filiorum, præsertim illegitimorum. 69. In confirmatione à quo fieri debeat sub gravi patrini designatio. 83. Num omitti possit. *ibid.* Debet esse unus tantum, & confirmatus. *ibid.* Num debeat esse diversus à Patrino baptismi, & an possit esse Monachus, vel Monialis. 84. Num quis possit eadem die esse Patrinus plurium, & quam obligationem in se suscipiat. *ibid.* Patrinus & Confirmans eandem cognationem spiritualem contrahunt cum confirmato, ejusque parentibus, ac contrahitur in baptismo à Patrinis, & baptizante cum baptizato, ejusque parentibus. *ibid.*

Paupertas religiosa est unus ex titulis ordinationis. 246. Soli Professi, & Religiosi Soc. Jesu post vota simplicia possunt promoveri ad sacros Ordines titulo paupertatis religiosæ. 253.

Peccator. v. *Examen. Confessio. Sacramentum. Pœnitentiæ Sacramentum.* Pro peccatoribus licetne offerri Sacramentum Missæ. 152

Peccatum. v. *Pœnitentiæ Sacramentum. Peccator. Luxuria.* Est mortale, si adsit gravitas materiæ, plena advertentia, & plenus consensus. 282. Si unum horum desit est veniale. *ibid.* Peccatum specie diversum est, quod vel opponitur diversis specie virtutibus, vel eidem virtuti modo notabiliter diverso. 283. Num id æque valeat pro peccatis omissionis ac commissio-

missionis. 282. Parne hic etiam sit doctrina pro peccatis commissionis ac omissionis. 284. Peccatorum numerus in eadem specie desumitur vel ex interruptione actuum, vel ex fine, ad quem ordinatur. 283. Peccata mortalia sunt materia confessionis necessaria, venialia vero sunt materia libera. 279. Circumstantia peccati alia est intra eandem peccati speciem, alia addit novam peccati speciem. 287. Sunt sex uno versu comprehensæ. 288. Quomodo discerni possint peccata contra singula Decalogi præcepta. 290. Num exponere se periculo peccandi sit ejusdem speciei cum eo peccato. 285. v. *Confessio.*

Pensionarius. Ut possit promoveri ad sacros Ordines super pensione, qualis esse debet pensio. 250. Num possis alienare pensionem, cujus titulo es ordinatus. 251

Percussio Clerici. Quæ & quanta esse debeat, ut incurratur casus specialiter reservatus extra urbem intra Italiam. 487. Hujusmodi potest esse, vel gravis, seu enormis, vel mediocris, vel levis. 488. Gravis potest esse ex triplici capite. *ibid.* Hinc potest cognosci etiam mediocris, & levis quæ sit. *ibid.* Excommunicatio contra percussores ad quos alios se extendat. 485. Percussus debet esse Clericus, vel Monachus. *ibid.* Num omnis Clericus gaudeat hoc privilegio, etiamsi sit mortuus: puta, si percutiatur ejus cadaver. *ibid.* Sub nomine Monachi, (quo nomine complectuntur Regulares utriusque sexus) num veniant etiam Laici, Conversi, Novitii, Tertiarii, SS. Francisci, & Dominici, Eremitæ, Equites Melitenses, & Teutonici. 486

Percussor publicus Clerici. Confessarius absolvens percussorem Clerici, sub quo onere illum debeat absolvere. 417. Num quivis utriusque sexus etiam impubes possit esse percussor? sunt tamen, qui Clericum percutientes excusant tum à peccato, tum ab excommun. 486. Vel saltem ab excomm. etsi non à peccato. *ibid.*

Peregrini. Num & quos casus reservatos incurrant? 430

Pestis. Tempore pestis, si desit Parochus, num teneatur

tur quivis alius Sacerdos, etiamsi simplex, confessiones audire infectorum. 407. Num possit, vel teneatur Parochus populum suum deserere, ut hoc tempore eat ad audiendas hujusmodi confessiones. *ibid.* v. *Parochus.* Vel ad infectis ministrandam Eucharistiam. 119

Pharmacopola. Num incurrant Pharmacopolæ casum reservatum in Diœcesi. Neapol. cum excommun. venena etiam propinantes &c. 516

Phreneticus. Num huic ministranda extrema unctio. 201

Pœnitens. Num peccet, qui de industria quærit Confessarium minus doctum? 400. Pœnitens Religiosus. v. *Religiosus* in calce.

Pœnitentia Sacramentalis. v. *Satisfactio sacramentalis.*

Pœnitentia virtus. v. *Pœnitentiæ Sacramentum.*

Pœnitentiæ Sacramentum est *Sacramentum Reconciliationis post lapsum in actibus pœnitentis, & absolutione Sacerdotis consistens.* 258. Varie appellatur à Patribus. 257. Ejus materia remota sunt peccata, proxima sunt actus pœnitentis, forma vero est sacerdotis absolutio. 258. Quomodo sit necessarium præsertim lapsis post baptismum ad salutem. *ibid.* Ob solum originale non est necessaria pœnitentia, neque ut virtus, neque ut Sacramentum est. 289. Quid, si in adulto cum originali conjunctum sit actuale. *ibid.* Pœnitentia num sit simpliciter hic necessaria ob venialia, vel tantum consulenda. *ibid.* Ob peccatum lethale est simpliciter necessaria, vel in re, vel in voto, non sic observantia aliorum præceptorum. 260. Hoc autem votum habetur, vel in actu contritionis perfecto, vel in actu charitatis pariter perfecto, vel in martyrio. *ibid.* & seq. Nullum est præceptum per se obligans ad statim pœnitendum post peccatum mortale personale, bene vero ad non differendam diu pœnitentiam, 262. Datur præceptum divinum positivum subjiciendi clavibus omnia, & singula mortalia commissa post baptismum. 264. Non vero ante baptismum. 266. Quid de peccato fictionis. *ibid.* De venialibus nullum est præceptum per se: est tamen aliquando per accidens. 265. Quo tempore, num scilicet semel anno, aliquando

quando in vita, in articulo mortis &c. obliget præceptum confeſſionis annuæ, quando, & quos obliget. 268. & ſeq. Quinam ab eo excuſentur. 269. v. *Puer.* Quæ peccata vi hujus præcepti ſint neceſſario clavibus ſubjicienda. *ibid.* Annus autem hic quinque modis computari poteſt, & ſecundum hanc diverſam computationem plurima reſolvi poſſunt. 271. Num, qui omiſit confeſſionem debitam hoc anno, teneatur anno ſequenti illam reficere. *ibid.* Qui diutius ultra annum differunt, graviusne peccatum committant, an etiam multiplex. 272. Et num, qui multis annis non eſt confeſſus, confitendo hodie e. g. ſatisfaciat pro cunctis? *ibid.* Huic præcepto non ſatisfit per confeſſionem voluntarie nullam; imo neque ſi talis ſit involuntarie. *ibid.* Quid ſi ſit valida, & informis. 273. Num valeat confeſſio, ſi fiat aliis à Parocho, ſed approbatis ab Ordinario. *ibid.* Qui confitetur non habenti poteſtatem in reſervata, num, ſi ipſe habeat reſervatum, debeat iterum alii illud confiteri. *ibid.* Transgrediens præceptum confeſſ. num & quando incurrat interdictum. *ibid.* Non communicantes in paſchate in Diœceſ. Neapol. incurrunt caſum reſervatum cum pœna interdicti. 523. Quando autem hoc incurratur? *ibid.* Qui vero non communicantes ab aliis doloſe accipiant ſchedulas &c. vel, qui has illis accomodant &c. incurrunt alium caſum reſervatum cum excommun. 518. Quod ſit præceptum confitendi ante communioncm. 274. Ut non obliget peccatorem volentem celebrare, vel communicare, tria requiruntur. *ibid.* Primo, quod deſit copia Confeſſarii: quando autem hæc intelligatur abeſſe. *ib.* & ſeq. Secundo, quod ſit urgens neceſſitas communicandi, vel celebrandi. 274. Quando autem hæc habeatur. 275. Tertio, quod eliciat actum perfectæ contritionis. 374. Quando autem hic elici debeat præſertim à celebrante. 276. Num ſit præceptum confitendi mortalia ante ſuſceptionem, vel adminiſtrationem aliorum Sacramentorum. 277. Quod ſit præceptum Sacerdotibus confitendi *quamprimum ibid.* Ut obliget tria requiruntur. 278. Non urget tamen laicos ex paritate rationis. 279. Num ad hujus Sacramenti validam adminiſtrationem requiritur jurisdictio. 375. & 34. Item approbatio. v. *Approbatio.* Demum poteſtas ordinis. 371. Solus ergo Sacerdos complete ordi-

ordinatus potest esse minister hujus Sacramenti. *ibid.* Quid hic veniat nomine ordinationis completæ. *ibid.* Nemo non Sacerdos potest valide absolvere sacramentaliter ne per errorem quidem communem, vel titulum coloratum, licet ex delegatione possit aliquando à censuris. *ibid.* Num, si quis in extrema necessitate confiteatur laico, Deus tunc suppleat effectum gratiæ, quæ confertur ab hoc Sacramento. 372. Sacerdos absolvens constitutum in articulo, vel periculo mortis. v. *Moribundus.* Num, si minus licite, saltem valide absolveret à venialibus, & mortalibus alias rite confessis simplex Sacerdos. 375. Quid si veniale habeat adnexam excommunicationem minorem. *ib.* Possitne Sacramentum pœnitentiæ esse validum, & informe. 300

S. Pœnitentiarius ex Papæ concessione absolvere potest quoscunque ab omnibus Papalibus. 433. Num possit subdelegare facultatem à Papa acceptam alteri Confessario. 450. Quam facultatem habeat Pœnitentiarius Ecclesiæ cathedralis. 439. Summus Pœnitentiarius potest Regulares absolvere à reservatis, cum sit eorum supremus Ordinarius. 444

Pontifex potest dispensandæ Eucharistiæ facultatem delegare Diacono. 112. Num & Clericis, aut laicis? *ib.* v. *Sacramentum Eucharistiæ.* Papa à Christo immediate habet potestatem concedendi indulgentias pro vivis & defunctis. 365. Pontifex ferens interdicta. deponens, degradans. v. *Interdictum. Depositio. Degradatio.* Num unus Pontifex possit dispensare in ordinatione extra tempora. 239. Quinque autem sunt causæ, ob quas potest peti, & obtineri hæc dispensatio. *ibid.* Papa tantum dare potest dimissorias pro tota Ecclesia. 227. Num possit dispensare, ut in ordinatione Episcopi facta ex sua delegatione ab alio Episcopo, assistant duo Sacerdotes loco duorum aliorum Episcoporum. 228. Pontifex dispensans in impedimento disparitatis cultus, vel criminis. v. *Crimen. Disparitas cultus.* In quæ loca habeat Pontifex dominium immediatum: in quæ tantum mediatum. 477. Qui hoc dominio illum spoliare &c. attentant, incurrunt casum Bullæ Cœnæ. *ibid.*

Potestas absolvendi. v. *Absolutio* dispensandi. v. *Dispensatio.*

Præceptum. Impotens implere totum præceptum num teneatur partem, quam poteſt. 169

Prælati Regulares debent bis, vel ter in anno offerre monaſteriis Monialium ſibi ſubjectis Confeſſarium extraordinarium. 394. Ipſi dant teſtimoniales pro ſuis ſubditis. 232. Item dimiſſorias. 229. Prælati regulares, ſeu Superiores Religionum num poſſint reſervare aliud peccatum grave ab ii. reſervabilibus ex Clem. VIII. vel etiam determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reſervatis à Confeſſariis imponendas &c. 525. & ſeq. v. *Caſus reſervati.* Impedientes Prælatos, vel Judices Eccleſiaſticos, quominus ſua jurisdictione utantur &c. excommunicantur in Bulla Cœnæ. 475. Quæ ſit poteſtas Prælatorum Eccleſiaſticorum circa abſolutionem à caſibus, & cenſuris reſervatis. 436

Præſentia quæ hoſtiæ, & Particularum requiratur, ut à Sacerdote valide conſecrentur. 104. v. *Hoſtia.*

Presbyter. Presbyteratus. Presbyteratus eſt Ordo, *quo datur poteſtas conficiendi Chriſti Corpus, & ſanguinem, & remittendi fidelibus peccata.* 207. De fide eſt, eſſe Sacramentum. 204. Quæ ejus materia *remota*, quæ proxima apud latinos, quæ apud græcos. 207. Quæ forma. 210. Quæ Presbyteratus munera, & onera. 215. & ſeq. Quæ Ætas. v. *Ætas.* Num Presbyteratus collatus apud græcos ſine prima impoſitione manuum ſit validus. Quid ſi ita conferatur apud latinos. 207. Per quam manuum impoſitionem imprimatur character. *ibid.* Num valeat ſacerdotium, ſi in ordinatione adhibeatur calix, & patena non conſecrata, vel execrata. 208. Vel, ſi tradatur ſolus calix cum patena, vel loco vini fuerit aqua tantum, vel defuerit panis? *ibid.* v. *Sacerdos.*

Principes ſæculares, quæ peccata poſſint punire. 71

Prioriſſa. v. *Abbatiſſa.*

Privilegiati à Jure, à conſuetudine, vel ab homine qui ſint? 396. v. *Approbatus ad Privilegiatos.*

Probitas. Quæ probitas requiratur in miniſtro Sacramenti pœnitentiæ? 397

Procurator baptizans nomine principalis. v. *Patrinus.*

Profeſſi Religioſi poſſunt ordinari titulo paupertatis religioſæ. 253. Invalide autem profeſſi per aliquod impedimen-

pedimentum illicite ſic ordinarentur in ſacris. *ibid.* Quam pœnam incurrerent ſic ordinati? *ibid.* Quid de ejectis. *ibid.* v. *Regulares. Religioſi. &c.*

Propoſitum Confeſſionis eſt *voluntas non peccandi de cætero.* 318. Certe requiritur ad juſtificationem. *ibid.* Quoad mortalia debet eſſe efficax, firmum, & univerſale. 319. v. *Dolor. Conſuetudinarius.* Firmitas in propoſito quæ, & unde haberi debeat. 319. & ſeqq. Num eſſe debeat formale, & expreſſum: an vero ſufficiat virtuale, & implicitum in ipſo actu doloris 321. Quoad venialia non requiritur, ut ſit univerſale, debet tamen eſſe firmum, & efficax ſaltem reſpectu unius ex venialibus, quæ pœnitens confitetur. 322. Num habens ſolum venialia debeat etiam habere propoſitum cavendi mortalia. 323

Pueri. Poſt uſum rationis num teneantur legibus, & pœnis eccleſiaſticis. 274. Num poſſint introduci in monaſteria monialium. 481. Quando præſumuntur habere ſufficientem uſum rationis, & perveniſſe ad annos diſcretionis: proinde quæ teneri ad annuam confeſſionem &c. 269. Pueri & puellæ ante pubertatem peccantes incurrantne caſus reſervatos ſive Papales ſive Epiſcopales? 274. & 427. Num & quando poſſit iis miniſtrari Euchariſtia? 122. & ſeq. & extrema unctio. *ibid.* Vel confirmatio. 87. Pueri rudes quomodo teneantur confiteri. 347

Q.

Quotidiana Communio ſit necne & omnibus facienda? 124. Non eſt nota prædeſtinationis, niſi in fidelibus digne illam ſuſcipientibus. 125

R.

Recidivus quis ſit. 546. Nequit abſolvi, niſi ſpes appareat emendationis. *ibid.* Quæ ſint hujus ſpei ſigna. *ibid.* Num, ſi recidivæ proveniant ex ſola fragilitate, aut conſuetudine, poſſit abſolvi toties, quoties affulget hujusmodi ſpes. 547. Quid, ſi proveniant ex occaſione extrinſeca, quam potens non deſeruit. *ibid.* v. *Conſuetudinarius. Occaſio proxima.* Num abſolvi poſſit, ſi verſetur in occaſione proxima ſibi neceſſaria,

& adhibitis omnibus remediis ſemper labatur ut prius. *ibid.*

Regula. Regularum Religionis voluntaria transgreſſio careatne culpa etiam veniali. 328. Num ſolum iſthæc transgreſſio eſſe poſſit ſufficiens materia confeſſionis. *ibid.*

Regulares poſſintne ſine Epiſcopi licentia erigere, & mutare oratoria in ſuis domibus, & villis, de licentia tamen perſonali ſuorum Provincialium &c. 163. Item miniſtrare de licentia ſuorum Superiorum extremam unctionem ſuis familiaribus etiam ſæcularibus. 198. Num etiam aliis in neceſſitate. *ibid.* Quos caſus reſervatos incurrant Regulares. 431. v. *Novitius.* Regularis approbatus ad Confeſſiones. v. *Approbatus.* Regulares in itinere cui poſſint, ac debeant confiteri. 393. Num poſſint tempore Jubilæi absque licentia Superioris eligere ſibi Confeſſarium approbatum tantum ab Epiſcopo. 396. Num vi ſuorum privilegiorum poſſint abſolvere ſin minus provocantes ad duellum, ſaltem conſulentes, permittentes &c. 484. v. *Interſtitium.* Pro Regularibus dat Teſtimoniales Superior Regularis: Scientiæ autem examen ſpectat ad Epiſcopum. 232. v. *Religioſi Soc. Jeſu.* Regulares à quo debeant ordinari. 227. Regulares à quibus abſolvi poſſint à reſervatis Papalibus, vel in ſuo ordine &c. 444 & ſeq. v. *Superior. Religioſus.* Regulares inducentes aliquem ad jurandum, vovendum, &c. ut eligat ſepulturam apud eorum Eccleſiam, incurrunt excomm. reſervatam. 421. Quid, ſi obligent ad eligendam ſepulturam, in Eccleſia alterius, vel hortentur tantum, ut eligant eorum Eccleſiam. *ibid.* v. *Sepultura Eccleſiaſtica.* Quid ipſis liceat, quid parocho, & quæ poſſint cum parocho concordare circa hujusmodi ſepulturam. *ibid.* Poſſunt, quin contradicantur ab Epiſcopo, vendere ſepulturam. 425. Si pro loco honoratiori eam vendant, num ſit Simonia? *ibid.* v. *Simonia.* Regularium Eccleſiæ. v. *Eccleſia*, ſeu *Templum.*

Religioſus. Religioſi mendicantes, & cum iis communicantes, quæ privilegia habeant circa Euchariſtiæ adminiſtrationem. 114. Religioſi communicantes in privilegio Soc. Jeſu, qua hora poſſint celebrare. 177 Miniſtrantes extremam unctionem externis incurrunt excommunicationem Papalem. 197. Num etiam in neceſ-

necessitate. 198. v. *Regulares.* Religiosi & Religiosæ interdictæ. v. *Interdictum.* Religiosis, quibus licuit ante Trid. ordinari extra tempora, num etiam nunc liceat. 244. Religiosi num gaudeant immunitate Ecclesiastica relate ad suos prælatos, si confugiant ad Ecclesiam suæ religionis, vel alterius. 481. An Religiosis sub culpa, & pœna vetitum sit loqui cum monialibus. 506. & seq. Num possint sibi eligere Ecclesiasticam sepulturam. 423. v. *Sepultura Ecclesiastica.* Religiosi iter facientes (præsertim Societatis Jesu) à quo possint absolvi à reservatis. 447. Religiosus pœnitens, si petat à Superiore posse absolvi à reservatis à Religioso suæ Religionis, & illi negetur talis facultas, adhuc valide potest absolvi. 273

Religiosi Societatis Jesu. Vi Concessionis Bullæ Pauli III. num liceat Religiosis Soc. Jesu alicubi administrare baptismum. 66. Quibus privilegiis gaudeant circa administrationem Eucharistiæ præsertim tempore Paschatis, si necessitas urgeat. 114. Vel circa consecrationem suarum Ecclesiarum. 157. Vel circa tempus celebrandi. 177. Vel circa tempora ordinationum. 240. Vel circa examen. 232. Vel circa dimissorias. 229. Vel circa titulum ordinationis. 253. Vel in dimissos à Societate. 254. Religiosi Soc. cui debeant confiteri, dum sunt in itinere. 393. Num possint in suis Ecclesiis recipere defunctos sine licentia generalis, exceptis fundatoribus, Principibus, & Prælatis. 425. A quonam in societate danda, vel petenda absolutio à reservatis, etiam in itinere &c. 347. Possunt in Societate sic absolvere etiam Magistri Novitiorum ex speciali privilegio. *ibid.*

Reservatio. Reservata. v. *Casus reservati.* Reservatio est *Restrictio jurisdictionis concessæ Sacerdoti inferiori in ordine ad aliquod peccatum, seu censuram.* 426. Quæ peccata possint reservari, & num etiam mortalia mere interna, vel venialia ab Episcopo, vel saltem à Papa. *ibid.* Quis possit casus reservare. 427. Quinam incurrant reservationem, & qui ab ea excusentur. *ibid.* v. *Ignorantia. Metus. Pueri. Vagi. Peregrini. Regulares. Moniales.* Si Confessarius habebat facultatem in reservata, & confessio antecedens fuit invalida, ita ut invaliditas orta fuerit ex defectu ipsius, eoquod noluit absolvere, num ablata sit reservatio. 338. Num

ablata cenſenda ſit etiam cenſura, eoquod invaliditas fuerit ex defectu inculpabili, vel etiam culpabili pœnitentis. *ibid.* Si quis ab habente facultatem in reſervata, vel in cenſuras generaliter ab iis abſolvatur, manet omnino liber à reſervatione, vel cenſura adnexa peccato oblito, cum fuerit de eo indirecte abſolutus: ſi ergo memoriæ occurrerit, poterit de eo directe abſolvi à quovis Confeſſario. 340. v. *Moribundus. Religioſus.*

Reſtitutio. Quot peccata committat, qui pluries oblata opportunitate reſtituendi non reſtituit. 282

Reviviſcentia Sacramentorum. v. *Sacramentum.*

Reus. Quid, ſi interrogetur à Judice per ſemiplenam tantum probationem. 419. Confeſſarius num debeat illum obligare ad fatendum ſuum crimen. 420. Num debeat ille negare abſolutionem, ſi neget crimen Judici, vel etiam confeſſario. *ibid.* Reus, ſi ad vitanda tormenta falſum ſibi crimen impoſuit, num teneatur poſtea crimen ſuum revocare, præſertim, ſi ante perjurio confirmaſſet. *ibid.* Ad quid teneatur, ſi coactus denunciavit alium innocentem: vel ſi ſciat complices. *ibid.*

S.

Sacellum. Sacellanus. Sacellum. v. *Eremita.* Sacellani approbatio minus ceſſat per Parochi mortem. 388. Num Sacellanus aſſiſtere poſſit matrimonio. *ibid.*

Sacerdos. Sacerdos Approbatus. v. *Approbatus.* Sacerdos Abſolvens. v. *Abſolutio. Moribundus. Confeſſarius. Sacramentum Pœnitentiæ.* Sacerdos græcus tranſiens per Templum latinorum num poſſit celebrare in Azymo, & econtra latinus in fermentato. 99. Sacerdotes græci & latini diverſæ figuræ hoſtiam conſecrant. 100. v. *Hoſtia. Vinum. Euchariſtiæ Sacramentum.* Num poſſit Sacerdos extra Miſſam devotionis cauſa Euchariſtiam ſibi miniſtrare. 113. Si Euchariſtiam miniſtret ſine jurisdictione peccat graviter. 114. Si ſit Sacerdote inferior, incurrit etiam irregularitatem. *ibid.* Quando teneatur Sacerdos Euchariſtiam miniſtrare. 118. Qualiter peccet celebrans diſcalceatus, tecto capite &c. 188. Num poſſit quilibet etiam ſorenſis celebrare in Eccleſiis alterius diœceſis ſine ordinarii licentia. 157. Num quilibet Sacerdos teneatur ſaltem aliquando celebrare. 170. Num poſſit Sacerdos antici-

anticipate ſacrificare pro obligatione jam contracta celebrandi v. g. 15. Miſſas ſingulis diebus. 181. v. *Capellanus.* Num celebrans aliis, quam deſignatis diebus ſatisfaciat. 182. Obligari poteſt ad celebrandum ex legato, ſtipendio, voto &c. Num & quando teneatur Sacerdos celebrare tres illas Miſſas, quæ ei injunguntur ab Epiſcopo illum ordinante. 182

Societas Jeſu. v. *Religioſi Societatis Jeſu.*

Sacramentalia quot, & quænam ſint? 5. Non habent vim cauſandi gratiam ex opere operato, & in hoc differunt à Sacramentis. *ibid.* Aliqua remittunt venialia per modum impetrationis, aliqua per hoc, quod excitent in nobis pios motus, & ſic illa (non tamen infallibiliter) remittunt. 6. & 65. 2.

Sacramentum. Quod ejus Etymon. 2. Definitur *Viſibile ſignum gratiæ inviſibilis ad populum Dei ſanctificandum.* 3. Ab uno Deo inſtitui poteſt. *ibid.* Num ſignum ad rationem Sacramenti requiſitum debeat eſſe ſtabile, ac practicum. *ibid.* Differt à Sacrificio. *ibid.* Differt à Sacramentalibus. 5. Sacramenta alia ſunt vivorum, alia mortuorum. 21. Differunt Sacramenta novæ & veteris legis. 4. Num fuerit abſolute neceſſaria eorum inſtitutio. 7. Num, hac ſuppoſita, ſint illa neceſſaria, & qua neceſſitate ad ſalutem. *ibid.* Quot ſint Sacramenta novæ legis, & quis inter ea ſit ordo. 8. & ſeq. Num in aliis ſtatibus præter ſtatum gratiæ fuerint Sacramenta. 6. Sacramenta novæ legis tribus perficiuntur: rebus, verbis, & perſona Miniſtri. 10. Num eorum materiæ, & formæ ſint ex Chriſti inſtitutione determinatæ, & an determinatio ejusdem rationis ſit in omnibus. *ibid.* Num poſſit Eccleſia mutare materias, & formas Sacramentorum. 11. Quæ mutatio dicenda ſit theologicè accidentalis, quæ ſubſtantialis, & quæ proinde invalidet, & quæ non, Sacramenta. 12. Octo modo ex Suar. poteſt mutari forma. 13. & ſeq. Qualiter peccet, qui mutat, æquivoce profert, interrumpit, repetit, omittit &c. verba in conficiendis Sacramentis. 16. Qui ſit effectus primarius Sacramentorum novæ legis. 18. Qui Secundarius. 22. Num Sacramenta gratiam cauſent ex opere operato. 5. & 19. Phyſice ne, an moraliter. *ib.* Quo tempore. 21. Num cauſent etiam infuſionem virtutum theologalium. 18.

Num causare possint primam gratiam. 21. & 50. Ex qua potestate Christus ut homo dicendus sit institutor Sacramentorum, & num possit eam alicui puræ creaturæ communicare? 24. Quis sit Sacramentum minister, & num quivis homo cujuscunque? *ibid.* & seqq. Error in Ministro num invalidet Sacramentum? v. *Error.* Quæ intentio requiratur in Ministro & in suscipiente? v. *Intentio.* Pro licita (excepto matrimonio) saltem administratione Sacramentorum requiritur in Ministro jurisdictio ab Ecclesia derivata. 34. Ad pœnitentiæ Sacramentum requiritur etiam pro valida. *ibid.* Num servandus sit Ecclesiæ ritus. *ibid.* Num requiratur status gratiæ, an vero possit aliquando Sacramentum ministrari in peccato. *ibid.* Qualiter peccet in mortali baptizans, consecrans, ministrans Eucharistiam. 35. Absolvens, contrahens matrimonium. 36. Quid, si sic exerceat alias functiones sacras. *ibid.* Nequit quis uti in administratione Sacramentorum sententia probabili circa valorem, (secus, si circa modum) eorundem. 37. Peccat graviter utens materia, vel forma dubia extra necessitatem. 38. Adhuc tamen circa valorem potest quis sequi opinionem moraliter certam relicta tutiore. *ib.* Num & quando, si habeatur error communis de jurisdictione e. g. confessarii, ecclesia suppleat, vel dispenset. 39. Quid si habeatur mera opinio probabilis de jurisdictione, vel absentia impedimenti. 40. Num in aliquo casu, etsi agatur de valore Sacramenti, uti possimus opinione probabili in tali administratione, 40. Quandonam, & quomodo debeat minister Sacramenta administrare, vel eam etiam reiterare. *ibid.* & seq. Num possit in aliquo saltem casu illa administrare indigno. 42. Num pœnitenti publico, vel occulto in articulo, vel extra articulum mortis possit, aut debeat publice, vel occulte negari, aut concedi Sacramentum. 43. Num liceat ob gravem metum simulare Sacramentum? 44. v. *Metus.* Unus homo viator est subjectum capax Sacramentorum: non omnes tamen omnium. 46. Quid requiratur in subjecto adulto ad licitam, & fructuosam Sacramenti susceptionem. 49. In quibus Sacramentis suscipiendis requiratur status gratiæ. 50. Peccat graviter Sacramenta suscipiens in peccato mortali: quid, si in veniali? 51. Num Sacramenta omnia ficte suscepta, remoto obice reviviscant ad causandam gratiam, & ad remittenda venialia.

nialia. 52. & seqq. Num liceat petere administrationem Sacramenti à ministro indigno, puta nominatim excommunicato &c. saltem ex necessitate, vel causa urgenti. 53. Num in suscepturo Sacramentum sit obligatio inquirendi in probitatem, & mores ministri. 55.
Sacrificium late sumptum quid sonet. 144. Differt, à Martyrio, & Sacramento. *ibid.* Quotuplex. 145. Christus Dominus interdixit, ne ecclesia aliud ab hoc sacrificium institueret. 146
Sacrificium Missæ. Quod ejus Etymon. 144. Est vere & proprie sacrificium, ut illud in cruce oblatum. 145 Non mere improprie, ut volebant hæretici. *ibid.* Ejus essentia in sola consecratione consistit. 146, Num possit esse sub una tantum specie saltem ex Papæ dispensatione. *ibid.* Qui vero sit principalis offerens, qui minus principalis. *ibid.* An, quoties, & num singulos Sacerdotes seorsim obliget præceptum sacrificandi. 170. Naturam hujus Sacramenti habes ex effectibus, quorum potissimi sunt quatuor. 147. Hoc sacrificium non nisi mediate veniam causat peccatorum etiam venialium quoad culpam. *ibid.* Quoad pœnam immediate. *ibid.* Num habeat in actu secundo virtutem causativam simpliciter infinitam, præsertim remissionis peccatorum &c. 148. Si est valoris infiniti, quomodo plus uni prosit quam alii, & multiplicentur sacrificia relate ad eundem finem. *ibid.* Triplex est fructus sacrificii, specialis, generalissimus, & specialissimus. 149. Cui autem hi fructus correspondeant. *ibid.* Sacrificium ut aliis à sacrificante causet effectus suos ex opere operato, non requiritur in ministro status gratiæ. *ibid.* Ut specialiter uni potius prosit, quam alteri, requiritur applicatio (sufficit habitualis) sacrificantis ante tamen sacrificium. 150. Quod si non applicet, remanebit fructus in thesauro Ecclesiæ. *ibid.* ut causet fructum generalissimum, nulla requiritur Sacerdotis applicatio. *ibid.* Subjectum capax participandi fructum sacrificii debet esse viator, & baptizatus. 151. Oblatum pro constituto in mortali num reviviscat ad causandos effectus, si ille se remittat in gratiam. *ibid.* Quomodo prosit, si offeratur pro conversione infidelis &c. *ibid.* Sacrificii fructus impetratorius, & satisfactorius unde sit major, vel minor. *ibid.* Pro quibus valide & licite possit, aut non possit sacrificium offerri. *ibid.* & seq. Quinam sit locus sacrificio aptus.

154. In quo loco ſit celebrandum. v. *Altare. Oratorium privatum. Eccleſia.* Num ex Epiſcopi conceſſione poſſit celebrari in domibus privatis, præſertim infirmi. 166. Ex neceſſitate num in loco profano. *ibid.* Qui ſit locus obligationis, & num ibi teneatur Sacerdos ſub gravi celebrare. 168. Num poſſit ab hoc eximi ab Epiſcopo. 169. Quodnam ſit ſacrificiii tempus. 170. Qui dies. 173. Quæ hora. 176. Quibus diebus hebdomadæ ſanctæ vetitum ſit celebrare. 174. v. *Oratorium privatum.* Quoties quis eodem die celebrare poſſit, præſertim ob privilegium, vel neceſſitatem. *ibid.* v. *Sacerdos.* An liceat aliquando celebrare ante auroram; & quid veniat hic ſub auroræ tempore. 176 Quando liceat in nocte Natalis Domini. 177. Quando ex privilegio, vel neceſſitate. 178. An liceat celebrare poſt meridiem ex privilegio & neceſſitate. *ibid.* Vel ante recitatas horas canonicas. 179. Quid circa miſſam conventualem, & parochialem ſtatuit Bened. XIV, felic. regnans. 172. An liceat miſſam abrumpere, ſeu relinquere imperfectam, vel etiam interrumpere. 179. & ſeq. Dum ad altare redis poſt interruptionem ad miſſam finiendam, num debeas iterum inchoare, an vero pergere, ubi deſieras. 181. Quæ ſint cætera requiſita ad ſacrificium. 183. Quid de cruce cum crucifixo, de mappa, ſacris veſtibus, corporali palla, purificatorio, burſa, paramentorum colore &c. 183. & ſeq. Quid de patena, miſſali, lumine, miniſtro inſerviente, de velo calicis, pulvinari, burſa &c. 186. & ſeq. De calice. v. *Calix.* Num prædicta ornamenta, & indumenta debeant eſſe, & à quo benedicta, & quando benedictionem amittant. 184. Celebrare ſine veſtibus ſacris grave ſacrilegium eſt. 185. Num liceat in gravi neceſſitate, vel ex metu mortis. 186. Qui ritus, & quæ rubricæ in celebrando ſervari debeant ſub gravi, vel ſub levi. 108. An & quale peccatum ſit omittere aliquam partem Miſſæ. 189. Miſſæ partes dividuntur in ordinarias, & non ordinarias: quæ autem ſint ordinariæ, quorum omiſſio ſit graviter peccaminoſa, quæ non ordinariæ, quas remittere ſit veniale. *ib.* & ſeq. An & quale peccatum ſit addere, commutare, vel invertere aliquid in Miſſa. 190. Quæ verborum expreſſio in ea requiratur, & qualiter peccet Sacerdos ſe voluntarie diſtrahens in legenda miſſa. 192. v. *Sacerdos.* Miſſæ auditio die Feſto. v. *Feſtorum Obſervantia.*

Sacrilegium. Estne sacrilegium distinctum, si quis peccet contra castitatem cum Sacerdote, ac si cum Religioso. 288
Sanctorum, & Beatorum cultus. v. *Cultus.* in Sanctorum honorem &c. potest bene, & pie offerri Missæ sacrificium. 152
Satisfactio sacramentalis est *Executio pœnitentiæ impositæ à Confessario.* 351. Est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ. *ibid.* An ex opere operato remissionem causet pœnæ temporalis. *ibid.* Alia est pure pœnalis, alia medicinalis. *ibid.* Confessarius tenetur sub gravi, vel sub levi juxta peccatorum materiam pœnitentiam imponere. *ibid.* Num, & quam pœnitentiam injungere possit constitutis in mortis articulo, vel lucraturis indulgentias, præsertim in Jubilæis ? 352. Num debeat injungi nova pœnitentia confitenti novum peccatum post absolutionem. *ibid.* Semper imponenda post audita peccata. 353. Item imponenda pœnitenti sub aliqua obligatione præcepti, & quidem proportionata peccatis non absolute, sed respective ad pœnitentem. *ibid.* Unde igitur prudens Confessarius metiri debeat qualitatem & quantitatem pœnitentiæ imponendæ. 354. Quæ pœnitentia nunquam imponenda ? quæ ob delictum publicum. 355. Debet tamen semper esse opus pœnale. *ibid.* Quod autem hoc sit. *ibid.* Potest etiam esse opus, cujus impetratio & satisfactio applicetur pro aliis. 356. Num possit ipse Confessarius subire partem operis injungendi, ac pœnitenti applicare. *ibid.* Item potest illi concedere, ut per alium pœnitentiam absolvat. *ibid.* Nisi tamen id explicet, non intelligitur. *ibid.* Tenetur pœnitens (sub gravi, si pœnitentia imposita sit pro culpa gravi; sub levi, si pro levi) pœnitentiam à Confessario impositam acceptare, si sit tolerabilis. *ibid.* Quid, si evadat deinde physice, vel moraliter impossibilis. 358. Si ejus materia sit divisibilis, nec possis partem majorem exequi, teneris saltem exequi minorem. *ibid.* Quæ pœnitentiæ materia censenda sit gravis, quæ levis. *ibid.* Quando persolvenda pœnitentia ? 359. Diu eam differens qualiter peccet. *ibid.* Num teneatur quis sub præcepto eam exequi ante communionem ? 127. An possit ei satisfieri eodem tempore, quo satisfit alteri præcepto. 359. Num persolvenda cum intentione saltem virtuali integrandi Sacramentum, vel Confessario parendi. 360. Num peccet eam exequens in mortali, & num ea sic posita

habeat effectum ſuum. *ib.* & ſeq. Pœnitens nequit in aliud opus, etſi melius pœnitentiam ſibi propria auctoritate commutare. 361. Confeſſarius num id poſſit in alia confeſſione, aut etiam extra Confeſſionarium. *ib.* Pœnitentia ab uno Confeſſario impoſita nequit ab alio mutari, vel minui, niſi illi repetantur peccata, ob quæ fuit impoſita. 362. Semper tamen requiritur juſta cauſa. 363. Num poſt commutationem liberum ſit pœnitenti alterutram ſibi eligere. *idid.* Num ſecundus Confeſſarius commutare poſſit pœnitentiam impoſitam à Superiore, præſertim ob reſervata ſibi. 362

Scientia Confeſſarii. v. *Confeſſarius.*

Schiſma. Schiſmatici. Schiſma eſt *Diviſio ab Eccleſia, ejusque capite.* 466. Schiſmatici in Bulla Cœnæ non excommunicantur, ſed ii, qui mandato Romani Pontificis pertinaciter, hoc eſt ſcienter, nolunt obedire, quod non ſatis eſt ad ſchiſma. *ibid.*

Scrupuloſus poteſt leviter ſe examinare. 280. Si pœnitens ſit ſcrupuloſus, Confeſſarius regulariter permittere illi non debet quidquam repetere de præteritis confeſſionibus, niſi certum ſit eſſe male confeſſum. 339. & ſeq. neque ut ſe accuſet de peccatis dubiis. *ibid.*

Secretum. Secretum naturale differt à ſigillo ſacramentali. 548. Quomodo ſervandum. 549. & ſeq.

Sedes Apoſtolica dat privilegium erigendi Oratorium privatum, 162

Semifatuus. Num Semifatuis miniſtranda Euchariſtia tempore Paſchatis. 121

Sepultura Eccleſiaſtica. v. *Eccleſia, ſeu templum.* Num quivis utriusque ſexus, ætatis, conditionis &c. eligere ſibi poſſit ſepulturam Eccleſiaſticam. 420. Qui autem poteſt per ſe, poteſt etiam id alteri committere. 421. Hic vero eligere illam poteſt etiam poſt ejus mortem. *ibid.* v. *Parochus. Regulares. Clericus.* Num peccetur, ſi cadaver occulte transferatur de uno loco in alium, non perſoluta quarta funeralium illis Parochis, per quorum Parochias tranſit. 422. Electio ſepulturæ quando probari poſſit. *ibid.* Pro impubere, qui nequit ſibi eligere ſepulturam, poteſt illam eligere pater. *ibid.* Facto tamen pubere patris electio, niſi ratificetur à filio, non valet. *ibid.* Idem dic de tutore reſpectu pupilli &c. *ibid.* Religioſus num poſſet ſibi, ſaltem quando moritur extra clauſtra, eligere ſepulturam. 423. Quid circa hoc poſſit Superior Regularis. *ibid.*

ibid. Quid Novitius. *ibid.* Ubi sepeliendus, qui moritur non electa sibi sepultura. *ibid.* Vel qui nec proprium sepulchrum habet. 424. Ubi sæcularis, qui moritur in Monasterio, ubi relicto domicilio habitabat. *ib.* Vel si quis in testamento disposuit, ut sepeliatur in Parochia, in qua moriturus erit, & casu moriatur in aliena Parochia. 425. Si quis legatum facit Ecclesiæ sub conditione *si ibi sepeliatur*: si quid accidit. per quod non possit, aut debeat ibi sepeliri, valeatne legatum? *ibid.* Quis concedere possit jus proprium & perpetuum sepulturæ in certo loco, ex quo alios possit excludere. *ibid.* & seq. v. *Simonia. Regulares.*

Sigillum confessionis est *strictissima obligatio non revelandi neque directe, neque indirecte ea omnia, quæ cognita sunt ex confessione sacramentali alterius, & quorum revelatio redderet confessionem odiosam.* 548. Unde talis obligatio. *ibid.* Differt hoc sigillum à secreto naturali. *ibid.* Dupliciter peccat violator sigilli. 549. Qualiter puniendus. *ib.* Num denunciandus. *ib.* Oritur hoc sigillum unice ex confessione Sacramentali. *ib.* Num etiamsi talis confessio fiat non approbato, nec habenti intentionem absolvendi, nolenti audire, aut laico fingenti se Sacerdotem, aut in confessionario, quando putatur falso adesse Confessarium, vel, etsi confessio non finiatur, vel non sequatur absolutio, vel sit invalida, vel etsi peccata narraverit historice, dummodo addiderit pœnitens. *me de enarratis accuso.* Vel si peccata scripserit pœnitens absenti. 550. Quid, si pœnitens dixerit Confessario peccata ad habendum consilium. *ibid.* Num sint aliqui casus, in quibus non obligat sigillum? puta, si pœnitens simulet confessionem &c. *ibid.* Materia sigilli quæ sit. *ibid.* Num omnia & singula mortalia. etsi dubia, vel putata cum suis speciebus, circumstantiis &c. *ibid.* Num singula venialia in specie. vel in genere. 551. Num etiam scrupuli. *ibid.* Num etiam vota, virtutes, aliave bona pœnitentis. 552. Num etiam peccata aliena, seu complicis à pœnitente dicta. &c. vel omne id, de quo dubitatur, cadat necne in materiam sigilli. *ib.* v. *Confessarius.* Quos, & ad quid obliget sigillum? 553. Quomodo obligetur Confessarius, Superior, Interpres legens chartam confessionis, vel qui casu, aut ex industria audit pœnitentem confitentem. *ibid.* Obligatus sigillo in nullo prorsus casu neque directe, neque indirecte potest ejus materiam ulli revelare, nec ipsi pœnitenti, nec alteri

alteri scienti etiam sub sigillo, num etiam post mortem pœnitentis. 554. Quid, si aliunde materiam istam sciverit. 555. Si nullum sit periculum revelandi pœnitentem. 556. Vel si habuerit à pœnitente expressam licentiam. *ibid.* Multa tamen adhuc circa id cavere debet Confessarius, & Parochus. 555. Maxime, si velit pœnitentem alloqui de auditis in confessione. 557. Num possit aliquando uti Confessarius scientia, seu notitia habita in confessione. *ibid.* Puta, si negare velit indigno eleemosynam, Sacramenta, Ordines &c. 558. Vel non celebrare, si ex confessione sciat, in calice esse venenum, vel sciat domi parari sibi mortem. 560. Quid agere debeat Confessarius, si nequeat aliter confiteri suum peccatum nisi violatione sigilli. 346

Simonia. Sitne Simonia aliquid accipere pro administratione Sacramentorum, aliisque actionibus, vel omissionibus spiritualibus. 489. Quid pro administratione Ordinum. 219. Ad has reducitur confidentialis, quæ tamen ab his differt. 390. Realis est, cum pactio utrinque completur traditione rei temporalis, & spiritualis. 489. Quando sit completa, & proinde differat à conventionali? *ibid.* Prima pœna Excommunicationis specialiter Papæ reservata quando incurratur. 491. Secunda pœna est nullitas actus Simoniaci. *ib.*

Sodomia. v. *Luxuria.* In Sodomia probabilius est explicanda in confessione, ut mutans speciem, circumstantia agentis. 284. Similiter, an commissa sit cum mare, aut cum fœmina, cum sanguineis, cum uxore &c. *ibid.* Est peccatum reservatum in Diœcesi Neapol. 520. Ut autem incurras reservationem, tria requiruntur. *ibid.* Qui excusantur à tali reservatione. *ibid.* Num patiens dicendus sit mollis potius, quam Sodomita. 284

Sollicitatio ad turpia. Confessarius sollicitans ad turpia, ut suspectus de hæresi, est denunciandus. 417. Incurrit casum reservatum cum excomm. in Diœcesi Neapl. non tamen si sit simplex Sacerdos fingens se Confessarium. 611. Item alium casum non reservatum, si sollicitet, etiamsi, neque immediate ante, vel post confessionem &c. 521. Apponitur, & explicatur Bulla Gregorii XIV. contra Confessarios sollicitantes. 410. Item aliam Constit. Bened. XIV. contra eosdem. 411. Quæ sit obligatio Confessarii sollicitantis, si ad eum accedat pœnitens? 414. Qualiter peccet, & puniatur ab Eccle-

Ecclesia, si suam hanc obligationem non exequatur *ibid.* Hodie ex Bened. XIV. incurrunt Confessarii sollicitantes in actu sacramentalis confessionis &c. perpetuam etiam inhabilitatem ad sacrificii Missæ celebrationem. 417. v. *Complex. Denunciatio.*

Sortilegium. v. *Sortes.* Sortilegia conficere est reservatum in Diœces. Neapol. 507. Item reservabile in Ordinibus Religiosis. 526. Sacerdotes abutentes sacrificio Missæ ad sortilegia incurrunt perpetuam inhabilitatem ad ejusdem sacrificii celebrationem. 417

Species peccatorum. v. *Peccatum.*

Sponsus. Sponsa. Sponsi & sponsæ post contracta sponsalia inter se etiam privata; & ante matrimonium legitime celebratum carnalem inter se copulam habentes &c. excommunicationem reservatam incurrunt in Diœces. Neapol. 518

Status. Ante legem Evangelicam triplex fuit status. 6. In quo eorum fuerint Sacramenta. *ibid.*

Stuprum. Num, si virgo sub potestate parentum consentiens defloretur, sit species stupri. 294

Subdiaconus. Subdiaconatus. Subdiaconatus est Ordo, *quo datur potestas assistendi celebranti, eique ministrandi calicem cum vino, & patenam cum hostia, ac legendi Epistolas in Missa.* 205. Quæ ejus materia remota, quæ proxima. *ibid.* Quæ forma? 210. Quæ ejus munera, & onera. 215, & seq. Quæ ætas requiratur. v. *Ætas. Tempora ordinationum.* Num præter intentionem suscipiendi Subdiaconatum, requiratur ad ejus valorem intentio, seu votum etiam castitatis. 213. Subdiaconatus sitne Sacramentum. 204

Substitutio vocis in Sacramentis. v. *Sacramentum.*

Suffragia Ecclesiæ. Si excommunicatus sit toleratus, probabilius non privatur publicis suffragiis, quæ proinde & valide & licite pro eo offerri possunt. 153. Quem sacrificii fructum potest Sacerdos pro excommunicato applicare. *ibid.*

Superior Regularis localis absolvere potest subditos à reservatis in suo ordine: num etiam à Papalibus. 444. Num etiam suos Novitios, vel volentes ingredi religionem, vel sæculares familiares monasterii, vel Alumnos, & Convictores &c. 445. Num & quomodo delegare possit talem facultatem aliis Sacerdotibus tum intra, tum extra religionem. *ibid.* Num eam teneatur concedere generaliter Confessario domus. 446.

Num

Num possit, & aliquando expediat illam committere generaliter. *ibid.* Num ei liceat confessiones subditorum audire. *ibid.* Debet ad minus duos in domibus parvis, in aliis plures deputare confessarios idoneos. *ibid.* Si neget facultatem Confessario petenti pro absolutione à reservatis, pro ea vice Confessarius etiam potest absolvere. *ibid.* v. *Religiosi Soc. Jesu.*

Surdus num ei danda sit Eucharistia tempore Paschatis. 122. Quomodo confiteri debet. 347

Susceptio Sacramentorum. v. *Sacramentum.*

T.

Tempora Ordinationum. Quæ sint tempora Ordinationum. 238. Quæ pro Ordinibus majoribus. *ibid.* Quæ pro prima tonsura, Ordinibns minoribus, & Episcopatu. *ibid.* Mortale est ordinare, vel ordinari, sine dispensatione extra tempora à jure statuta. 239. Quis possit dispensare pro ordinatione extra tempora. *ibid.* & seq.

Testimoniales pro ordinandis sunt, quæ testantur de natalibus, ætate, moribus, & vita ordinandi. 231. Tria circa has statuit Trid. *ibid.* Tonsuratus à proprio Episcopo nequit ab Episcopo beneficii promoveri sine testimonialibus proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii. *ibid.* Num aliquando sufficiat testimonium Parochi, 232. Afferens dimissorias ab Episcopo originis non indiget testimonialibus. *ibid.* Num si quis certus de tonsura sibi collata, nequeat tamen id probare, possit solo juramento de tonsura accepta promoveri ad ordines. *ibid* v. *Regulares.*

Titulus pro Ordinibus sacris. Ut quis licite ordinetur, qui titulus requiratur. 246. v. *Pensio. Patrimonium. Paupertas religiosa.* Qui titulus beneficii sit sufficiens ex Trid. pro ordinatione. 247. Quid tamen hic veniat nomine beneficii. 248. Num, si beneficium sit insufficiens, suppleri possit talis defectus per adjectionem patrimonii. 247. Num beneficium, ut sit titulus sufficiens, debeat actu possideri. 247. Num beneficium cujus titulo es ordinatus, possis deinde resignare. &c. 248. Num, si illud resignes contra formam Trid. revera vacet tibi tale beneficium. 249. Quæ sunt pœnæ jure communi statutæ contra ordinatum

natum absque titulo. 254. Quæ jure ſpeciali contra ordinatum absque titulo vel titulo ficto. 255. v. *Epiſcopus. Novitius &c.*

Tonſura. Tonſuratus. Prima tonſura eſt *Deputatio ad obſequium Eccleſiæ.* 205. Non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines. 204. Quæ ejus quaſi materia. *ibid.* Tonſurati munera, & onera, quæ ſunt. 215. & ſeq. Tonſuratus à proprio Epiſcopo, nequit ab Epiſcopo beneficii promoveri ſine proprii Epiſcopi teſtimonialibus. 231. v. *Ætas. Tempora ordinationum. Teſtimoniales.*

Tutor quomodo urgeatur præcepto baptiſmi relate ad pupillos, infantes. 59

Typographus Num & quando incurrant typographi in hoc Diœceſi Neapol. caſum reſervatum cum excomm. contra imprimentes libros, folia, &c. ſine debita licentia. 517.

V.

Vagi quos caſus reſervatos incurrant. 430

Veneficium. v. *Maleficium.*

Venenum. Venena conficiens in hominum perniciem, vel dans, ſcienter cooperans, quomodocunque propinans &c. excommunicatur cum reſervatione in Diœceſ. Neapol. 516. Quando autem hi omnes incurrant hunc caſum, & num diverſimode. *ibid.*

Veniale peccatum. v. *Peccatum. Confeſſio.*

Vicarius Apoſtolicus quid poſſit circa dimiſſoriales. 229

Vicarius capitularis nequit in domo erigere Oratorium. 162. Num poſſit approbare ad Confeſſiones. 387. v. *Approbatus.* Quæ ſit ejus facultas quoad reſervata. 435

Vicarius Epiſcopi Generalis num poſſit approbare ad confeſſiones. 376. & 386. v. *Approbatus.* Quæ ſit ejus facultas quoad reſervata. 435

Vicarius Papæ, Sede Apoſtolica vacante, poteſt efficere, ut ordinentur ſui, aut eis etiam non arctatis dare dimiſſorias. 229

Vidua ubi ſepelienda. 423

Vinum. Vinum de vite, & non aliud, eſt valida materia conſecrationis calicis, 100. Debet eſſe ex uvis expreſſum. 101. Non eſt ergo valida materia lora, ſapa, ſeu defrutum: acetum, liquores expreſſi ex pomis,

mis, vinum, cui admiſceatur aqua, vel imbibitum in offa panis, vel expreſſum ex uvis immaturis vulgo *Agreſta*. 191. & ſeq. Quid de expreſſo ex uvis maturis, ſed non defæcato, vulgo *Muſta*, vel de ſucco expreſſo ex uvis paſſis, vel de vino acido, de vino miraculoſe facto ex aqua, vel de vino congelato, 101. *utrobique*. Diſpar eſt ratio, cur aqua congelata minus ſufficiat ad baptiſmum, ſufficiat tamen ad conſecrationem vinum congelatum. 101. Quod peccatum ſit in materia dubia conſecrare. 102. Ex præcepto probabilius eccleſiaſtico (pro quo, licet poſſit, nunquam tamen Eccleſia diſpenſat) vino miſcendo aqua. 103. Num & ipſa immediate convertatur in Chriſti ſanguinem. *ibid.* Num poſſit admiſceri aqua non naturalis. *ibid,* Qua quantitate. 104. Quid requiratur ad ejus conſecrationem. v, *Euchariſtia. Sacramentum.* Quid de guttis vini, quæ intra calicem ſunt ſeparatæ à vino, quod eſt in fundo. 108. v. *Hoſtia.*

Virginitas. Prima fornicatio, vel pollutio, tollentes virginitatem num ſpecie diſtinquantur à reliquis, proindeque in confeſſione explicandæ. 294

Votum. Vota facta Deo, B. V. vel Sanctis ſunt ejusdem ſpeciei. 291. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale, eſt inter caſus *Clem.* VIII. reſervabiles in Ordinibus Religioſis. 527. Votum juratum, ſi minus ſervetur, peccatur etiam contra fidelitatem. 291. Qualiter confitenda voti conditionalis transgreſſio. *ibid.*

Vox. Quomodo voces ſint ſigna conceptuum. 33

Finis Tomi Tertii.

MAZZOTTA
THEOLOGIA
MORALIS
TOM III

Th
2236